DECLAMA:
PHILIPPI

S O

TOMVS
SECVNDO

1546

Melanchthonis II
2 Q 1. 9.

PHILIPPI

MELANTHONIS CVM

Præfationum in quoſdam illuſtres Autores: tum Orationum de clariſſimorum uirorum uitis:

TOMVS SECVNDVS.

Collegii Societatis Posnaniensis
IESV.

Cum Gratia & Priuilegio.

Anno M. D. XLIIII.


Melanch
thon.
II
DECLAMA:
PHILIPPI
S. O
TOMVS
SECVNDO
I. 221. 8.

PHILIPPI
MELANTHONIS CVM
Præfationum in quoſdam illuſtres Autores: tum Orationum de clariſſimorum uirorum uitis:

TOMVS SECVNDVS.

Collegii Societatis
Posnaniensis
IESV.

Cum Gratia & Priuilegio.

Anno M. D. XLIIII.

DECLAMA
PHILIPPI

S. O

TOMVS
SECVNDO

Dar Kuratorj. Okr. Szk. Pozn.
Z księgozb. Gimn. im. M. Magd.
w Poznaniu. 1930.

PHILIPPI

MELANTHONIS CVM

Præfationum in quosdam illustres Autores: tum Orationum de clarissimorum uirorum uitis:

TOMVS SECVNDVS

Collegii Societatis Posnaniensis IESV.

Cum Gratia & Priuilegio.

Anno M. D. XLIIII.

VD16 M 3556

1228266 (N)
N.460945 9

S.D.2786.I

UNIWERSYT. POZNAŃ

1931.770

NICOLAVS GERbelius Petro Heldungo Amico perueteri

S. D.

Rato Mylius Amicus noster, homo uere φιλοφίλιππος, proximis annis Orationes aliquot Philippi Melanthonis excudit, in hominum studiosorũ utilitatem: Quæ quales sint, qualemuè fructũ Lectori adferant, tunc à nobis scriptum esse memini. Cum autem admoneretur Mylius ueteris illius & elegantis Mimi: Comitem facundum in uia pro uehiculo esse: Et nemini non cognitum exploratuḿꝙ sit, Philippo nihil suauius, nihil iucundius, nihil eru-

ditius hodie inueniri, rationem inueſtigauit, qua ſtudioſi adoleſcentes, Imo etiam & uiri religionis amãtes, Philippo, tanꝯ facundiſſimo comite, in itineribus, in profectionibus, cõmodiſſime uti poſſent. Itaꝯ forma portatili actas Philippi Orationes euulgauit, incꝯ Tomos duos diſcreuit: Quorũ prior, etſi plenus ſit multipharia fruge, tamen poſterior omnibus eſſe debet gratiſſimus: Quod in eo, primum in optimos authores præfatiunculæ, tum uitæ pars omnium utiliſſima comprehenſa ſit. Quid enim per immortalem Deum illuſtrium uirorum uita, moribus, ſtudijs, ad negotia uitæ omnia conſtituenda accommodatius? In ea enim prudentiæ

dentiæ atq; consiliorum exempla reperiuntur: In ea præclara facinora, defensiones patriæ, parentum, liberorum, uelut in splendidissimo speculo conspiciuntur. Quapropter & in ueterum conuiuijs, illustrium uirorum egregia facta, ad Cytharam canebantur: ut iuuentus ad eorum imitationem accenderetur. Et quidnam aliud agunt Poëtæ, quoties in peplo Mineruæ, in Aulæis, in Heroum antiquissimorum uestitu, in bellatorum Clypeis, ueteres historias commemorant: quàm, ut intertextis ueterum fortissimis factis, homines ad bonos mores, ad liberalia studia, ad uitam libero homine dignam hortentur ac inflamment? Hac de causa Petre,

cum uitam tuam cupiam omnium optimam esse, & ætas tua iam illud in primis postulet, hanc pulcherrimam huius operis partem, tibi dicari uolui: ut uel his excitatus optimorum hominum exemplis, uitam tuam iam iam ad metam properantem, consimilibus uirtutibus instituas: Imitetrisq; summi Principis & Regis exemplum Alexandri Macedonis, qui dormiturus, Homeri diuinum poëma sub puluillo positum habebat. Tu uero non sub puluillo solum doctissimas has lucubrationes, sed etiam in manibus & pectore habeas, uoluas, lectites, te uehementer etiam atq; etiam adhortor. Nam incredibile dictu est, quas utilitates ex his sis acceptu-

accepturus. Vale & adhortatiun culam hanc boni consule, scis etenim quàm tibi bene uelim, quám cupiam & fortunis, & ueræ fœlicitati tuæ esse consultum. Argentorati ex ædibus nostris xviij. Nouemb.

Anno

M. D. XLIII.

IN HESIO/

DVM PRAEFATIO PHIL. Melanthonis.

VOD in Plautina fabula histrio præfatur iustam se rem uenire oratum & facilem, id ego multo rectius hoc in loco præfari possum, dum non ut ille ioculare adulteriũ in scenam adfero, sed grauissima uitæ præcepta, quosdam etiam de natura rerum, de syderum ortu & occasu locos. Decreui enim Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας enarrare. Id ego poëma postulo, ut summa cura diligentiaq; studeatis cognoscere. Qua in re, quàm nihil iniquum, aut indignum uobis, aut ab officio alienum flagitem, quanquam uidere uos magna ex parte existimem, exponam tamen mei consilij rationem. Ego semper operam dedi, ut eos autores uobis proponerem, qui simul & rerum scientiam alerent, & ad parandam sermonis copiam plurimum conducerent. Nam hæ duæ partes cohærent, & sicut Horatius inquit, amicè con-

cè coniurarunt, ut altera alterius ope ſtet ac nitatur. Neque enim benedicere quiſquam, niſi pectus cognitione optimarum rerum inſtructum habeat, poteſt, & rerũ ſcientia manca eſt, ſi lumen orationis adhibere non poßimus. Et ut ad certa ſydera nautæ curſum omnem dirigunt: ita in his noſtris ſtudijs huc omnia referenda ſunt, ut & ſcientiam recte de moribus, deq; natura rerum iudicandi & explicandi res grauiores, mediocrem quandam facultatem nobis paremus, utilem uero ad utrunq; Heſiodum, quanquam ruſtici autorem carminis, Quintilianus eſſe iudicauit.

Prior operis pars tota eſt ἠθικὴ, continens uitæ ac morum leges, profuturas uobis ad conſuetudinem uitæ, & ad iudicandum de communibus humanitatis officijs, nam de religione non dico. Quod ſi putamus Iuriſconſultorum commentarios, aut Philoſophorum diſputationes diſcendas eſſe, ut in ciuilibus negocijs facilius proſpicere poßimus, quid æquum, quid iniquum ſit, & ex iſtorum literis colligenda eſſe ſimulachra iuſtitiæ, æquitatis, aut aliarum uirtutum cenſemus, iuuet eadem ab hoc Poëta petere, ex quo permulta mũtuati ſunt illi ipſi legum ſcriptores & Philoſophi. Et eſt quædam ex fontibus illa, ſi poßis haurire, uoluptas.

Nam quanquam ſapor eſt (ut ait Ouid.) oblata dulcis in unda, Gratius

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ.
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quàm de cælata sumere lance iuuat.

Nam & reliqui scriptores, qui morum præcepta & leges tradidere, propter infantiam & sermonis inopiam, uim uirtutis ac formam germanã non potuerunt nobis ob oculos ponere. At Hesiodus expressam quandam imaginem uiuis illustratam coloribus, nec adscititio uitiatã fuco, planeq; talem, qualem Appellis color in tabulis spectandam exhibet.

Porro ut architecti tenent in animo inclusas certas formas ædificiorum, quas imitentur in ædificando: & ut insidet in mente pictoris species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eaq; defixus, ad illius similitudinem artem & manum dirigit: Ita & nos oportet formam quandam uirtutis animo insculpere quam contemplemur, & in consilium adhibeamus, quoties de moribus, deq; hominum officijs iudicabimus, id ita fiet. Si optimorum autorum præcepta diligenter cognouerimus, & ex illis certam quandam omnium officiorum rationem collegerimus. Et ut fuerunt Zeusem, cum Helenam Crotoniatis pingere decreuisset, ex omni numero uirginum eius urbis quinq; delegisse, ad quarum exemplum Helenã pingeret: Ita ex lectissimis autoribus debemus certam rationem uirtutis excerpere, quæ consilia

consilia omnia nostra regat & gubernet. Mihi autem in primis ad eam rem utilis Hesiodus uidetur, quia inter gnomologos scriptores citra controuersiam principem locum tenet. Neq; enim nuda præcepta tradit, sed aliàs in encomijs uirtutis, aliàs in insectandis uitijs commoratur, quod officiosissimum est ad absterrendos animos hominum à turpitudine, grauiter & religiose docet, diuinitus bonos præmia pro benefactis ferre, improbos scelerum suorum pœnas luere. Animaduertit enim prudentissimus uir, natura nos duci, ut statuamus numine quodam hæc mortalia gubernari, esseq; Deum iniuriæ ultorem, & bonorum assertorem.

Itaq; multo grauius de moribus præcipit Hesiodus, quàm Philosophi ulli, qui ceu gigantes in fabulis cœlum excindere conati, Deum ab administratione rerum submouent, & religione animos hominum liberant. Diogenes dicebat Harpalũ, qui prædo fœlix illis temporibus habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu uiueret. Quanto φιλοσοφώτερον Hesiodus docet prope adesse Deos hominibus, ac uidere malefacta nostra? Vos quæso ametis hoc poëma, & familiare uobis faciatis, quod quidem diuinum esse, uel hoc argumento sit, quod ferunt Hesiodo pastori calamos à Musis donatos esse, quibus iam afflatus cecinit hæc præ-

præcepta. Apparet ex Cicerone solitos olim sic pueros edisce re, ut certas preculas nostri pueri docentur. Et Græci tanti fecere, ut in Helicone adseruarint in plumbo descriptum poëma.

Hactenus de prima Hesiodici carminis parte. Posterior magna ex parte φυσικὴ est, de natura terræ ac frugum, de tempestatibus, de syderum motibus, quarum rerum perliberalis & iucunda cognitio est. Nam cum hominum causa, & ad usus nostros hæc rerum natura condita & fabricata sit, flagitium est uelle totius pulcherrimam ædificij rationem contemplari, præsertim cum ea cognitio plurimum momenti adferat ad ualetudinem conseruandam, ad pleraſq; aliàs uitæ partes regendas. Quis est tam ferreus, quem si in theatro sedeat, cum ludi fiunt, non aliquando incessat spectandi cupido? & cum nullum spectaculum, nulli ludi, plus uoluptatis aut utilitatis adferre spectatori possunt, quàm hæc naturæ uarietas, mihi rectius uiua cadauera, quàm homines uidentur appellandi, hi qui neq; mentem, neq; oculos ad naturæ consideratione conuertunt.

Postremo ad parandam scientiam bene dicendi, non parum confert Hesiodus, nam lectis uerbis utitur, quæ tempestiue usurpata, & orationi dignitatem adferunt, & scientiæ pondus addunt. Quantũ putas accedit orationi grauitatis hac auxesi penè tragica,

tragica, cum Reges δωροφάγους appellat? quàm grata compositio est χειροδίκαι? Sunt hoc genus sexcentæ figuræ, quas non libet hic enumerare, ne quid amittant gratiæ ex integra oratione, uelut à corpore membra auulsa. Quid de tota orationis structura, deq; sententiarum figuris dicemus? quæ tantopere probantur Fabio, ut huic decernat in mediocri genere dicendi palmam: & Princeps Latinorum Poëtarum Vergilius, & Ouidius lectissimos locos in sua opera transtulerint, iudicarintq; non leue ornamentum inde accedere suis poëmatis. Reddet haud dubie & nostram orationem locupletiorem et uberiorem, nec male collocabit operam, si quis ad Græcũ exemplar, ea quæ nostri inde excerpserunt, contulerit, nam ita utriusq; linguæ proprietas certius deprehendetur, & figuræ uerborum & sententiarum animaduersæ, clarius cernentur. Profuerit etiam, si locum aliquem floridiorẽ tuo Marte Latinis uersibus exposueris, quæ exercitatio dici non potest, quantum acuat iudicium, quantum item ad alendam sermonis copiam, & comparandam scientiam explicandi res obscuras faciat: Sed hæc inter enarrandum obiter monebimus.

Quærat aliquis, quid hæc tota ratio discendi ad pietatem conducat? Est in promptu quid respondeam, ad immutandam mentẽ, imbuendaq; religione nihil

nihil conducit, nam id efficit cœlestis spiritus per sacrum sermonem, sed ad cognoscendum sermonem sacrarum literarum, Græcis literis opus est: deinde ut de sermone rectius iudicemus, & ut dogmata religionis enarrare & explicare, quoties poscit hoc publicus usus, possimus, uarie subigendũ est ingenium, & omnibus disciplinis excolendum. Nam ut neglectis filix innascitur agris, ita in ingenijs nisi repurgentur elegantiore literatura, uelut inutiles herbæ natæ, uim mentis omnem strangulant & enecant, ne aut peruidere res obscuras, aut publicare, & in apertam lucem proferre queant. Magna quædam uirtus est eloquentia, & ut ille in Tragœdia dixit, rerum domina, quo de obscuris rebus ordine ac dilucide dicamus: Ea nemini sine magno usu earum artium, quæ humanitatis appellatione continentur, uariaq; exercitatione contingit. Hæc mea ratio est, cur has artes profuturas etiam studijs religionis existimem, qua de re non dicam hic longius, ne uidear εἰς κεφάλαιον, quod dicunt, adferre, cum aliàs hanc causam egerim. Vos autem quantum possum hortor, ut quemadmodum initio dixi, constituatis ipsi uobiscum, quem fructum ex studijs petere uos conueniat, & ut eam rationem studiorum ingrediamini, unde plurimum utilitatis ad uos priuatim & ad Rempub. redit.

Est

Est aliquid quo tendis (inquit Pers.) & in quod
dirigis arcum,
An passim coruos sequeris testaq; lutoq;,
Securus quo pes ferat atq; extempore uiuis.

Ita mihi multi postquam bonam uitæ partem in studijs consumpserunt, nondum expendisse uidentur, quid agant, aut qua in re collocent laborem, quam messem à studijs expectent, ea uero non simplex insania est, fitq; ut dum diu didicere, nihilo certius de religione, deq; alijs rebus iudicent, quàm uulgus. Et si quando Respub. uocem uel consilium eorum flagitat, tum uero magis muti sunt quàm pisces. Verum ut uiator primum constituet, quo habeat iter, ita nobis in studijs ante omnia erat de fructu studiorum deliberandum: Postea ineunda ratio compendiaria peragendæ fabulæ. Ita cognoscendi legendiq; scriptores omnes, ut de religione, deq; natura teneamus certum quiddã quod promamus, quoties usus uitæ poscit, & paranda est copia sermonis, qua possis, cum aliqua res controuertitur, explicare animi sensa. Hunc putate scopum studiorum uestrorum propositum esse, ad quem omnes cogitationes animorum uestrorum dirigatis.

Dixi.

Præ-

PRAEFATIO IN HESIODUM, à Franciſco Vinarienſi recitata.

VUm de enarrando Heſiodo delibe rarem, inter cæteras difficultates, quas mihi id negocij ſuſcepturo propoſitas eſſe intelligebam, in mentem hoc quoq; ueniebat, non defuturos eſſe, quoniam non ita multo ante, is Poëta in hac ſchola luculenter enarratus eſt, quibus, ſi relegeretur, faſtidium repetitio adferret. Video enim non aliter atq; uulgo aiunt, nouas cantiones gratiſſimas eſſe, ita uos auidiſſime ad eos autores cognoſcendos, qui minime noti ac peruulgati ſunt, confluere. Quanquam igitur uerebar, ut accepturi eſſetis poëma, quod gratiam nouitatis paulo ante exuit, tamen confirmauit me eorum iudicium, de quorum conſilio Heſiodum enarrandum ſuſcepi, qui quod eius Poëtæ cognitionem maxime frugiferam & liberali ingenio digniſſimam eſſe ſtatuebant, ſæpe relegendum eſſe iudicabant. Nam cum magnam utilitatem habeat relectio, & diligentius expendantur, & altius introſpiciantur ea, quæ retractamus, ſunt enim, ut ſcitis, δὶς ἐυπτερα φερονθὶς ἐς σοφωτερα, fore arbitrabantur, ut neminem pœniteret

Hesiodum ex interuallo reguſſaſſe & propius cognouiſſe, cuius de omnibus officijs tam honeſta præcepta ſunt, tam multæ ſententiæ, quæ ad abditas & abſtruſas in natura res cognoſcendas faciunt, ut nunquam de manu deponendus uideatur. Nam qui numerat potius quàm longum catalogum authorum audierit, quàm ſupputat quid ex quoq; lucrifecerit, is ſciat ſe in ſtudijs infœliciter uerſari. Neq; uero multum utilitatis adferre ſcriptor ullus poteſt, ſemel tantum uelut à limine ſalutatus. Et Hesiodum ueteres non tantum putauerunt ſemel atq; iterum legendum eſſe, ſed ediſcendum omnibus pueris, qui liberaliter inſtituebantur, ut Columella teſtatur, proponebant. Ego igitur his cauſis adductus ſum, ut ſuſceperim hunc Poëtam rurſus interpretandum. Sed quoniam cupio uobis etiam perſuadere utilem operam uos in eo repetendo ſumpturos eſſe, aliquanto latius huius mei iudicij ratio mihi exponenda eſt, & dicendum, quomodo legere ueterum ſcripta conducat. Qua de re dum dico, quæſo me diligenter attendite. Nam qui in diſcendo nihil aliud conſilij habent, niſi ut multa legant, hi mihi tanquam uia lapſi, toto cœlo errare uidentur.

Proinde ſic ſtatuo, paucos quoſdam, eoſq; optimos ex illo magno librorum numero eligendos eſſe, quibus

quibus à prima puericia innutriti, omnes eorũ sententias, ut digitos ac ungues nostros, teneamus, & sermonem eorum, quàm proxime fieri potest, nostra oratio referat ac redoleat. Animaduerto autẽ hanc orationem in reprehensionem quorundam imperitorum, qui uarietate lectionis doctrinæ famam aucupantur, incursuram esse, qui me desidiam iuuentutis nouo quodam paradoxo alere uociferabuntur, cum audient me uariam & multorum lectionem improbare. Ego uero si quam nouam legem nullo autore, sine grauibus testibus ferrem, iure culpandus essem. Neq; enim uel ætas mea, uel eruditio, uel authoritas huiusmodi est, ut sumere mihi apud uos præcipientis personam ausim: uerum ea, quæ à doctissimis uiris tradita meminimus, quæq; mediocri harum literarum, in quibus uersamur, usu cognouimus, in medium afferre officij nostri esse iudicauimus. Horatius ait: Vel si cæcus iter monstrare uelit, tamen adspiciendum esse, si quid moneat, quod non sit inutile.

Quare uos rogo, ne grauatim tam uarijs opinionibus eorũ, qui discendi rationem tradunt, et meam sententiam audiatis, cui, nisi doctissimorũ hominũ testimonia suffragantur, non postulo ut accedatis: sin autem & locupletissimis testibus fidem fecero, & grauissimis argumentis ostendero, promiscuam

illam uariamq; lectionem non perinde iuuare studia, ut quidam existimant, nihil erit opinor, cur mihi quisquam hæc monenti succenseat. Sicut igitur prudentia est certum alicubi domicilium, certam sedem, certos habere lares: ita in studijs necesse est animum habere certos quosdam autores, ad quos se, quacunq; de re disputatio inciderit, referat, quos penitus notos habeat, quosq; de omnibus rebus in consilium adhibeat. Non uacat autem illi, qui in omnibus chartis excutiendis operam sumit, incertis aliquibus scriptis tantisper commorari, dum & penitus ea cognouerit, & ita imbiberit, ut planè in suam naturam uerterit. Neq; enim fieri potest, ut ait Xenophon, simul & multa quispiam faciat, eademq; recte faciat omnia: non enim potest se mens intendere in diuersa. Quare cum aliqua de re aut iudicandum est, aut dicendum, tum demum sudant illi, ac sentiunt in tanta copia, quàm sint inopes. Quia enim nullam certam supellectilem habent, unde depromant quæ usus poscit, itur ad bibliothecam, quæruntur indices, mutuanturà singulis autoribus sententiolas aliquot, quas cum in lucem proferunt, quia plerunq; male cohærent furta illa, nec inter se consentiunt, inuenias pleraq; illa nihil facere πρὸς ἔπος. Neq; uero legere se putet autorem is, qui obiter tantũ inspexerit ac salu-

ac salutauerit. Nam quemadmodum aiunt, amici sensum deprehendi non posse, priusquam cum eo multos salis modios ederis: Ita diu multumq; habendus est in manibus autor, iterum atq; iterum euoluendus, dum fiat satis familiariter notus, dum illius sententiæ, illius uerba sic insideant tibi, ut cum opus est, non procul accersenda aut quærenda sint, sed ultro se tibi offerant. Contra, quemadmodũ immodicus cibus, quia concoqui non potest, in crudos humores degenerat, qui non modo non alunt corpus, sed naturalem etiam succum strangulant: Ita cum multa legeris fortasis fiet, ut confusaneam quandam doctrinam tibi compares, sed illa magis hebetabit ac obruet ingenium quàm perpoliet. Nihil enim certi, non res, non uerba, in tanta uarietate lectionis reliquum tibi facies. Verba undequaq; emendicanda erunt, quoties dicere institueris, quorum mira dissimilitudo erit, neq; magis inter se similes sententiæ erunt ex uarijs locis autorum nullo iudicio aut delectu transcriptæ. Deniq; in tota oratione uelut ægri somnijs uanæ fingentur species, ubi non pes, non caput uni est.

Cum igitur hæc incõmoda secum afferat illa tumultuaria lectio, quid tandem rei est, cur non ingrediamur meliorẽ aliquam legendi rationem? cur non doctissimorũ hominum præceptis obtemperemus?

Neq; enim ignota est uobis sententia Plinij præcipientis, ut sui cuiusq; generis autores diligenter eligantur: multum enim ut ait, legendum est, non multa, quod sic accipiendum esse nemo dubitat, sæpe multumq; eadem esse relegenda, nec esse distrahendũ animum uarietate autorũ. Idem monet Seneca, certis enim ingenijs, inquit, immorari, ac innutriri oportet, si uelis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Non Delphicum ullum oraculũ uerius esse experiemini, si uestra studia ad calculos uocabitis, & ratiocinabimini, quantũ lucri attulerit aliquando unus autor ter aut quater relectus, & ad id conferetis ea, quæ ex multis alijs libellis obiter inspectis in animo hæserunt. Intelligetis enim multo uberiores fructus uos ex uno illo libro, quàm ex reliqua tota bibliotheca percepisse. Accedit huc, quod sicut alias artes imitatio docuit, ita in his nostris studijs, ni si ad aliquod certum exemplar dirigamus animum, nihil efficiemus dignum laude. Videtis enim eos qui sculpere, qui pingere, qui canere discunt, eligere aliquem magistrũ, cuius esse quàm simillimi studeant. Neq; uero exigunt hanc diligentiam inferiores artes & non flagitant eandem hæ maximæ uitæ, et regendarum Rerumpub. artes, in quibus uos uersamini. Non enim satis intelligitis quid oneris sustineatis, si non cogitatis has literas, ad quas adhibiti estis, comparandas

parandas esse, tum ad priuatam uitam rectè instituendam, tum ad ciuitates regendas, ad iudicia tenenda, ad religiones conseruandas, deniq; ad omnes uitæ partes gubernandas.

Quare si aliæ mediocres, & tanquam secundæ classis artes percipi non possunt, nisi ad certa exemplaria manus dirigatur, quanto minus has difficilio res consequemur, nisi proposuerimus nobis aliquẽ ad imitandum, quem tota mente, atq; toto animo intueamur, qui regat omnia consilia nostra, uel in dicendo, uel etiam in rebus gerendis. Nonne grauissimus Poëta Vergilius, cum significare uellet, quæ esset optima ratio Principis ad eximiam uirtutem instituendi, fingit Euandrum adiungere adolescentem filium Aeneæ, & præcipere gnato, ut inde à prima puericia Aeneam effingere & imitari studeat. Sic enim ad Aeneam ait, cum illi puerum commendat:

Sub te tolerare Magistro
Militiã & graue Martis opus, tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Sensit enim Poëta artem illam imperandi, unam omnium longe præstantissimã, neminem adsequi posse, nisi se ad alicuius summi uiri imitationem totum componat, cuius dicta, facta, cõsiliaq; omnia ob oculos posita habeat, ad quæ suum ipse cursum dirigat.

Quanquam autem hæ nostræ artes dignitate longe infra bene imperandi scientiã positæ esse existimentur, tamen difficultate illi pares esse nemo dubitare potest, si modo expenderit, quanti negocij sit, tam multarum rerũ cognitionem, præterea mediocrem quandam facultatem dicendi & exponendi, quæ recta esse perspexeris, parare. Est enim profecto una de difficilimis artibus, uel mediocris eloquentia. Quare si in leuioribus artibus sine imitatione effici nihil potest, eloquentiam ne putabimus nos sine illo adminiculo consequi posse? Ciceroni non uidetur: Nam apud hunc Antonius ante omnia præcipit, ut eligamus aliquem, cuius nos similes esse uelimus, & summa contentione animi effingamus, atque imitemur in illo ea, quæ maxime excellunt.

Quod si igitur imitatio tantopere necessaria est, nec imitari quenquam possimus, quem non penitus notum habeamus, non relinquitur dubium, quin diu legendi sint aliquot optimi libelli. Vt enim qui semel oppidum aliquod præteruectus est, non omnes urbis uicos, non ciuitatis mores, non hominum loci eius ingenia statim didicit: Ita consilia ac sententias, aut sermonis compositionem in autore, quẽ semel percurristi, nõ statim animaduertere potuisti, sed diu in eo commorandum est, si uoles altius introspicere.

ſpicere. Iam ut eius aliquam ſimilitudinem adſequaris, ut uerba illius in promptu habeas cum opus eſt, ui ſermonis compoſitio non ſit illi abſimilis, hoc uero ſine perpetua lectione effici non poteſt. An non uidemus pictores cum uultum alicuius depingunt, quàm ſæpe reſpiciant ad exemplar? quàm contentis oculis omnes lineas contemplentur? Ita nobis nunquam deijciendi oculi erunt ab eo autore, quem perdiſcendum in manus accepimus, quemq; imitandum eſſe aliquo modo duximus. Non diſputo nunc de tota imitandi ratione, ſed hoc monere tantum uolui, oportere nos in his ſtudijs noſtris habere certas quaſdam ſententias ſemper ob oculos, ex quibus uel de moribus uel de rebus alijs iudicium faciamus, & ad quas referamus nos, quacunq; de re diſputabimus.

Deinde quædam ſtruendæ componendæq; orationis tenenda forma eſt & character, ſimilis ueteri et pure Latino ſermoni, quorum utrunq; deeſt iſtis, qui unum hoc ſtudium habent per omnes autores graſſandi. Nam cum ſine delectu omnes ſententias congerant, non poteſt fieri, ut habeãt certas aliquas propoſitas, quas in iudicando ſequantur. Deinde citius tota rerum natura mutabitur, quàm fiet ut iuſta orationis ſtructura utantur hi, qui non ad aliquorum ex ueteribus imitationẽ ſeſe contulerint. Itaq; uidemus eorum orationem, qui quanquam multa le

gerint, tamen in componenda oratione, cum nullam ueterem formam imitantur, persimilem esse mendici pallio, cui passim lacerato, omnis generis panniculi assuti sunt. Nam tota istorum oratio ex dissimilimis & uerbis & sententijs congesta, aliàs longas habet circumductiones, aliàs abrupta quædam & mutila membra, aliàs obsoletas & ab ultima antiquitate petitas figuras, quas non intelligat si reuiuiscat ipsa Euandri mater, aliàs uocabula noua & in media barbarie nata.

Porro cum illa dissimilitudo obscuritatem pariat, & maximum uitium orationis sit obscuritas, quis tale dicendi genus non oderit? quis non fugiendum uelis, ut ita dicam, & remis sentiat? Quæ cum ita sint, quis non fateatur satius esse, paucos scriptores, sed optimos subinde legere eosq; familiarissimos nobis facere, quàm tumultuaria lectione per omnia bibliopolia uagari, præsertim cum hoc uitij habeat ea res, ut in multos malos libros opera collocetur, unde uelut contagione aut prauas opiniones, aut corruptum sermonis genus contrahas, quæ postea dedisce re immensi negocij est, præsertim si statim rude & recens ingenium infecerint. Nam si motus corporis uitiosus, qualem in Alexandro notauerunt, consuetudine duratus, corrigi postea nulla ratione potest, quæ spes est ex animo pernicioſas opiniones,

niones, cum iam alte radices egerunt, euelli posse, aut emendari sermonis uitia, quorum naturam tibi feceris? Danda igitur opera est statim ut optimis imbuamur, & perinde atq; uenena cauenda sunt & procul arcenda, quæ sunt optimis dissimilia.

Habetis mei consilij rationem, cur ut quisq; autor optimus est, ita sæpissime relegendum esse existimem, quod quisquis sequendum sibi esse statuet, is re ipsa experietur unam hanc esse ad solidam eruditionem comparandam uiam, aliorum uero laboribus ac uigilijs fructum minimè respondere. Sed cum Hesiodum semper doctissimi homines plurimi fecerint, ex eo genere autorum mihi esse usus est, qui non semel tantum inspiciendi sunt: Quare eum, quanquam non planè ignotum uobis relegendũ sum pſi. Neq; meum consilium reprehendetis, opinor, si cogitabitis, quantas utilitates, tametsi exiguus libellus, adferre queat. Et quia principio in omnibus negocijs constituendũ est, quæ utilitas ex unoquoq; genere laboris petatur, nos quoq; monebimus, quid expectare ac flagitare commodi ex Hesiodi lectione de beatis. Est enim ex omnibus autoribus uel uerborũ uel rerũ scientia petenda. Hesiodus autem Græce doctis magnum uocabulorũ numerũ suppeditat. Et quoniã alicubi hilariores descriptiones cõtinet, etiã hi qui Latine discũt ab eo quædã honesta exẽpla

copiosi

copiosi sermonis, & rationem quandam ornandarum sententiarum mutuari possunt. Nam & si lingua diuersa sit, tamen uoluntate Græcis Latini, in disponenda, amplificanda, atq; illustranda oratione similes sunt. Itaq; duo summi apud Latinos Poëtæ, Vergilius & Ouidius, non modo locos eius quosdam imitati sunt, sed multos uersiculos penè ad uerbum expresserunt, quorum exempla nos commonefaciunt, quomodo ad nostros usus, non tantum certi quidam flosculi ex huiusmodi autoribus decerpendi sint, sed in omni sermone inueniendo prudentia, in explicando proprietas, perspicuitas, & copia, in disponendo diligentia imitanda sit.

Sed de hac parte quia satis dici, nisi inter enarrandum conferantur Latina cum Græcis, & omnes figuræ digito ostendantur, non potest, nolo in præsentia longior esse, sed in interpretatione uelut in re præsenti indicabimus, quos locos hinc sumpserint scriptores Latini, & quid imitari, quidq; excerpere ipsi debeamus. Etenim tametsi adpareat propter utilia præcepta magis quàm propter uerborum ornatum in admiratione hoc poëma fuisse, tamen quantumuis res salubres nemo legisset, nisi commendationem quandam habuissent ex genere sermonis, & gratiam elegantia carminis addidisset. Neq; profecto uetustatem ferre potuisset, nisi rerum grauitati

uenu-

uenustißimum genus uerborum tanquam illecebras quasdam adiunxißet. Non est autem obscurũ quantum amarint Græci hoc carmen, quanta cura adseruauerint, quia Pausanias ait se uidisse in Helicone antiquißimum monumentum plumbeas tabulas, in quibus hoc poëma scriptum fuerat. Sed uenio ad alteram partem, et exponam quid ad rerum scientiam lectio eius conducat, in qua profecto nõ minus quàm in uerbis elaborandum est. Quia non modo inanis est oratio, nisi res honestas & utiles contineat, sed etiam copiam omnem dicendi rerũ scientia genuit. Non Dij tantum mali permittant, ut cadat in eos eloquentia, qui nulla uirtutis præcepta, nulla officia, nullas uitæ leges, nullas religiones norũt, quiq; nullam naturalium causarum ac euentuum cognitionem habent. Nam & Horatius eum qui à rerum cognitione non satis instructus est, negat idoneum esse ad scribendum, cum ait:

Scribendi recte sapere est & principium et fons.

Et multis uersibus exponit postea, quarum rerum scientiam requirat in eo, qui se disertum perhiberi uelit. Proinde ita inducite animum, ut sentiatis uobis in hoc curriculo studiorum, primum magnam quandam & copiosam uerborum supellectilem parandam esse, ut explicare, cum de grauibus rebus alij docendi à uobis erunt, cũ dignitate res obscuras, eisq;

eisq; lumen addere poßetis: deinde etiam omnium rerum percipiendam doctrinam eſſe, quæ tum ad noſtram uitam recte inſtituendam, tum ad orationem illuſtrandam conducunt: Etenim cum aut de natura rerum, aut de moribus, aut de religionibus in hac ciuili uitæ conſuetudine ſæpe docendi ſint homines, erit planè ὃν & πρὸς λύραν, is, qui quanquam mediocris uerborum copia in numerato ſit, tamen res non ſatis perſpectas & exploratas habet. Neq; enim dicere quiſquam de re parum nota perſpicue poteſt, ut & apud Platonem Socrates inquit, & ſæpe monet Cicero, & Horatius cum ait:

Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur:

ſignificauit fieri non poſſe, ut ſe ultro magno numero offerant uerba, niſi cauſam bene meditatam habeas. Quod cum ita ſit, non ſunt prætermittendi libri, qui de rerum natura, aut de moribus præceperunt. Neq; tamen legendi omnes, ſed eligendi optimi, quiq; alere eloquentiam poßint, quia ferè in barbaris ſcriptoribus non tantum ſermonis ſpurcicies, ſed etiam alia uitia ſunt. Plericq; res quas profitentur non ſatis notas habuerunt, pleriſq; ratio docendi defuit, & ſi rerum peritia non defuerit, qua de re nunc longius dici non poteſt. Heſiodi autem prior libellus totus ἠθικός eſt, poſterior dum agriculturæ præcepta tradit, ortus & occaſus ſyderum, multaq;

alia

alia quæ ad naturam cognoscendam faciunt, complectitur. Requiretis igitur ex priore libello morum præcepta, quoniam nisi certis legibus & sententijs moniti & adsuefacti, honesta à turpibus discernere didicerimus, & amplecti ea quæ decent, fugere contraria conemur, recte institui uita non potest. Honestißimæ quæq; grauißimæq; de omnibus officijs sententiæ ob oculos esse positæ debent, ad quas omnes uitæ partes, uelut ad Cynosuram cursum suum nautæ dirigunt, comparemus. Sed quoniam Hesiodi præcepta quibusdam ideo parum probantur, quia gentilis homo uidetur aliena & pugnantia cum nostra religione docuisse, hic error uulgo eximendus est.

Quanquam autem longior est illa disputatio, quàm ut hic explicari tota possit, tamen iudicaui operæprecium me facturum esse, si exponerem quæ uis sit, quæq; autoritas eorum præceptorum, quæ tum Hesiodus, tum alij multi sapientes & docti uiri cum animaduertissent, nobis à natura proposita esse, deprehensa exposuerunt, & in literas retulerunt, ut commonefacerent eos, qui propter infirmitatem ingeniorum aut ætatis, aut etiam consuetudine in tot malis exemplis deprauati, cernere ipsi eadem non possent. Proinde sic statuemus, nihilo minus diuina præcepta esse ea, quæ à sensu communi

communi & naturæ iudicio mutuati docti homines gentiles, literis mandarunt, quàm quæ extant in ipsis saxeis Mosi tabulis. Est enim in confesso humanæ menti diuinitus insculptas esse quasdam leges de moribus, quales sunt: Neminem lædendum esse: colendos esse parentes: bene merentibus habendam esse gratiam: Magistratibus parendum esse: alendos & defendendos esse eos, qui nostræ fidei commissi sunt: pacta seruanda esse. Has cum sani quidam homines deprehensas ostenderint imperitis, quid est cur non & uocemus diuinas leges, & pareamus eis tanquam diuinæ uoci? Neq; ille ipse cœlestis Pater pluris à nobis fieri eas leges uoluit, quas in saxo scripsit, quàm quas in ipsos animorum nostrorum sensus impresserat, quasq;, ut Paulus ait, in cordibus hominum scripserat, de quibus sic inter se omnes homines consentiunt, ut nulla tam fera barbaries sit, nulli tam perdite mali, qui non & sentiant & fateantur recta esse, quæ illæ sententiæ præscribunt, quiq; cum non obtemperarunt, non ipsi peccatum accusent ac damnent suum, quiq; non uereantur numen existere aliquod, cui, uel si nulli unquam mortales resciscãt factum, pœnas daturi sint. Nulla tam immanis natio est, quæ non tacitè maleficos, crudeles, ingratos oderit ac aspernetur, probetq; ea quæ societatem inter se generis humani deuinciunt. Nam & hos qui

hospites

hospites mactant, qui senes patres trucidant, qui nullam coniugiorum fidem colunt, si admoneantur, natura fateri cogit, indigna se hominibus facere. Iam in his, qui sibi alicuius flagitij conscij sunt, cruciatus & terrores tanti mentem exagitant, ut adpareat diuinam quandam uim esse, quæ admißi sceleris pudere cogat, quæq; impendentis supplicij metum incutiat. Sunt igitur in humanis animis certæ de moribus leges, quæ tum priuatam uitam regũt, tum constituere ac tenere Reſpub. iudicia exercere, & societatem hominum defendere docuerunt. Et ut fatemur nos diuinitus conditos esse, ac propagari, ita dubitare non debemus, quin è cœlo in hanc uitam attulerimus illas uitæ leges, & illos ignículos, qui & ostendunt honesta, & admonent semper præesse numen, & inspectare omnia hominum consilia ac facta, deq; sceleratis supplicium sumere solere. Paulus alicubi huiusmodi sententias ueritatem Dei adpellat, cum uellet significare has opiniones non errore quodam à maioribus per manus esse traditas, nec temere uel obrepsisse nobis, uel in animis hærere, sed adeo mentibus nostris infixas esse, ita, ut eijci aut erui nulla ui possint. Ego cum expendo authoritatem harum legum, & animaduerto, quàm religiose coli eas Deus postulet, commouer profecto, & earum scriptoribus magis capior:

Agnosco enim non sine mente, ut ille ait, sine numine diuum, hæc ab illis nobis uiuendi præcepta tradita esse. Quare non satis intelligunt horum scriptorum consilia, qui non perspiciunt unde tot honesta præcepta, tot graues sententiæ manarint. De religione aliter docent nos Christianæ literæ, sed de ciuilis uitæ consuetudine, cõmunibus naturæ præceptis parere nos Christus uoluit: Neq; uero nihil ad Christianũ pertinet ciuilis uitæ consuetudo. Non sunt igitur prætermittenda, si qua docti & periti homines ea de re monuerunt. Nullius autem Philosophi commentarios Hesiodo præferri uelim, tanta est & grauitas in docendo & simplicitas. Illi sæpe, dum ad uiuum omnia resecare student, dum odiose rixantur, altercando ueritatem amittunt. Nam, ut alia omittam, pleriq; Philosophorum, Deum administratione rerum submouent, negantq; ei res mortalium curæ esse. Neq; animaduertunt, ab ipsa natura nos cõmoneri, esse aliquam mentem, quæ hæc humana regat, bonos seruet, improbos puniat. Melius igitur Hesiodus, qui iniustitiæ præceptis flagitiosis grauissimas pœnas interminatur, præmia bonis pollicetur. Venit mihi in mentem Luciani, qui, ut solet, per iocum cum Hesiodo expostulat, cur, cum pollicitus sit se scripturum τὰ ἐόντα καὶ τὰ ἐσόμενα, præsentia & futura, nihil tamen præ-

dixerit

dixerit, nulla rerum futurarum uaticinia reliquerit. Ego uero non tam uaticinari duco Chaldæos illos, quos uocant, qui prædicunt, uter in alea, seu ludo talorum uicturus sit, aut etiam, qui tempestatum uices præuident, quàm Hesiodum ex consilijs hominum exitus & casus coniectantem. Ea diuinatio & ex certißimis orta causis est, & bono uiro dignißima, qua & multos alios & Platonem usum de Dionysio uidemus, quando calamitosum Tyrannidis exitum prædixit. Neq; aliud prædictionum genus ad uitam utilius est: cui si Nero, si Domitianus, & pleriq; alij fidem potius adhibuissent, quàm uanis promißis ariolorum, in tantas calamitates non incidissent. Nos uero cum Hesiodum audimus commemorantem, quæ supplicia improbis impendeant, non humana aliqua, sed diuina uoce nos à turpitudine absterreri, & ad uirtutem colendam inuitari existimemus.

Dixi de argumento prioris libelli, posterior ortus & occasus syderum, & pleraq; φυσικὰ continet. Et quia solent in scholis quidam technici libelli de natura rerum proponi, quales sunt uel de sphæra cõmentarius, uel Aristotelis μετεωρα, uel de cœlo: uidetur mihi in his etiã aliquis locus Hesiodo tribuendus esse, quia temporũ uices, ortus syderum, dierum spacia, mira diligentia annotauit, uideturq;

inter primos apud Græcos Astronomiam attigisse. Nec eius artis contemnendus autor Aristoteli, & Plinio uisus est, qui aliquoties eius testimonium allegant. Est autem cum omnium naturæ partium, tum maxime cœlestium motuum, & syderum perliberalis cognitio. Nec mihi iniuria Plato dixisse uidetur, non homines, sed suillum pecus esse, quicunq; nullo eius artis studio tenentur. Nemo enim fuit unquam sanus homo, qui etiamsi alias artes hominum industria excogitatas esse iudicaret, non uideret tantam esse Astronomiæ præstantiam, ut neminem nisi Deum authorem eius, & repertorem faciendum putaret. Itaq; & Manilius Ethnicus scriptor, negat potuisse fieri, ut res tam procul à nobis positæ deprehenderentur, nisi hominum animis diuinitus monstratæ essent. Sic enim ait:

Quis foret humano conatus pectore tantum,
Inuitis ut Dijs cuperet Deus ipse uideri.

Sensit enim quandam diuinitatis similitudinem esse illarum rerum noticiam potuisse consequi. Non libet autem hoc tempore utilitates huius artis enumerare, sunt enim propemodum infinitæ, & quædam ita sunt ob oculos positæ, ut etiam ab indoctis cerni queant.

Cum

Cum igitur Hesiodus grauissimarum rerum præcepta contineat, & ad mores formandos, & uitam recte instituendam, & ad cognitionem rerum naturalium conducat, quis non dignissimum lectu iudicare queat? Ego uero etiam sæpe relegendum, & ad uerbum ediscendum esse censeo. An si in excellentibus picturis contemplandis nunquam oculi exaturantur, sed quo diutius in eis hærent, eo magis admiratio, uidendiq; cupiditas crescit, quis enim nostrum, quoties in templum uenit, non toties resistit ad eas tabulas, quas ibi uel Durerus, uel noster Lucas posuit, non idem accidat in egregio poëmate considerando? Truncum ac caudicem illum profecto dicere nihil uerear, cui satis est semel aut iterum excellens, & ornatum carmen legisse. Proinde, sicut apud Vergilium mirabili cupiditate ac lætitia intuetur cœlo demissum clypeum Aeneas, & argumentum in eo cælatum diligenter considerat, cum quidem eum non modo operis uarietas, sed etiam illa rerum futurarum præstigia & commouent & detinent, deniq;

Expleri nequit, atq; oculos per singula uoluit:
Miraturq;, interq; manus & brachia uersat.

Ita & uos nunquam satietas, aut fastidium legendi Hesiodi capiat, sed in eum assidue oculos defigite, omnes locos diligentissime excutite, & sententias

eius uobis ita familiares facite, ut quoties aliqua de re deliberabitis, in mentem uobis illa honestißima præcepta ueniant. Multum etiam sermo uester ab illo transferat, ac mutuetur. Nos quidem quantum in hac ingenij, atq; eruditionis mediocritate præstare poßumus, dabimus operam, ne quem pœniteat nobis enarrantibus hunc Poëtam operam dedisse.

DIXI.

Præfa-

PRAEFATIO IN HOMERVM
Viti Vuinſemij.

VM interpretationem Homerici poëmatis paucos poſt dies auſpicaturus eſſem, uiſum eſt hoc in loco eam prælectionem, atq; hæc ipſa ſtudia, Adoleſcentibus, ut poſſem, oratione commendare: Idq; ego tam commode me facere poſſe optarim, quàm, ut res commendatione digniſſima eſt, ita hoc præſertim tempore, atq; in tam corruptis hominum iudicijs ea uehementer opus habet. Cum enim hæc admiranda dona Dei literarum uidelicet, & humanitatis ſtudia animo conſidero, quibus poſt Chriſti Euangelium hic orbis nihil præclarius habet, nec diuinius, & contra quanta cæcitate, quàm prodigioſis, & pluſquã Cimmerijs tenebris inuolutæ ſint hominum mentes, quæ hæc uera & maxima bona adſpernantur, atq; ingenti contentione non modo deteriora, ſed etiam perniciоſa & exitialia ſibi ipſis, cupiditatum ſuarum & uoluptatum inſtrumenta ſectantur: Hæc, inquam, cum apud animum expendo, uehementer commoueor, uenit enim mihi in mentem, quàm denſa caligine, ac uelut atra nocte circumfuſa ſint hominũ corda. Nec amplius miror, ſi in rebus diuinis, & ſupra

captum humanum positis cæcutiunt homines, cum hæc sua & quidem propria bona, ad quæ diuinitus conditi sunt, quæ agnoscere & amplecti poterant, ita pedibus proculcare uideo. Proijcimus hæc studia humanitatis, proq; nugis ea ducimus, quibus illa pars nostri, quæ sola hominis adpellationem meretur, quæ ad imaginem Dei, ad immortalitais, & ueræ æternæq; fœlicitatis possessionem condita est, excoli atq; excitari debebat, proq; ijs, nescio quas præstigias obiectas à Satana, & inanes umbras, insano cæcoq; impetu consectamur, & hunc solem adhuc intueri non reueremur. Abducit ille perennis humani generis hostis animos nostros, quibuscunq; potest dolis, ab admiratione & amore ueri boni, specieq; falsa præstringit oculos, atq; ita occæcat, ut quiduis potius uideamus & amplectamur, quàm quæ præcipue uidere & amplecti debebamus.

Accidit q; Musis & his studijs hoc tempore in mundo, quod Strabo cuidam Cytharœdo olim apud Iassum accidisse memorat. Qui cum in theatro eius loci erudite, ac suauiter caneret, audirentq; eam Iassij, statim ut increpuit tintinabulum, quod signum illis erat uenum expositorum piscium, illico omnes Cytharœdo relicto, ad pisces emendos dilapsi sunt, præter unum surdastrum, qui cum sonum tintinabuli auditu non percepisset, solus remansérat.

Ad

Ad eum igitur conuersus cytharœdus: O Homo, inquit, gratias tibi ingentes habeo, cum propter Musicæ studium, tum propter honorem erga me, quod non sicut cæteri statim ad crepitum tintinabuli foras proiecisti te, ut pisces emeres. At ille: Quid ais? num iam tintinabulum sonuit? Qui cum affirmaret: At tibi bene sit, inquit, ac surgens protinus ipse quoq; foras ad emptionem piscium procurrit, estq; cytharœdus solus destitutus, nec in tanta urbe repertus est quisquam, qui pluris Musicam, quàm putridos pisces faceret.

Ita his temporibus hæc studia quoq;, & literæ negliguntur. Proruit se quisq; ad sordidas & quæstuosas artes, diris cupiditatibus & uentri seruiunt, præter illum nullum Deum norunt. Vt ingenium, ut partem meliorem ac diuiniorem sui excolant ornent ue, perpauci curant. Vtq; in turbulento & ebrioso conuiuio, homines nugantur, rident, uociferantur, perstrepunt, ludente aliquo insigni Musico, nec aduertunt, nec auribus animis ue accipiunt illam suauitatem Musices, aut perfruuntur ea: ita hoc seculum suis cupiditatibus uelut ebrium & amens non exaudit uoces Musarum, nec attendit animum. Qui uero sua autoritate & opibus præcipue hæc studia prouehere atq; ornare debebant, hi cum pleriq; ipsi Barbari sint & inculti, impendio ma-

gis ea oppressa & delcta cupiunt. Vtq; Herodes Rex Iudaicæ gentis, cum ex humili & obscuro loco ad Regios honores euectus esset, iussit omnes libros, in quibus genealogiæ continebantur, incendi atq; aboleri, ut ita discrimine nobilitatis & ignobilitatis sublato, sui quoq; generis obscuritas minus infamis esset: Ita homines ineruditi literas et oderunt, & abolitas cupiunt, sperantes hoc modo suam quoque insciti am facilius posse latere. Sic fit, ut ab alijs infestentur, ab alijs destituantur literæ: alios aliò abripit cæca cupiditas, & quiduis potius quàm uera bona admiramur, imò ea ne agnoscimus quidem. Ita Satanas mentes humanas suis compedibus constrictas tenet, & quoquò ipse uult, transuersas abripit, ac reuera nunc minima de malis insciti æ turpitudo ducitur, qua nisi uecordes, & uelut mente capti essemus, nihil tristius, aut magis fugiendum iudicaremus. Interim alij honores, alij fœdissimas uoluptates, pleriq; opes & pecuniam sectantur. Hæc sola bona ingenti mercede licentur, uitam atq; animam, ut ille ait, lucro uendentes. His fœlicitatem metiuntur miseri, qui non expendunt, quàm sæpe leui momento infœlix illa fœlicitas non interpellari modo, uerum et prorsum euerti soleat: Docuit hoc multos experientia stultorum magistra. Sed quid nos interim dicere oportet? uidemus hoc communiter accide

re rebus

re rebus optimis, ut eædem sint contemptißimæ, & contra peßimis, ut maximi fiant. Ergo si idem literis & huic doctrinæ humanitatis accidit, non nouũ aut mirum nimis id nobis uideri debet, neq; nos corruptißimo uulgi iudicio & errore ab his studijs amandis colendisq; abduci decet. Hæc ut præfarer cũ de Homero & his nostris studijs dicturus essem, res ipsa & indignitas me mouit. Quis enim non commoueatur, qui hunc tam insignem contemptum rerum optimarum uideat? Vos pro uestra humanitate hanc nostram querelam, quam mihi expreßit dolor meus & indignitas rei, boni consuletis.

Atq; ut ad id, de quo in præsentia instituta est, se referat oratio, Homeri poëma, ut dixi, Dijs bene fauentibus, interpretari decreui: De eo in præsentia breuiter præfari constitui. Atq; utinã ego illud tam possem adolescentibus oratione commendare, ac dignis laudibus ornare, quàm nunquam satis potest pro dignitate celebrari, exuperatq; Homeri splendor omnem orationem. Sed tamen ut magna numina nonnunquam farre & sale coli solent, ita nos si quid pro nostra tenuitate poterimus, ad tanti scriptoris præconiũ conferemus. Nec uero hic de natalibus, patria, & uita Homeri nobis oratio erit, hæc enim ab alijs satis accurate & fuse explicata, qui uolent requirere poterunt: de Poëmate ipso, & utilita-

te,

te, quam studiosi inde capere possint, breuiter, atq; ut patietur hæc temporis angustia, agemus. Nam qui ita euoluunt Homerum, ut nihil hinc nisi uoluptatem uenentur, & sententiolas quasdam ceu flosculos hinc inde collectas: hi perinde faciunt, ut si quis fertilissimum agrum tantum animi causa colat, ut floribus in eo natis aliquando se coronet, fructuum, quos inde uberrimos percipere poterat, curam planè negligat, hunc aliquis recte, opinor, œconomum parum prudentem dixerit. Etsi enim uoluptatem ex lectione Homeri tantam, quantam uix ullo alio ex autore, capere licet, quod natura ferè ita comparatum est, ut cum summa utilitate, summa ac uera uoluptas coniuncta sit, non tamen ea præcipua cura esse debet, sed est alia maior & potior, nempe, ut quemadmodum in sua re familiari cauti patres familias solent, ita initio statim nobiscum rationem ineamus, ecquod operæprecium facturi simus euoluendo hoc uel illo scriptore. Quod idem si in Homero discendo faciemus, tum nobis statim se offeret infinitus utilitatũ cumulus, et uelut μυριάκις ἀγαθῶν, quæ affatim, & pleno, quod aiunt, sinu ex hoc scripto petere possimus. Quæ si quis singula oratione comprehendere aut enumerare conetur:

Lybici uelit æquoris idem (ut Vergilius ait)
Dicere,

Dicere, q̃ multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut ubi nauigijs uiolentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionij ueniant ad littora fluctus.

Ego igitur, ut uerum fatear, & si non ita oblitus sum mei, ut hoc mihi sumere ausim, me illas ingentes & innumerabiles Homerici poëmatis diuitias omnes cernere aut cognoscere posse, cui haud dubie uix minima pars earum nota est, tamen hoc planè mihi accidere sentio, ut, quemadmodum ille ait, inopem me copia faciat. Multiplicia enim me hoc scriptum intuentem ab omni parte uelut diuina miracula occurrentia, attonitum, suspensumq; tenent, ut difficile sit, unde exordiar, aut in quo desinam, statuere. Vereor enim, ne mihi accidat, quod ijs, qui re multum ac diu deliberata, ex ingenti rerum preciosarum aceruo certa quædam κειμήλια eligere debent, hi præ nimia cura & dubitatione nonnunquam deerrantes, optimis relictis, minus preciosa secernunt. Ita ego quoq; uereor, ne melioribus, & quæ alij fortasse magis admirentur, præteritis, deteriora legam: uerum ut ut hoc animaduersum erit, non equidem in magno pono discrimine. Non enim me fugit, ut radijs solaribus oculorum acies sensusq; uincitur, ita fulgore Homerici carminis ingeniorum aciem præstringi solere. Nos tamen uelut mare angustis fistulis includentes, pauca quædam de re

infinita

infinita colligemus, & quæ nobis præcipue admiranda in hoc poëmate uisa sunt, strictim ac breuiter recensebimus.

Ac primum quidem sic statuo, nullum unquam scriptum, inde usq; à primum condito orbe, ulla in lingua aut natione, ab ullo humano ingenio æditũ esse, sacra ubiq; excipio, in quo uel doctrinæ tantum sit, uel elegantiæ & suauitatis. Audacem hunc esse sermonem, plenumq; inuidiæ non ignoro: Sed idem non dubito, quin liberaliter instituta ingenia, & quibus modo leuiter, ac primoribus, quod aiunt, labijs est degustatus Homerus, uehementer in hoc mihi assentiantur. Nam ut nunc non dicam de ea doctrina, quæ rerum naturã continet, quæ cœlestium orbium syderumq; uices, ortus & obitus tradit, quæ temperaturæ humani corporis harmoniam, membrorũ συμμετρίαν, uariasq; affectiones ostendit: non dicam de reconditis illis literis, quibus ubiq; plenum et confertum est Homericum poëma, non enim hæc tẽporis breuitas singula nos recensere patitur: Ad hæc nostra & notiora ueniamus. Quod enim dabitis mihi præceptum ad mores, ad uitam bene ac fœliciter instituendam, unquam à uiris sapientibus proditum, cuius non sit in Homero aliquod speciosum & illustre exemplum? Quod in uita officium, aut quod omnino negocium, cuius non in eodem expressa

pressa sit imago? Suntq; de omnibus rebus & negotijs cogitationes, quæ quidem ab ulla humana mente concipi possunt, humanissimæ, dulcissimæ, & simul sapientissimæ. Quid enim suauius, aut magis ἀθικόν cogitari, quid grauius moneri potest, quàm quod ipse aliquot locis in suo poëmate ijs, qui nec iniusta de causa irascuntur, decantat, ἀμείνων δ' ἀίσιμα πάντα. hoc est, moderatione, placabilitate, & clementia omnibus in rebus nihil melius esse? Quid iustius aut humanius illa uoce Diomedis in 9. Iliados, In concilio illam primam legem sanciri, ut sit libertas dicendi, & patientia audiendi? Non uidemus quàm hoc seculũ nulla re magis laborat, quàm quod potentiorũ aures non modo linguam liberam, sed ne cogitationẽ quidem libertatis memorem ferre possunt? Quid magis heroicum, q̃ quod Hector ait:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Vnum auspicium fœliciſsimũ, fortiter depugnare, & honestè cadere pro patria? Quam sententiam si ob oculos & in animis scriptam hoc tempore Principes haberent, non uidissemus Turcas toties iam Germaniæ & Christiano orbi ita impune insultantes, nec eorum aduentum adeo perhorresceremus. Quid diuinius, quàm quod præmatura morte, & inter primos cadere eum scribit, qui nutricationis gratiam parentibus non persoluerat? Item:

οὐκ ἀρετᾶ κακὰ ἔργα, νικάνει δὲ κοὐ βραδύς ὀνύξ.

id est, non peruenire ad frugem, nec fœlicem successum sortiri malefacta, & uirum improbum, quantumuis celerem, & ad fallendum instructum, deprehendi tamen & quidem à claudo. Neq; dubium est, quin hoc genus sententiæ primum à sanctis patribus proditæ, & ad posteros propagatæ sint: deinde ab alijs ad alios successu temporum, uelut per manus traditæ, ad tales tandem uiros permanauerint, à quibus his monumẽtis insertæ sunt, ut uelut in illustri & conspicuo positæ loco, ad omnem posteritatis memoriam retineri, & cum admiratione spectari possent. Plenum est poëma Homeri talibus sententijs, quæ uelut pondus & autoritatem legum habent, quæq; merito ut oracula aut diuina responsa singulari cum religione obseruari, memoriæq; mandari, & semper ob oculos haberi debebant. Quodq; de Euripide Cicero dixit. Se singulos eius uersus, singula testimonia putare, id multo uerius de Homero dici posse uidetur, cum Euripides, reliquiq; Poëtæ, uelut riuuli ex Homero, ceu perenni fonte scaturiant.

Traduntur in unaqualibet arte principia quædam, & communes noticiæ, ad quas, qui in ijs uersantur artibus, uelut ad Lesbiam regulam cogitationes

tiones suas dirigunt. Meministis, Adolescentes, Maximas in Dialectica uocari à Boëtio, id genus cõmunes προλήψεις: Talibus, inquã, Maximis constat totum poëma Homeri, hoc est communibus & utilissimis regulis ac præceptis morum, uitæq;, & ciuilium officiorum, quarum in omni uita & actionibus usus latissime patet, multa docet, multa sapienter monet, instillat teneræ ætati honestissimas & suauissimas noticias, modestiæ, uerecundiæ, ac reliquarum uirtutum: Suauitatis & humanitatis morum nullus eo melior Magister: præstat ac efficit quandam, quasi experientiam rerum in iuuenibus, quæ laus alioqui ut summa est, ita soli senectuti tribuitur. Nota enim est sententia Latini Poëtæ:

Non omnia tardior ætas
Quæ fugiamus habet, seris uenit usus ab annis.

Hoc uero diuinum beneficium præstat lectio Homeri, nempe, quod ingenium iuuenile, senili prudentia imbuit, ea enim, quæ senes per longi temporis usum deprehendere solent, quæ illos docet numerosa series annorum, & uarij rerum ac uitæ humanæ casus, ex hoc poëmate per compendium tanquam è thesauro aut fonte petere atq; haurire licet. Non paulo enim fœlicius hic traditur doctrina recte et beate uiuendi, quàm in ullis Philosophorũ monumentis, ut uere de Homero dixerit Horatius, Quod ille:

Quid sit turpe, quid pulchrum, quid utile, quid nõ, Plenius et melius Chrysippo et Crantore docuerit.

Inuoluit uero hæc grauissima ac sanctissima dogmata dulcissimis & iucundissimis iconibus Poëticis, ut ingenia liberalia & συζητικὰ, cum quadã, ut ait Plutarchus, εὐμουσίᾳ erudirentur.

Neq; τὸ ἠθικὸν, hoc est, uenustas et suauitas morum, ingenijq; moderatio ac humanitas ullo in scripto ita expressa est, ut in Homeri poëmate. Quapropter, si uerum est quod dici solet, studia abire in mores, ita ut uerum est, fieri non potest, quin humanissimi & dulciß. Poëtæ tractatione, ingenia quoq; miteſcant, fiantq; humaniora, & magis placida. Hoc credo uiri magni & præstantibus ingenijs præditi animaduertentes, alij poëma Homeri humanitatis officinam, alij fõtem omnis suauitatis & uenustatis adpellarunt. Plinius primum liberalioris doctrinæ, & antiquitatis parentem Homerum uocat, Plato optimũ uitæ Magistrum. Atq; ut intelligamus istos magnificos titulos uerè Homero tribui, intueamur poëma eius, totum nobis corpus proponamus, ne ut in disiecta statua ex mutilatis partibus, & membris, facienda sit coniectura.

Duplex est poëmatis Homerici argumentum: Alterum Ilias, alterum Odyssea inscribitur. In Iliade Plutarchus robur corporis, in Odyssea uires ingenij

ingenij celebrari ab Homero existimat. Describitur autem in Iliade bellum, ut fama nobilißimum ita honestum ac pium, quod Græci contra Barbaros pro defensione pudicitiæ coniugalis, ut ulciscerentur adulterium, & uiolatam hospitij fidem, gesserunt. Odyssea continet errores Vlyssis, sub cuius imagine Poëta uirum sapientem ac politicum, uarijsq; fortunæ procellis iactatum, et qui fortunã cõsilio regere ac moderari sciret, describere uoluit.

De qua parte, cum eam prius interpretari decreuerimus, pauca in præsentia mihi dicenda esse duxi. Ac primum hoc non est dubium, quin in Iliade militiæ belliq; artes, in Odyßea togæ & pacis describere, atq; ita in toto poëmate utroq; genere artiũ tale ingenium, quod Rempub. aliquando gubernare deberet, informare, erudire, ac præparare uoluerit. Pingit igitur in Vlysse imaginem quandam ciuilis, & togatæ uitæ, in Iliade uero militaria exempla proponit. His enim artibus Respub. ac regna parantur, tenentur, regunturq;, & his artibus instructum esse oportet, quicunq; Rempub. est aliquando tractaturus. Notus est enim eiusmodi Homeri uersus, quo Alexandrum Magnum ita delectatum ferunt, ut eum semper in ore habuerit:

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθός κρατερός τ' αἰχμητής.

Sed age uideamus, quid illi uiro tribuat, quem politicum, quem Principem in Repub. quem ijs ingenij dotibus, ijsq; artibus ac uirtutibus præditum fingit, quibus ciuitates in pace florere ac gubernari solēt, id enim argumentum nostro instituto propius esse uidetur. Primum tribuit ei ingentem amorem erga patriam, eum enim post Deum primum gradum pietatis, primum iusticiæ esse scimus. Et Solon apud Crœsum, ut Herodotus refert, primum fœlicitatis gradum adsignat illi, qui pro patria mortem oppetijsset: proximum ei, qui pietatem parentibus præstitisset. Vt igitur ille amor patriæ, in hoc uiro effunderet sese, & illustrior fieret, fingit Poëta multiplices occasiones, & uaria impedimenta, quibus eius in patriam reditus interpellatur, cum quibus omnibus ille consilio, ratione, uiribus animi pugnat & ex omnibus his tandem eluctatur. At qualem ille patriam tanti facit? nempe sterilem, angustamq; insulam, & ut Cicero ait, in asperrimis saxis tanquam nidulum affixam. Eius ille tanto desiderio et amore tenetur, ut fumum inde exeuntem, immortalitati præferre non dubitet. Et uidemus hunc affectum in omnibus magnis ac præstantibus uiris fuisse singularem. Demosthenes cum in Calauria exularet, scribit se quotidie ad culmen eius sacelli ad quod confugerat, adscendere, atq; inde diu eam regionem

gionem, quam uersus Athenæ sitæ erant, ingenti desiderio, et dolore, oculis metiri ac spectare solitum, cui patria & si ingrata & impia erga ipsum, uita tamẽ ipsa & anima charior fuit. Porro proximus gradus, ut ad institutum reuertamur, est pietas erga parentes, coniugem, liberos, & in Principe præcipue erga ciues & subditos, quam Homerus summã Vlyssi tribuit. Quàm sanctè enim ille parentes colit ac ueneratur? quanto amore natum, quanto coniugem amplectitur, à quo nec consuetudine Dearum immortalium auelli sẽ patitur? quanta uero cura & sollicitudine uitam sociorum, quanquam male merentium tuetur? quàm pro illis uigilat, & nullum genus molestiæ uel laboris recusat, dum illorum saluti consulat.

Quia uero eum facit uirum prudentissimum & constantissimum, uarias fingit occasiones, quibus illæ uirtutes spectantur, uarijs casibus & periculis obijcit ipsum, in quibus & fortitudo eius ostenditur et uis cõsilij exprompta elucescit. Scimus enim aduersam fortunam uelut campũ & Gymnasium esse, in quo uis ingenij atq; eximia uirtus exerceri, ac spectari solet. Memorabile & hoc est, quod eundem & prudentissimum facit, & eloquentissimum, tribuitq; ei orationem similiter fluminibus hibernis niuibus auctis fluentem, & opponit ac confert inter

se duo perfectißima genera dicendi, in Menelao & Vlysse. Fingit item eum regi & custodiri à Minerua, ut ostendat magnos uiros Deo curæ esse, eiusq; auxilio subnixos, res tantas efficere. Porro cum Cyclope & cum procis eum depugnantem facit, hoc est, cum Tyrannis, & cũ seditiosis, prauisq; hominibus, aliorum toro & fortunis insidiantibus, cum his enim duobus generibus hominũ, semper heroicis & præstantibus uiris lucta ac certamen fuit. Et quod in primis est obseruandum, patientißimum eum ac pertinacem propositi fingit, quiq; dum cursum suum teneat, atq; id quod uelit consequatur, nullis molestijs ac laboribus, nullisq; cõtumelijs uinci frangiue se patiatur, perfert ille, cum iam perfunctus periculis ac malis uideretur, adhuc domi suæ multa intolerabilia, sustinet esse lacer, mendicus, ludibrio haberi, uapulare, osse peti à procis, irrideri à sua familia, omnia hæc ad tempus dißimulat, expectans occasionem, qua domum recuperare, rebus suis potiri, illosq; ulcisci posset. Est ea uirtus singularis in præstantibus uiris, non tantum magnas, & memorabiles res ad salutem patriæ ac multorum hominum, cum uitæ & capitis periculo efficere, sed iniurias, ignominiam, contumelias, infamiam etiam perferre posse ac pati, atq; interim instítutum cursum urgere, idq; unum quod honestum

&

& salutare sit, spectare ac sequi. Nota est sententia Ennij de Fabio:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Ea planè est Vlyssea sapientia, qua res afflictæ & profligatæ plerumq; fulciri ac sustentari solent. Desino de Vlysse, quem Philostratus ἄθυρμα Homeri uocat: nam si singula persequi uelim, dies me hic dicentem citius, quàm dicendi materia deficiat. Innumerabilia enim sunt in Homero uelut diuinitus meditata atq; inuenta, quæ non temere ab Horatio miracula sunt dicta, eaq; ubiq; omnia incredibili elegantia & suauitate condita, uarijs affectibus, ἤθεσι tamen præcipue, multis mirabilibus et iucundis casibus uariata, talj uero rerũ ordine atq; οἰκονομίᾳ digesta, ut omni humanitatis sensu carere eum, pecudem esse, non hominẽ existimem, qui non Homeri lectione permulceatur. Vt enim in hoc scripto est quædam perfecta & absoluta imago sapientiæ humanæ, quantacunq; ea omnino esse aut cogitari potest, ita in omni genere doctrinæ nihil dulcius eo est, nihil luculentius, nihil in quo maior eloquentiæ splendor eluceat, ut recte dictum sit à Fabio: Quemadmodum ab oceano omnes amnium & fontiũ cursus initia capiant, ita Homerum omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedisse. Non enim pluuias ille aquas, ut ait Pindarus, colli-

git, sed uiuo flumine exundat, dono quodam prouidentiæ diuinæ ad hoc genitus, ut in eo totas uires suas eloquentia experiretur.

Etsi igitur post eius ætatem efflоruit satis fœlix Poëtarum proventus, ipse tamen semper suum, hoc est, summum ac principem locum tenuit, & unus omnibus, quos ulla tulit ætas, Poëtis palmam præripuit, longißimisq; interuallis cunctos post se reliquit, idq; effecit, ut magnum & magni ingenij habitum sit, eius uirtutes non quidem æmulatione, quod impoßibile est, sed saltem intellectu sequi. Canit de eo, ut magnifice, ita non minus uere Manilius:

Cuiusq; ex ore profuso (inquit)
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemq; in tenues ausa est deducere riuos,
Vnius fœcunda bonis.

Et Theocritus ait: Musarum aues, hoc est, reliquos Poëtas, si cum Homero certare ausint, frustra laborare, & uelut coccysmum ædere ad dulcißimos luscinię cantus. Testatur item Philostratus Homerum non sicut Euphranorem statuarium, qui quibusdam in sua arte uirtutibus cæteris præstitit, sed in omnibus, quæ quidem in unoquoq; maxime laudata sint, eminentißimum esse. Et refert ille festiuam de Homero fabulam, quam non alienum duxi breuiter hoc in loco commemorare.

Achillem

Achillem ait, cum adolescens esset, miro studio & amore Musicæ ac Poeticæ flagrasse, ita ut quotidie à Musis contenderet precibus, ut earum auxilio in excellentem Musicum posset euadere. Cumq; nullum orandi finem faceret, tandem ex Musis Calliopen illi apparuisse, ac monuisse, ne cum fatis pugnaret, aliter enim superis uisum esse, non uatem eum, sed præstantem bellatorem futurum, et qui tales res gereret, unde Poetæ materiam scribendi sumpturi essent. Post centum uero annos exoriturum quendam uatem, nomine Homerum, qui eius res gestas & fortia facta immortali carmine celebraturus esset. Hæc de Homero Philostratus. Per hoc haud dubie significans, diuinitus exercitatum fuisse Homerum, & diuina uirtute afflatum hæc ceciniſſe. Id quod multis in locis uidere licet, eum uelut ex adyto uel cortina altius quiddam & diuinius, quàm pro humano captu sonuisse. Indicant hoc nonnulla, quæ in eius poemate sparsa sunt, uaticinia, quæ non absq; afflatu numinis ab humana mente concipi potuerunt: Quale hoc est de posteritate Aeneæ, & æternitate futuri Romani imperij, quod à Vergilio hoc uersu redditum est:

Et nati natorum, & qui nascentur ab ipsis.

Quare non ab re Democritus dixit, Homerum sortitum fuisse diuinantem animam. Sed ista persequi,

nõ sunt huius loci aut tẽporis. Ad nostra igitur, atq; ad ea quæ nostris studijs & moribus propiora sunt, reuertamur. Etsi uero mihi in præsentia non uacat colligere τὰ φιλοσοφούμενα illa recondita, de principijs rerum, de motu corporum cœlestium & astrorum, de elementis, de mundo, & eo duplici, de constitutione hominis, de anima & eius partibus, de sede potentiarum animæ, de singulis potentijs, de affectibus, ijsq; laudatis & uitiosis, de ratione porro atque intellectu, sensuq; & appetitu cum eo perenni dimicatione depugnante, de illa diuiniore & item bruta parte hominis. Hæc, inquam, cum iam mihi recensere non liceat, tamen sciant studiosi, omnium harum rerum semina, & ceu fontes in Homero esse. Neq; ullus melior aut præstantior pictor illius nobilioris ac diuinioris partis nostri extitit, quàm Homerus.

Quapropter Scipio apud Silium ingenti et non falsa laude uehit Homeri umbram apud inferos conspectam, et magnæ fœlicitatis loco suis temporibus talem uatem optat: quem locum propter adolescentes non piget hic subijcere, sic enim ait:

Atq; hic Elysio tendentem limite cernens
Effigiem iuuenis, caste, cui uitta ligabat
Purpurea effusos per colla nitentia crineis,
Dic, ait, hic quinam uirgo, nam luce refulget

Præci-

Præcipua, frons sacra uiro, multæq; sequuntur
Mirantes animæ, & læto clamore frequentant.
Qui uultus, quem si Stygia non esset in umbra,
Dixissem facile esse Deum. Non falleris, inquit,
Docta comes triuiæ, meruit Deus esse uideri.
Et fuit in tanto non paruum pectore numen,
Carmine cõplexus terrã, mare, sydera, manes,
Et cantu Musas, & Phœbum æquauit honore,
Atq; hæc cuncta prius q̃ cerneret, ordine terris
Prodidit, ac uestrã tulit usq; ad sydera Troiam.
Scipio perlustrans oculis lætantibus umbram,
Si nunc fata darent, ut Romula facta per orbem
Hic caneret uates, quanto maiora futuros
Facta eadem intrarent hoc, inquit, teste nepotes.
Fœlix Aeacide, cui tali contigit ore
Gentibus ostendi, creuit tua carmine uirtus.

Hæc de Homeri laudibus Africanus apud Silium.

Sed occurritur nobis & quidem à summo uiro ac doctissimo Platone, qui Homerum uelut iudicio capitis damnatum, sua Repub. excludit, in exilium exigit, ac relegat. Quo in loco dicere possũ, id quod Chrysostomus de eadem Platonis contra Homerum accusatione respondit: Difficile esse inter tantos homines disceptare, ut si duo uiri, ambo boni, ambo graues et honesti, ambo amici, de re quapiam seria et graui sententijs discrepent, difficile sit pronunciare,

ne

ne alterius sententiam uidearis tua oratione damnare. Sed uideamus tamen quid Platonem mouerit, ut Homerum ciuitate à se constituta eijceret: non enim temere id feciſſe putandus eſt, præſertim quem ipſe ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν, optimum & diuiniſſimum Poetarum uocet. Quid igitur tantum commeruit hæc innocentiſſima luſcinia, ut campis Platonicis pelleretur? Obijcitur quod de Dijs immortalibus ac religione ridicula quædam & abſurda prodiderit. Audio magnum & capitale crimen. Sed dicat mihi uel Plato, uel alius quiſpiam huius ſententiæ propugnator, quæ nam alia de Dijs, aut de religione, ut tum fuit in Græcia, Homerus potuerit tradere, & utrum Plato ipſe multo meliora nouerit uel prodiderit? Homerus de religione, de Dijs immortalibus, ea quæ tum uſitata fuerunt, ipſe quoq; ſecutus eſt, nec illis quidem temporibus & apud illas gentes alia fuit religionis forma, quàm qualem Homerus deſcribit. Vtrum ea uera an falſa, non hic diſputo. In hoc nempe Homero cum Platone & præſtantiſſimis quibuſq; uiris conuenit, quod ſit Deus, quod res humanas curet: tot igitur Deorum concilia cogit, ut oſtendat res hominum non temere nec caſu fluere, ſed à Dijs immortalibus diſpenſari, ac gubernari: Facit Deum φιλάνθρωπον, unde Iuppiter ab ipſo introdu-

troducitur, conquerens affici se humanis casibus, & dolere sibi hominum mala atq; miserias: statuit item bonos defendi, cumulari bonis, diuinitus malos puniri. Prædicat Minerua in primo Odysseæ, Vlyssem primum propter uirtutem ac honestatem, deinde et propter studium pietatis & religionis, seu cultum Deorum. Quid humana natura, si suis uiribus nitatur, de uoluntate Dei melius aut sublimius cogitare potest, quàm quod pios & bonos amet, foueat, iuuet: impios & sceleratos oderit, pœnisq; afficiat, res hominum curet, gubernet? Quod uero præter hæc allegorica quædam admiscuit, facile intelligi potest, aliud ipsum egisse, allusisse ad mores hominum, ad naturam rerum, inuoluisse his Poëticis iconibus seria & grauia dogmata, ut mos fuit illorum temporum. Quid quod & Plato nonnunquam ad hunc modũ ludit de Dijs immortalibus, cum aliud quiddam significet, qui si tam sæuerus iudex in alios esse uult, eodem & ipse crimine damnari potest. Dein de responderi & hoc potest, quod Chrysostomus ait, Homerum τὰ μὲν κατ' δόξαν, τὰ δὲ κατ' ἀλήθειαν posuisse. Atq; hæc mihi de prima causa dixisse satis sit. Obijcitur autem secundo loco, quod magnis ac heroicis uiris lachrymas attribuerit: id cur reprehensionem mereatur, non uideo, imò uero præcipue laudandum hoc mihi uidetur esse, quod

non

non stultam illam et imaginariam Stoicorum ἀπροθεωρησίαν somniauit, sed tales rerum atq; hominũ imagines proposuit, quales essent in rerum natura & uita: non finxit prodigiosas, & à communi humano sensu abhorrentes opiniones, sed ea suo carmine expressit, quæ quàm maxime essent usitata in uita, & consentanea communi sensui. Voluit autem significare magnos uiros cum grauissimis & tristissimis casibus conflictari, magnoq; animorum motu percelli, ut de suo Aenea Romanus Poëta:

Spem uultu simulat, premit altũ corde dolorem.

Et alio loco: Ingenti irarum fluctuat æstu.

Descripserunt enim Poëtæ tales heroas, quales fuerunt, nempe qui & humanis casibus obnoxij essent, & ijs mouerentur. Proposuerunt nobis consiliorũ, affectuum, actionum, & negociorum in uita, hominum etiã usitatas imagines, non sunt secuti illa ἀτοπώτατα παράδοξα, quibus ex Philosophis nonnulli impendio sunt delectati. Porro quod inferos finxerit, id tertium, opinor, crimen Homero obijcitur à Platone, putatur enim metum mortis incutere hominibus, cum terribilia, & qualia ipse pingit apud inferos, sibi post hanc uitam proponant, atq; ita lectione Homerici poëmatis animi robur eneruari uidetur. Sed nos ad hoc breuiter respondebimus, Homerũ uoluisse celebrare illam sententiam de immor-

immortalitate animarum, quam omnium seculorum cordatiores & honestiores uiri tenuerunt: Voluisse significare locum ac sedem aliquam esse post hanc uitam, ubi bonorum & malorum animæ uiuerent, bonis honor quidam haberetur, mali plecterentur. Deniq; secutus est illam usitatam, quæ tum fuit de inferis, hominum opinionem. Non noua, aut inaudita, aut à communi iudicio illius seculi abhorrentia, quod Philosophi fecerunt, commentus est. Atq; hæc sunt illa capitalia crimina, propter quæ à Platone Homerus exilio mulctatur, relegatur ab urbe Platonica in nescio quas solas terras, ad Scythas credo aut Garamantes, neq; id temere, nam Chrysostomus testis est, etiam Barbaros & Græcarum disciplinarum rudes, permulctos Homerici carminis dulcedine, cœpisse hanc unam ob causam Græcas literas degustare, ut hoc poema perdiscere possent, & apud Indos id etiam decantari solitum. Ad quamcunq; igitur gentem è Græcia sua relegauerit Homerum Plato, eam uelut Dei alicuius aduentu statim cultiorem humanioremq; usu ipsius & consuetudine fecerit. Sed opponere nos etiam possumus, Platonis hac in re autoritati, consensum omnium optimorum & sapientissimorum hominum, qui omnibus seculis post Homeri ætatem, ingenij, doctrinæ, uirtutis, aut sapientiæ laude floruerunt.

Ex

Ex his enim nemo fuit, qui non pleno ore Homeri poëma laudaret, non amplecteretur, & uelut diuinum numen adoraret.

Archesilaus optimus & sapientissimus Spartanorum Rex, nunquam cubitum ire, nunquam cum è lecto surrexisset, prodire, aut aliquid agere solebat, quin prius quasi solenniter aliquid ex Homero lectitaret, & quoties à negocijs uacuum tempus dabatur, statim ad Homerum properabat, ad amasium pullumq; suum ire se dictitans. Neq; igno tum est, quantopere Alexander Macedo delectatus sit Homeri poëmate. Cui siue seria, seu iocos tractaret, etiam cum armaretur in hostem, carmina Homeri decantari solebant: cui cum ex spolijs Babylonicis ingentis precij scrinium ex auro & gemmis esset oblatum, & cæteri alius alij usui ad res preciosas adseruandas id destinarẽt, respondit Alexander. Nulli rei magis idoneã esse eam arculam, quàm Homerico poemati asseruando: nobilissimo enim thesauro non minus nobile uasculum, in quo reponeretur, conuenire. At nos adolescentes, quibus aurea & gemmata uasa non sunt, quod poterimus tamen Alexandrum Magnum imitantes, interim in non paulo nobiliore, nempe pectorum nostrorum scriniolo, hunc tam preciosum thesaurum condamus, & illam partem præstantiorem ac diuiniorem

niorem nostri eo pariter ornemus atque ditemus.

Quos tu mihi thesauros, quas diuitias narras? dicet hic aliquis, nempe uidemus & Homerum egentissimum fuisse, cum uiueret, & ex discipulis suis adhuc neminem ditasse. Verum hoc esse, & his nostris temporibus nimis uerum scimus. Sed memi-nerimus hoc quoq; certum atq; euidens argumentum esse publicarum calamitatum, cum ista studia ita contemni uidemus. Nos uero nihil istæ illiberales cogitationes, & isti sordidissimi sermones moue ant. Non digni sunt, qui his Musarum sacris initientur, aut in hoc humanitatis & uirtutis sacellum admittantur, qui sordidi quæstus gratia hæc longe præstantiora bona adspernantur. Non distendit crumenam auro & argento Homerus, non uentrem pinguedine, non cingit digitos gemmatis annulis: At certe mentem, quæ præstantior, quæ immortalis pars nostri est, ingentibus, ac longe nobilioribus, æternisq; diuitijs cumulat, ornat, ditatq; . Non nos absterreat, quod egens, quod contemptus fuit Homerus cum uiueret, quod egentes sunt, qui hoc genus studiorum colunt. Communis hæc est conditio rerum optimarum, ut sint contemptæ in hac misera & plena errorum ac cæcitatis uita. Concionatores uerbi diuini, ministri æternæ salutis, qui liberationem à morte, à pecca-

to, ab æternis inferorum cruciatibus, ab omnibus malis annunciant, quo illi modo ab impio & ingratißimo mundo semper accepti, tractatiq; fuerunt, quo modo hodie tractantur? Non nobis mirum ualde aut nouum uideri debet, si res bonæ negliguntur, deteriores contra magni fiant, uetus hoc est in mundo, & consuetudine praua iam penè usitatum esse cœpit. Nos contra sic cogitemus: Non seruit quæstui Homerus, eo melior: dedignatur enim uirtus, dedignantur Musæ prostare, & in quæstu, ut ille ait, pro meretricibus sedere. Meminerint uero illi, qui ad utilitatem suam omnia referunt, qui possessione bonorum fortunæ fœlicitatem metiuntur, amplecti se fragilia, & inconstantißima bona, atq; ipsi etiam possessori sæpe exitialia, uniusq; horulæ momento uniuersam illam fœlicitatem, seq; adeo ipsos funditus euerti posse. Nam si propter inopiam & contemptum excluduntur hæc studia, excludatur eadem opera humanitas, excludatur uirtus & honestas, quæ sunt alumnæ Musarum, quarumq; parens, ac nutricius Homerus est, excludatur quidquid uere bonum, sanctum, piumq; est in mundo, his omnibus enim uere hoc ἐπίγραμμα inscribi potest, quod quidam ædiculis suis præfixit.

δῖκος δ' ὅτι μικρὸς τόδε γ' σημεῖον ἄρισον
τῆς πενίας μικρῶτις, τῆς δ' ἀρετῆς πενία.
Non est magna domus, quid tu? sub paupere tecto
Sæpe etiam uirtus ingeniosa latet.
Dixi.

PRAEFATIO IN AESCHINIS & Demosthenis Orationes, Phil. Mel.

On ignoro equidem, quantum onus subeam, quamq; ancipitem ac difficilem rem suscipiam, cum interpretationem harum orationum Aeschinis ac Demosthenis polliceor. Neq; enim mediocris est ingenij prudentißimorum Oratorum consilia, uirtutesq; in oratione perspicere, nec uulgaris artificis, diuinas illorum sententias, Latinis uerbis repræsentare, & tanquam imaginem aliquam Græcæ orationis exhibere. Quid quod causam ipsam sine Græcarum historiarum cognitione, sine scientia legum & morum Atticorum, ne adsequi quidē posßis. Nos uero præter cæteras difficultates mira inopia cōmentariorum etiam laboramus. Accedit huc, quod in alijs artibus ac literis,

tractatione & studijs hominum, multa è tenebris eruta lucem accepere. Græca qui excolerent & illustrarent, defuerunt hactenus in hac natione. Quæ cum apud me cogito, sentio equidem, in quod me discrimen conijciam, cum summorum Oratorum laudatissimas conciones propono. Nolo autem longiore oratione temeritatem excusare, aut de mearum uiriũ imbecillitate ambitiosius dicere. De animo ac uoluntate uere prædicare possum, me semper hoc spectasse, ut in hac schola studia honestarum artium excitarem. Neq; nunc ob aliam causam has orationes proposui, quàm ut iuuentutem ad optimos autores & magistros, tum intelligendi, tum dicendi cognoscendos inuitarem. Neq; uero alienum uidebatur, tanquam gustum illorum facturis proponere eas orationes, quæ doctorum omnium consensu, omnibus in hoc genere scriptis præferuntur, è quibus, tametsi pleraq; nos fugiant, tamen possimus plurima decerpere, quibus studia nostra locupletentur. Notus est uersiculus:

Est quodam prodire tenus si non datur ultra.

Proinde spero me non difficulter à bonis uiris ueniam impetraturum esse, quod maius aliquanto negocium suscipio, quàm hæ nostræ uiriculæ uidentur laturæ: Neq; enim infirmitatem meam dissimulo. Et tamen operam dabo, ut hanc, cura, diligentia, &

tia, & fide, quæ in primis in interprete requiritur, sarciam. Sed de meo consilio dicendum est parcius, quod de eo postea euentu iudicaturi sitis. Nunc officij sui commonendi sunt auditores, nam ut prudentes agricolæ non sumunt operam in exercendo sterili solo: ita in tractatione literarum, insania est attingere autorem, qui nostris studijs nihil fœneret.

Primum itaq; constituendum est, quæcunq; ratio studiorum susceptæ fuerit, quem fructum nobis polliceantur literæ. Ego uero sæpe alias monui, ita instituendum esse animum, ut duas has uirtutes, scientiam iudicandi de rebus humanis, & facultatem dicendi, meminerit sibi omnibus neruis parandas esse. Et ad has, tanquam ad scopum, oportet referre uigilias, lucubrationes, deniq; studia omnia. Nam qui aut non formarunt iudicium literis, ut intelligant rerum ac morum discrimina, quæq; in bonis, quæ in malis ducenda sint, aut non possunt ea, quæ sentiunt, perspicuo sermone docere, hi mihi præter corporis speciem, nihil humani habere uidentur.

Deinde ita inter se coniurarunt Eruditio, & Eloquentia, ut diuellere nullo modo possis. Nam & orationem rerum scientia ex se ueluti genuit, & oratio uicissim res ostendit. Iam cæcutire in rebus in

dicendis necesse est eos, qui recte dicendi cura uacant, propterea quod nihil perinde mentem acuit, & excitat, atq; contentio illa & studium recte dicendi. Non est quod procul exempla petas. Nuper adeo qui Philosophiam profitebantur, non satis perspexerunt uim earum artium quas docebant, quia exponere perspicua oratione ea, quæ profitebantur nemo conabatur. Proinde, qui se ad literas dicendas contulerunt, hi sibi persuadeant, & oleum, quod aiunt, & operam sibi perituram esse, nisi cum rerum scientia studium dicendi coniunxerint. Atq; hac de re aliàs diximus. Porro harum orationũ cognitio ad utrunq; multum conducit. Nam ut Philosophi præcepta de moribus tradidere, ita hæ orationes bonorum ac malorũ ciuium exempla proponunt, quæ multo efficacius uirtutis studium nobis cõmendant, quàm frigidæ illæ præceptiunculæ. Scipionem & plerosq; alios illustres uiros ait Salustius dicere solitos, cum imagines maiorum intuerentur, uehementissime animum sibi ad uirtutem accendi. Quæ autem bone Deus marmora, quæ statuæ conferri cum his orationibus merentur? quæ aliàs improborũ ciuium pernitiosa consilia, aliàs honestas uoluntates bonorũ ciuium ita depingunt exprimuntq;, ut nullius faciem imitari propius Apelles potuerit. Quare ita statuetis de his duabus orationibus, absolutissima quæ

ma quædam exempla, in illustri sita loco, nobis ostendi, quæ commonefaciant, quid in cõmunibus moribus mereatur laudem, aut reprehensionem. Nam in insectando Demosthene, ueram quandam imaginem sceleratæ mentis fingit Aeschines. Contra ille, cum uoluntatem optimi ciuis negat sibi defuisse unquam, boni uiri simulachrũ sculpere uidetur. Explicantur præterea multa maiorũ instituta, leges ac mores, multa exempla, quæ sunt obiter causæ aspersa, in his orationibus inuenies. Est enim sonus forensis huius dictionis, classico similis, & plenior aliquanto, quàm historiæ. Deniq; mihi uidentur omnes Reipu. gerendæ rationes melius hic tradi, quàm in ullis Philosophorum disputationibus. Et cum historiam nemo non hoc nomine plurimi faciat, quod omnium ciuilium officiorum exempla tradat, quid huic orationum generi tribuemus, in quo exempla illa & consilia rerum gerendarum accuratius & copiosius? Nam cum ad pugnam hic instruatur oratio, fit, ut maiore negocio illustrentur omnia recte aut secus facta. Neq; uero præsentes tantum auditores spectabant, sed ad posteros extare has orationes uoluere testes suorum consiliorum, reliquerunt́q; hæc, ut haberent posteri non modo, ut ait Thucydides, ἀγωνίσματα, sed κτήματα, hoc est, thesaurum exemplorum.

Quid autem de eloquentia horum dicam? Nam hæc præcipua laus est harum orationum. Equidem insaniam, si meo testimonio, meaq; uoce, accedere aliquid illorum laudibus existimem. Quare præconio Ciceronis contenti erimus, qui cum Aeschinem amplissimis laudibus ornat, tamen in Demosthenica oratione, tantam eloquentiam esse iudicat, quanta includi in animis hominum possit. Locos nonnulli decerpsere, unde specimen aliquod eloquentiæ istorum caperetur, sed uelut, si præclaram statuam dissoluas, quanquam insit in singulis membris suus decor, tamen minus clare percipi ac sentiri uenustas uidetur, quàm si in integra statua uideas suo quæq; loco collocata. Ita malim uos integras orationes oculis atq; animo contemplari, quàm sententiolas quasdam excerpere, è quibus reliqua oratio æstimetur, ut ex unguibus leonem aiunt. Nam si uniuersam tibi proposueris, ibi uero senties, non modo quibus uerborum aut sententiarum figuris, sed quo consilio etiam, & qua solicitudine dixerint, quàm callide in populi aures irrepãt, quàm diligenter sese cõmuniant, ubi alacrius procurrant in aduersarium, ubi referant pedem, ubi ludificentur horum, quæ proprie causæ sint argumenta, quæ ornamenta obiter accedant, quomodo in locos cõmunes à causa expatientur, quo genere affectuum ac sermonis

monis in singulis causæ partibus utantur. Quæ omnia qui diligenter spectarit, næ ille omnium humanorum operum nihil admirabilius oratione esse statuet. Quare uos adhortor optimi Auditores, ut diligenter has orationes cognoscatis, atq; intueamini, faciet ea res, & ad animi iudicium formandum, & ad locupletandam facultatem dicendi.

Toto cœlo errant, qui hos Oratores, nihil nisi nugaces rabulas fuisse sentiunt: summis ingenijs præditi, maximo rerum usu, in grauissimis causis uersati, perdidicerant naturas multarum rerum, & uarias gerendæ Reip. rationes tenebant. Hoc illi instrumentum, hanc scientiam plurimarum rerum adferebant ad perpoliendam orationem. Nam quæ de fortuna Demosthenis dicit Aeschines, non sunt à plebeio ingenio profecta. Postquam enim omnem uirtutis laudem illi detraxit, uerene, nihil ad nos, pergit fortunam insectari, & uetat Rempub. illi committere, ne priuata eius fortuna exitio sit urbi: uidet enim profecto uidit, non esse communem, ut uulgo putant, fortunã, nec ratione aut prudentia, quemadmodum Philosophi docuere, regi posse. Quàm crudeliter autem sæuit in aduersarium, cum industriæ laude spoliat, fortunã etiam in omen uertit, ut ab eo tanquam à portento aliquo uoluntates hominum alienet.

Quid Demosthenes, cum Cyrsili exemplum commemorat? non uidisse putatis, quanta uis esset honestatis, quantumq; pulcherrimi facti mentio, multitudinis animos, etiam in aduersa fortuna delectaret? Itaq; cum altissime introspexerint, & naturam rerum, & uim uirtutis, & præuiderint omnia dicturi sapientissime, dubitari non debet, quin ad eruendos animos, eorum tractatio plurimum conducat. Verum sunt, quibus parum religiose uideor facere, quod tantum tribuo ethnicis, sed cum his non libet hoc tempore rixari: Tantũ opto, ut pietatem, cuius se prætextu uenditant, et ad religionis nomen confugiunt, tanquam in templa capitis rei, re præstare aliquando incipiant. Ego religioni non modo non officere has artes existimo, sed etiam ornamenta esse. Nam religio πολιτικὴν disciplinam, & ciuilia officia, quæ scientia humanarum literarum continentur, adprobat, & religiose coli iubet. Impietas est in solo contemptu ciuilium morum collocare. Quid quod sine scientia linguarum, atq; dicendi artium, non possunt commode religionis dogmata tractari. Quanto rectius erat beneficijs cœlestibus religiose uti, atq; diligenter excolere.

Neq; enim dubium est, quin diuinitus hoc tempore restitutæ sint literæ, ut in repurganda Ecclesiastica doctrina recte pios adiuuarent. Itaque haud scio,

scio, an ulli religionem grauius lædant, quàm qui in literas passim inter imperitos, non aliã ob culpam, quàm quia non didicerunt, debacchantur. Idq; hoc molestius est bonis uiris, quia sanctissimum nomen Christi suo furori prætexunt. Valeant isti, quando morosiores sunt, quàm ut patiantur se reprehendi. Vos interea officium uestrum facite, & pergite bonas literas sedulo discere, quæ cum ad religionem conseruandam, nonnihil momenti habeant: Christo gratissimum officium facietis, si strenue eas propugnaueritis.

Dixi.

Præfatio

PRAEFATIO IN PTOLEMAEI μεγάλλω τῶν σύν- ταξιν.

Apud Lucanum C. Cæsar cum Aegyptio sacerdote de cœlestibus motibus atq; effectibus colloquens, ostendit se non solum admirari illarum maximarum rerum doctrinam, sed etiam inter arma, tubas & classica, ei aliquid impartire studij, Sic enim ait:

media inter prælia semper
Stellarum cœliq; plagis superisq; uacaui,
Eudoxi Fastos noster superabit & annus.

Itaq; Repub. potitus, cum ingenti bello quassatam rursus erigere atq; ornare studeret, iudicia restituere, legibus pacem ac disciplinam muniret, addidit egregium ornamentum, ex hac doctrina de motibus cœlestibus, quod & ipsum necessarium in uita ciuili esse uidit. Annum enim emendauit adhibito in consilium Sosigene, nec falso gloriatur se Eudoxi Fastos superaturum esse. Tradidit enim nouam mensium descriptionẽ, nouamq; intercalandi rationem, commodiorem Aegyptiaca & Græca. Aliquanto post Augustus conturbatam in bellis ciuilibus anni ordinationem restituit. Post aliquot secula & Theodosius

dosius sapiens & bonus Princeps, non solum Imperij, sed etiam Ecclesiæ pace constituta, rursus emendauit Fastos, quia tempora iam flagitabant correctionem. Nec uero recens est exemplum, Principes in Rebuspub. anni descriptionem iuxta motus cœlestes emendare. Solon etiam de Thaletis consilio notas æquinoctiorum certas constituit, & annum Atticum correxit. Quodq; heroum nominibus pleræq; stellæ insignitæ sunt, hanc esse ueram causam arbitror, quod partim illi ipsi heroës, partim alij boni Principes ab ipsis orti, huic doctrinæ de motibus cœlestibus dediti fuerunt, eamq; illustrari ac propagari curauerunt. Ideo Pleiades dicuntur Atlantis filiæ, quod is monstrauerit quosdam ortus & occasus, habentq; nomen ipsæ stellæ, uel quia plures propius innatæ, tanquam unum lumen efficiunt, uel quia Pleiadum circuitus, hoc est, occasus & ortus commode ostendit anni initium & exitum, ueris & hyemis principia. Ab Atlante Orion acceptam doctrinam propagauit: Regnauit enim Orion in Tanagra Boëtiæ, ubi sedes fuit Atlantis, ut scribit Pausanias, in qua ille sydera speculatus esse dicebatur. Hinc fabulæ natæ sunt de Orione amante unam ex Pleiadibus. Et quia oriente Scorpio occidit Orion, finxerunt postea ingeniosi homines Orionẽ à Scorpio interfectum esse. De Chirone & Hercule non

obscure

obscure adfirmant scriptores, fuisse eos cœlestium motuum studiosos.

Sed quid uetera quærimus, cum recentior ætas habeat exẽpla digna memoratu plurima? Aliquandiu studia huius doctrinæ uiguerunt in regno Saracenico, cum Alexandriæ, tum alibi. Cumq; deessent Latinis hominibus fontes artis, uidelicet hic Ptolemæi liber, curauit eũ Fridericus imperator ex Arabico sermone in Latinum conuerti. Tunc enim & in Græcia quadam fatali calamitate studia ueteris Philosophiæ conticuerant. Paulo post Alfonsus Lusitaniæ Rex, tantum lucis huic arti attulit, ut nomen eius propter tanti beneficij memoriam omnibus eruditis & prudentibus gratißimum et charissimum sit. Huic debemus præcipue, quod extat erudita anni descriptio, quod non prorsus ignoramus Solem, ut apud Homerum Cimmerij. Ac magnitudo beneficij testatur, non humano consilio susceptа esse hæc à Rege studia, sed Deum ut consuleret hac in re uitæ hominum, impulisse animum ipsius ad has artes iterum excitandas. Hæc exempla laudatissimorũ Regum satis ostendunt, pertinere ad bonos & sapientes Principes curam huius doctrinæ conseruandæ. Etsi enim omnibus hominibus natura acres stimulos indidit, ad admirationem & considerationem cœlestium motuum, propterea ut nos de Deo

&

& de immortalitate nostra admoneant, tamen multorum animi occupati stultis aut prauis cupiditatibus, non satis exaudiunt naturæ uocem, quæ nos ad hæc studia incitat atq; hortatur. Sed sapientes Reges & studiorum gubernatores prospicere decet, ne tantum ornamentum uita hominum amittat. Hos intelligere decet & dignitatem harum artium, et utilitatem. Quanquã enim scio & alios quosdam Principes hac ætate hanc doctrinam magnifacere, tamen quoniam tu eam ita colis, ut cum artificibus ipsis certare possis, hunc librum tibi præcipue dedicare uoluimus, quod arbitramur & tibi nostrum officium eo fore gratius, quia has artes intelligis ac amas, & defensionem huius Philosophiæ cupidius suscipere eruditos, quàm alios.

Etsi enim plena est dignitatis & suauitatis hæc Philosophia, & uitæ hominum utilissima, tamen ita cet neglecta, partim propter uulgi inertiam, partim quia desunt præmia huic honestissimo labori. Nonnullos etiam deterrent peruersa iudicia quorundam, qui habent doctrinæ titulos, qui nescio cur tantopere infesti sunt huic Philosophiæ. Primum enim dulce est, non modo illam certissimã motuum seriem atq; harmoniam considerare, sed etiã in his ipsis demonstrationibus, quibus motuũ illorum ordo deprehensus est, eruditissimas cogitationes, & mero

quodma

quodam nexu cohærentes uidere, & quasi uestigia mentis intueri, euectæ ad rerum cœlestium considerationem. An non utraq; res ostendit, et esse Deum, & nos conditos esse, ut inuestigatis cœlestibus motibus, intelligamus esse aliquam æternã mentem, opificem cœli & nostrorum animorum, & gubernatricem omnium, quam agnoscere, cui parere debeamus, quodq; immortalitatem restare necesse sit, cum certum sit nos eo nasci, ut perspicue diuinitatem agnoscamus, & ea fruamur.

Cum igitur & per sese delectet consideratio pulcherrimarum rerum in natura, & sit dux ad agnitionem Dei, mera prauitas est naturæ in illis, qui hanc doctrinam aut uituperant, aut aspernantur. Sed utilitas, inquiunt, commendat artes. Assentior & probo id quod posuerunt in definitione artis Stoici, ut aliquam adferat unaquælibet utilitatem ad uitam. Quæ est insignior stoliditas, quàm non intellige re quanta futura sit barbaries, si non teneatur certa anni ratio? Quæ confusio negociorum agendorum esset, amisso hoc discrimine temporum? Quæ essent historiarum tenebræ, sublata enumeratione annorum? Non mundi initia cogitari possent, non discerni religionum exordia, non Imperiorum mutationes: deniq; horribilis caligo omnes historias Ecclesiasticas & prophanas inuolueret. Atq; hac in re tanta

tanta utilitas est huius artis, ut sacræ literæ iusserint obseruari motus cœlestes, ad annorum spacia, & interualla constituenda. Cum enim inquit Deus condi stellas, ut sint signa, & efficiant temporum discrimina & annos, certe requirit obseruationẽ. Quantum enim erit anni curriculum, quæ initia, qui exitus non obseruanti Solis cursum? Itaq; aspici Deus cœlum iubet, & motuum leges contemplari, ac interualla temporum constituere. Nec leue argumentum est, fuisse magna studia obseruandorum cœlestium motuum apud primos parentes statim initio, quod singulari diligentia annorum & mensium seriem inde usq; à mundi primordijs annotarunt. Non enim adeo accurate anno duodecim menses statim attribuissent, metas cursus Solis constituissent, intra quas duodecim sunt congressus Lunæ et Solis. Et ad has constituendas, arte reliqua opus fuit. Non enim sine aliqua cura & uia deprehendi uera æquinoctia potuerunt, quibus opus est, si certum anni initium tenere uolumus.

Sed quid opus est longiore disputatione, cum nemini obscurum sit, necessaria esse ad plurimas uitæ partes, anni descriptionem? Restant & aliæ utilitates, prodest obseruatio motus Solis ad regionum distinctionem & Cosmographiam. Cumq; cæteræ stellæ tanta arte regantur, non est consentaneũ nullos

ad usus eas esse conditas. Explodenda est illa Epicu rea Philosophia, quæ tollit finales causas, & affirmat earum omnes naturas ἄγειν καὶ φέρειν. Si igitur sunt finales causæ cæterarum rerum, cur non dicemus etiam esse pulcherrimorum corporum & perpetuorum motuum? Certitudo in motu, artem opificis indicat: Ars consilium ac causam finalem necessariò complectitur. Itaq; & cæteræ stellæ haud dubie suos habent tum affectus, tum significationes in elementis, & ijs quæ inde gignuntur: Vt manifesta experientia, & omnibus seculis consentiens, testatur congressus siccorum syderum magnas siccitates, humidorum, humidas tempestates efficere. Ex hoc initio pleraq; alia uere sequuntur, quorum observatio in uita est utilis, si quis quærat physicas significationes sine superstitione, ut temperamentorũ qualitates & inclinationes. Etsi autem non instituam ex hoc loco integram περὶ τῆς μαντικῆς disputationem, tamen illud affirmo indignissimum esse homine erudito & prorsus βάναυσον, applaudere Epicuri deliramentis, ac fingere nullius causa tam certas leges motuum omnium Planetarum constitutas esse. Pindarus inquit:

σοφοὶ δὲ μέλλοντα χρὴ τὸν ἄνεμον ἔμαθον.

Sapientiam esse ait, tempestatem uenturam triduo ante prospicere. At hæ significationes magnas mutationes

tationes non modo tempestatum, sed etiam ciuilium rerum denunciant, ut ostendunt euentus, qui comitantur eclypses, & magnas Planetarum coniunctiones. Nec illa signa pugnant cum religione: cum enim Deus ea & proposuerit & gubernet, ab ipso regi euentus statuamus, eosq; mitigari illis, qui ad eum uera pietate confugiunt, credamus.

Sed non dicam hoc loco plura de parte diuinatrice, ad motuum doctrinam redeo. Quæ potest esse μαντικὴ utilior, quàm quod ipsa motuum doctrina testatur esse Deum, ut supra dixi? & quædam pædagogia est ualde utilis ad confirmandas honestas & pias opiniones de Deo in animis hominũ. Quantam uim habet hæc cogitatio in mentibus non male institutis, consulat suum quisq; animum, quod si faciet, fatebitur profecto non raro sibi prodesse ad confirmandas pias opiniones de Deo, hanc ipsam agnitionem artis in cœlestibus motibus. Sicut & Paulus testatur, Deum hoc opificium tanta factum arte eò proposuisse, ut hoc admoniti testimonio ipsum agnosceremus. Hanc utilitatem fortassis non magni faciunt homines imperiti, sed quanta sit, ex eo iudicari potest, quod inter Philosophos soli illi fuerunt prorsus ἄθεοι, qui penitus abiecerunt cœlestium motuum inquisitionem. Cæteros motuum certitudo confirmauit, ut non dubitarent esse aliquam

mentem, rerum opificem, & gubernatricem, ut honestissime disputat Socrates, & in Philebo apud Platonem, & alibi apud Xenophontem.

Amemus igitur hanc Philosophiam diuinitus monstratam, & conseruemus, nosq; in ea re Deo gratum facere statuamus, qui cum nobis has pulcherrimas artes donauerit, postulat, ut eas excolamus, nosq; earum cognitione ad pietatem exuscitemus. Proinde cum Ptolomæum accipies, inclyte Rex, commendari tibi defensionem cum cæterarum bonarum artium, tum uero etiam huius Philosophiæ statues. Multum autoritas & munificentia tua huic studio prodesse poterit. Nec obscura est hac in re uoluntas tua: Nam & aula tua, & in Ecclesijs & in Academijs doctissimos homines ad rerum ac studiorum gubernationem prouehis, & in primis Regium esse ducis, tueri literas, quod quidem cum ob alias causas iure prædicatur, tum eo etiam, quia cum tibi magno sit ornamento optimarum artium scientia, uicissim illas abs te ornari decet. Bene uale.

Præfa-

PRAEFATIO IN ARIthmeticam.

MODESTISSIMO ADOLEscenti Iusto Ionæ, filio D. Doctoris Ionæ, Phil. Mel. S. D.

VM uideam te honestißimo consilio patris tui uiri optimi, ac mihi amicißimi, ad literas adhibitum esse, & singulari diligentia institui, duxi hunc libellum cum inscriptione nominis tui edendum esse, & ut ostenderem mihi consiliũ tui patris in te instituendo magnopere probari, & ut adhortarer cum te, tum cæteros adolescentes ad hanc Philosophiæ partem, cuius in hoc libello traduntur elementa, summo studio cognoscendam atq; colendam: Editur enim hic libellus, ut cæteris studiosis tecum communis sit. Quanta autem sit & dignitas & utilitas Arithmetices, non solum indicant testimonia doctorum hominum, sed etiam declarat quotidianus uitæ usus, in quo res loquitur ipsa, non posse homines numerandi scientia carere. Sed studiosi considerare debent, non solum quam utilitatem in doctis artes afferant, sed etiam

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W POZNANIU

quem locum teneant, & quem habeant usum apud eos, qui ad perfectam doctrinam aspirant. Merito autem plurimi facienda est Arithmetica, quia una patefacit aditum ad præstantissimam Philosophiæ partem, uidelicet, ad cognitionem cœlestium corporum ac motuum. Estq; χαριαγωγὸς adeo commoda, ut ipsa præcepta reliqua artes sint facilimæ ac prorsus obuiæ. Econtra uero hac destituti uelut ἀμύητοι ab alijs artibus procul arcemur, & excludimur. Quare cum Arithmeticam discitis, eadem opera cogitabitis, uos maximam partem aliarum artium percipere. Illi uero plusquam frigidus fuerit circum præcordia sanguis, quem hæc ingens utilitas non inuitauerit ad hanc artem discendam, quæ quidem quia maximè cognata est naturæ hominis, facilime percipitur, si accedat mediocris exercitatio. Manus, inquit ille, causa est sapientiæ, significans artes non posse integre cognosci, nisi manus præcepta imitetur atq; exerceat. Quod cum in alijs artibus ita sit, tum uero præcipue Arithmetica magnam exercitationem requirit. Ideo memineritis adolescentes usum ad præcepta adiungendum esse. Tu uero charissime Iona, hunc libellum accipe ξὺν ἀγαθῇ τύχῃ, & cogites hanc artem tibi etiam à teneris inchoandam, & exercendam esse, ut præpares te ad maximarum rerum doctrinam, ad

quam

quam natura te duci iudicamus. Indoles enim tua perspici potest iam in primis studijs, & multa sunt signa, quandam in te paterni ingenij similitudinem propagatam esse. Quantum autem ingenio ualeat pater, ipsius in oratione splendor egregius, & facilicissima copia indicant: Quem tu quidem proponnes imitandum atq; effingendum omni studio, tibiq; hanc Isocratis sententiam animo infiges: ἡγοῦ δὲ μηδενὶ τῶν ἀθλητῶν οὕτω προσήκειν ἐπὶ τοὺς ἀνταγωνιστὰς ἀσκεῖν, ὡς σοὶ σκοπεῖν, ὅπως ἐφαμίλλου γενήσῃ τοῖς σῶν παιδευμασιν. Bene uale.

Mense Iunio.

M. D. XXXVI.

PRAEFATIO IN GEOMETRIAM.

PHILIPPVS MELANTHON
Ioanni Reiffenſteyn
S. D.

NVllum aptius ornamentum ueſtibulo huius libelli, qui aditum patefacit ad Geometriam, addi poſſe ſtuebam, quàm ſymbolum, quod Plato in foribus ſcholæ ſuæ pinxiſſe dicitur, uidelicet, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Multorum autem coniecturas exercuit huius dicti interpretatio. Alij iudicant Platonem à ſchola tanquam pollutos & prophanos arcere imperitos Geometriæ, cuius elementa tunc omnibus, qui liberaliter inſtituebantur, ſtatim à teneris tradi ſolebant. Alij transferunt ad mores, & ſignificatum putant Philoſophiæ ſtudioſis, ut Geometrica proportione mediocritatem atq; æquabilitatem quandam in omnibus officijs conſeruent, quemadmodum & in Gorgia cum reprehendit iniuſtam opinionem Calliclis, inquit eum negligere Geometriam. Etſi autem ſatis apparet ex ſcriptis Platonis, libenter eum exempla Geometrica ad mores accommodaſſe: tamen

tamen dubitari non potest, quin in hoc symbolo simul aliquid de ordine disciplinarum monuerit, & in Geometria præparandos esse senserit eos, qui ad Philosophiam accessuri essent. Eius sententiæ multæ grauissimæ causæ sunt. Non enim tantum releganda est hæc ars ad mechanicos, qui ædificia, uasa, aut alia exigua corpora metiuntur, & si ea etiam exercitatio liberalem doctrinam continet, & magnas ad uitã utilitates affert. Sed Philosopho propter alias multas causas opus Geometriæ scientia: Inde enim oriuntur initia Physices. Et passim in omnibus partibus Physices plurimæ demonstrationes ex hac arte sumuntur, quales sunt primæ illæ, quæ ostendunt, mundum esse finitum, non esse plures mundos, nullum esse corpus infinitum, sunt enim hæc uera Physices exordia. Deinde cum demonstrationes Geometricæ maxime sint illustres, nemo sine aliqua cognitione huius artis satis perspicit, quæ sit uis demonstrationum, nemo sine ea erit artifex methodi. Quare & Plato dixit, ob eam causam etiam discendam esse Geometriã, quia eius cognitio conducat ad hoc, ut aliæ artes facilius & rectius percipiantur. Sed maxime illustris utilitas est in metienda magnitudine terræ, & cœlestium corporum ac spaciorũ. Estq; hæc summa laus Geometriæ, quod non hæsit in exiguis & his inferioribus machinis, sed euolauit in cœ

lum, & humanas mentes, humi abiectas, rursus in illam cœlestem sedem subuexit, & admirandum mundi opificium, & gubernationem eius nobis monstrauit. Deniq; exulantes animos, in patriam ac familiaritatem cœlestium, atq; adeo ad agnitionem Dei traduxit. Magnam enim uim habet ad confirmandas honestas opiniones de Deo, in animis hominum, hæc ipsa doctrina, in qua mundi opificium & gubernatio spectantur.

Cum igitur fontes huius præstantißimæ partis Philosophiæ de motibus cœlestibus, magna ex parte sint in Geometria, satis grauis causa est, quare Platonem monuerit accessuros ad Philosophiam, ut Geometriæ studium adderent. Hoc existimo Platonem illa inscriptione præcipue significasse, quam hic recitaui, ut cum adolescentes adhortari cuperem, ad expetendam hanc artem, qua utendum est duce ad multas Philosophiæ partes, adderet aliquid ponderis nostræ orationi, Platonis autoritas. Quoties igitur in manus accipient hunc libellum studiosi, & in fronte legent Platonicam inscriptionem, cogitabunt se admoneri uoce Platonis, sed uotis & iudicijs omnium eruditorum, ut maximarum utilitatum causa hanc artem expetant. Nec uero dubium est, quin naturas non distortas delectet per se mensurarum ratio, ut natura capimur numerorum collatione, aut

concentu

concentu sonorum. Sed generosa et excelsa ingenia, huius utilitatis magnitudo accendere ad hæc studia, & inflammare debet, quod hæc ars aditum patefacit ad illam præstantißimam Philosophiam de rebus cœlestibus, quæ quantum habeat dignitatis, quàm multipliciter prosit hominum uitæ, minime obscurum est, præsertim ijs, qui non omnino abhorrent à ueræ ueterisq; Philosophiæ studijs.

Scio has adhortationes apud eos qui sordidis ingenijs præditi sunt, nihil proficere, qui præstantium disciplinarum dignitatem nõ prospiciunt, aut sectantur quasdam uendibiliores artes, quæstus causa. Hos, cum dupliciter sint ἀγεωμέτρητοι, uel maxime excludit Plato. Nam et mentes habent monstrosas, & magno scelere turbant proportionem Geometricam, cum non tribuunt suam artibus dignitatem. Sed recta ingenia, etiam mediocria, incitari possunt ipsa artium admiratione, si admoneantur, deinde si accedat artifex, qui commode tradat. Ideo spero aliquorum studia commoueri posse, teq; mi Iohannes, & tui similes adhortor, primum, ut cogitetis aspirantibus ad ueram laudem, contendendum esse omnibus ingenij atque animi uiribus, ut solidam & perfectam doctrinam uobis comparetis, quæ sit usui Reipublicæ. Hanc ad rem opus est toto choro artium, quæ ita inter se deuinctæ copulatæq; sunt, ut

in singulis multa sint ex alijs uicinis artibus assumenda. Hæ uero duæ Numerorum et Mensurarum scientia, cum in Physicis magnos habent usus, tum uero totam doctrinam de rebus cœlestibus peperrerunt.

Aristippum ferunt, cum amissis naufragio fortunis omnibus, ipse tamen cum paucis ad littus Rhodium saluus peruenisset in tabula, ambulantem in littore, Geometricas figuras in machinis quibusdam conspexisse. Quanquam autem mare & uiatico eos exuerat, & in loca eiecerat ignota, tamen conspectis illis figuris Geometricis, iussit socios bono animo esse, inquiens se uidisse hominum uestigia, gratulatusq; est sibi et reliquis, quod non in barbarum littus eiecti essent, confirmauitq; humanitatẽ erga hospites ac naufragos non defuturam illis hominibus, apud quos harum artium studia colerentur. Vtinam uero hæc hominum uestigia quæ ibi in littore miratus est Aristippus, in scholis etiam frequentiora essent. Iacent enim desertæ & neglectæ hæ artes multis iam seculis. Nam proxima ætas iuuentutem ab hac uera Philosophia ad insulsissimas cauillationes abduxerat: Nunc postquam hæ explosæ sunt è scholis, annitendum erat, ut pura et natiua Philosophia traderetur, quæ conduceret ad solidam doctrinam consequendam. Nam hæc nostra ætas satis commonefacit

nefacit nos, quantum opus sit Reipub. perfecta doctrina: quia multi passim, tum inopia iudicij, tum quia diserte explicare nihil possunt, sparserunt, aut defendunt opiniones absurdas & confusaneas, ex quibus in Ecclesia magna certamina, magnæ dissensiones extiterunt. Nec finis horum malorum erit ullus, nisi ad ueram & eruditam studiorum rationem iuuentus reuocata fuerit. Hanc ad rem conferre operam hi qui præsunt Ecclesiæ ac Reipublicæ profecto debebant. Sed eadem cura ad nostrum officium pertinet, hoc est, ad eos qui docent, aut discunt in scholis. Nam & nostrum munus ad Rempub. pertinet: Diuinitus in hac statione collocati sumus, ut doctrinam utilem generi humano conseruemus & propagemus. Et flagitat hanc diligentiam Deus pariter à doctoribus & discipulis. Quare iuuenes cogitent se etiam Deo hoc officij debere, ut solidam & perfectam doctrinam expetant, profuturam Ecclesiæ ac Reipub. Quos in templa animos afferimus, eosdem decet in scholam afferre, uidelicet, ut ibi res diuinas cognoscamus, & alijs patefaciamus. Si quis uenit in scholam, tantum ut inde auferat particulam aliquam doctrinæ, quæ posit ad quæstum, aut ostentationem conferri, is sciat se polluere sanctissima doctrinæ templa. Itaq; si munus suum intelligent adolescentes, si scient quo animo uersari in

studijs

ſtudijs debeant, facile impetrabimus ab ingenijs non monſtroſis, ut recte atq; ordine percipiant omnes artes, ut non inanem eruditionis umbram, ſed ueram doctrinam auferre conentur.

Quoſdam deterret à mathematis difficultas, ſed hi, quod eſt iniquiſſimum, ante pronunciant quàm inſpiciunt, priuſquam deguſtarunt elementa, abijciunt & damnant totum ſtudiũ. Certe initia ſine magno negocio percipi non poſſunt, quæ uſum habent in uita, & in multis artibus. Hæc ſaltẽ prius cognoſci oportuit, quàm pronunciarent de difficultate. Deinde ordo, qui præſertim in Geometricis eſt commodiſſimus, leuat laborem, & multum addit lucis. Poſtremo ubiq; traduntur demonſtrationes, quæ & ſi in artis extrema parte, quaſi in faſtigio, longius recedunt ab oculis & conſpectu noſtro, ut urbes, quas procul uidemus, tamen in cæteris partibus, quia magis obuiæ ſunt oculis, multo minus habent difficultatis. Extrema ignauia eſt, prius abijcere ſtudium, quàm periculum feceris. Et mollities animi iniuſta eſt, nihil laboris uelle ſuſcipere in diſcendo, cũ quidem militia quædam ſit, uerſari in literis, & Reſpublica nobis maximarum rerum curam & conſeruationem commendauerit, quas tueri ſine acerrimæ contentione animorum non poſſumus.

Quare excuſitent nos, & ipſa artium dignitas, &

& publica utilitas, & meminerimus his uirtutis stu
dijs etiam fortitudinem adiungendam esse, quæ non
sinat animos langueſcere pigritia, quæ per omnes
difficultates, ut ita dicam, ui sibi uiam faciat. Ac ge-
neroſæ & heroicæ naturæ, quæ ad illas ſummas ar-
tes de rebus cœleſtibus diuino aliquo adflatu, & φν-
θαρσιαστικῶ incitantur, facile has artes arripiunt,
perinde ut hi, qui natura ad carmen idonei ſunt, cito
percipiunt ſyllabarum & pedum menſuras. Mul-
tum tamen, ut in cæteris artibus, etiam mediocria
ingenia ſtudio & diligentia aſſequentur. At ſi qui
non totos ſe huic ſtudio dedent, tamen his ad iudi-
cia formanda, & ad intelligendos multos locos, qui
in Ariſtotele & alijs laudatis autoribus obuij ſunt,
opus eſt cognitione elementorum Geometriæ.

Ariſtoteles pulcherrime pingit iuſtitiam in quin
to Ethicorũ his Geometricis figuris, & ſpecies eius
eruditiſſime diſcernit collatas ad Arithmeticam &
Geometricam proportionem. Et traduntur eo in
loco præcepta neceſſaria ijs, qui erudite de legũ cau
ſis iudicare cupiunt. His plurimum affert lucis col-
latio ſumpta ab Arithmeticis & Geometris. Sed
quia interpretes, quorum quidem libri extant, non
intellexerunt hanc collationem, non ſolum obſcura
runt, ſed planè corruperunt totã Ariſtotelis ſenten-
tiam, non ſecus ac ſi aliquam excellentem Apellis

picturam

picturã sordibus & cœno conspersissent atq; obru issent. Porro non solũ turpè est interpreti, sed etiam molestum alijs lectoribus in tali loco tanquam in luto hærere & fraudari sententia autoris. Aristoteles enim prudentißime duas iustitiæ species constituit, quarum altera personarum gradus in legendis Magistratibus, in imperijs, in ciuitate, & in familijs ordinat: Altera gubernat nõ solum contractus, sed omnes compensationes rerum, ut mercedes, damna, iniurias, pœnas. Iam cum explicatur quare in compensationibus requiratur Arithmetica proportio. In altera uero iustitia, legente Magistratus ualeat Geometrica, causæ iustitiæ ualde fiunt illustres. Ac sumpsit hanc ipsam collationem Aristoteles à Platone, qui cum summa uenustate & grauitate disputat, æqualitatem in ciuitatibus efficiendam esse, quia æqualitas gignat mutuum amorem, ut dici solet ἴσον ἴσῳ φίλον. Sed æqualitatem Arithmeticam ait in imperijs, in legendis Magistratibus turbulentam esse, Geometricam uero salutarem esse ciuitatibus. Nam Geometrica æqualitas est, cum gradus constituuntur, & delectus adhibetur, ut pro proportione tribuantur summa imperia optimis & prudentißimis ciuibus, & singuli intelligunt quam partem muneris publici sustineant, & in suo ordine manent, non conturbant proportionem.

Hunc

Hunc statum ita prædicat Plato, ut hanc Geometriam diuinam esse dicat, ac tum demum beatas fieri ciuitates, cum Deus particulam huius Geometriæ eis impertit: deniq; addit, ab hac Geometria proficisci, quidquid est boni in rebus humanis, ut si in Ecclesia autoritas esset summa optimorum ac doctissimorũ & per gradus suum officium singuli intelligerent, & facerent, & suam quisq; Spartam, ut dicitur, ornaret, imperiti cederent sententijs eruditorum. Quid Ecclesia beatius esset, si hac Geometrica proportione constituta esset, quæ & Tyrannidem prohibet, & popularem licentiam? Nam in Tyrannide gradus nulli sunt, sed pariter omnes boni opprimuntur. In Democratia, dominatur æqualitas Arithmetica, iuxta quam omnes infimi sine delectu consequuntur summa imperia, fitq; status ille, quem maxime uituperat Achilles apud Homerum, cum ait, nolle se in ea Republica esse, in qua nullum sit discrimen bonorum & malorum ciuium:

ὣ δ' οὐκ ἔστι τιμὴ ἧς μοὶ κεκλόσ, οὐδὲ ἐοικὸς.

Quid bonis omnibus accidere potest optabilius, quàm si Geometrica proportio, quæ & Tyrannidẽ & popularem licentiam prohibet, gubernaret Synodum Ecclesiasticam? Nec uero sine causa doctissimi homines delectati sunt Geometricis similitudinibus, incurrunt enim in oculos, uelut picturæ.

Quare cum intelliguntur, ualde illustrant disputationes, & multa monent admiratione digna.

Inuitet igitur adolescentes, & haec causa ad elementa cognoscēda, quia magnos uiros uident amasse has figuras, & eorum scripta non posse intelligi, nisi degustatis his artibus: Etsi enim aliae sunt multo maiores utilitates, de quibus paulo ante dixi, tamen liberalibus ingenijs stimulum addit hoc quoq;, quod tales sententias magnorum autorum & amant, tanquam pretiosissimas gemmas, & uim earum penitus perspicere cupiunt. Iam haec ipsa exempla docent sententiam Platonicam, quam scripsit in uestibulo scholae, non inepte ad mores accommodari, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Excludit à scholis eos, qui conturbant Geometricam proportionem, qui gradus honestorum officiorum nec intelligunt, nec tuentur, qui sine lege inaequaliter, qua fert impetus, ruunt. Verissimum enim est illud Aeschyli dictum, alium hominem, alteri ciuitati conuenire, ἄλλον ἄλλῃ πρὸς πόλιν τετάγμενον. Vt igitur illa fera et barbarica ingenia non conueniunt ciuitati Philosophicae, quia neq; mirantur artes, neq; doceri possunt: ita econtra praediti moderatis ingenijs, quia incitari possunt ad haec optima studia colenda, conueniunt Philosophicae ciuitati. Tales inuitat Plato, ac simul significat, quae natura capax sit

Philoso-

Philosophiæ, quales mores apti sint his studijs, quæ ingenia ad amorem Philosophiæ accendi possint, & quo doctrinæ genere principio opus sit.

Quare studiosi, cum legent hanc Platonis inscriptionem ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω. Meminerint se, & Geometricam æqualitatem in moribus præstare debere, & ad cæteras artes adiungere Geometriæ studium. Vtrumq; est ingens ornamentũ, & propter multas causas expetendum. Ac tibi qui dem, mi Ioannes, Dei beneficio contigit ingenium & natura moderatum, & quod ex picturis tuis animaduerti potest, aptum Geometriæ, planeq; conueniens ciuitati Philosophicæ. Spero autem te & paterna & nostra cohortatione accensum, flagrare cupiditate cognoscendæ illius pulcherrimæ doctrinæ de motibus & effectibus cœlestibus: Ad hanc gradus faciendus est per Geometriam. Putabis autem te etiam Deo gratum facere, cum his studijs operam dabis: Suauissime enim à Platone dictum est, θεὸν ἀεὶ γεωμετρεῖν, hoc est, ut ego quidem interpretor, gubernare omnia, & certissima lege cursus cœlestes, & totam naturam regere. Quare haud dubie probat studium eorum, qui quasi obseruantes illius cursus lineas, gubernatorem ipsum agnoscunt, & uenerantur. Iacobus Milichius utili consilio coniunxit libellos Arithmeticos & Geometricos

aptißimos ſcholis, ſcriptos à præſtantibus artificibus, & in ea Academia, quæ aliquot ſeculis præcipuum fuit domicilium harum artium. Nam Viennæ, autore Peurbachio, propemodum rènata eſt hæc Philoſophia de rebus cœleſtibus, & nunc magna cum laude poſſeßionem eius uelut hæreditariam retinent, & ornant ibi cum alij uiri doctißimi, tum etiam Ioannes Vogelin autor huius libelli de Geometricis elementis, quæ quidem ea breuitate & ſerie complexus eſt, quam ſperauit maxime conducturam eſſe diſcentibus. Chriſtus & tua, & reliquæ iuuentutis ſtudia gubernet ad Reipublicæ ſalutem. Menſe Auguſto,

Anno

M. D. XXXVI.

Præfatio

PRAEFATIO IN TABVlas Resolutas Ioannis Schoneri.

VIRO DOCTISSIMO Ioanni Schonero Mathematico, Philippus Melanthon S. D.

QVum urbs Noriberga multis ciuilibus ornamentis abundet, hoc decus profecto non in postremis numerandum est, quod aliquot iam seculis perpetuò in ea urbe studia Mathematum magna cum laude floruerunt. Atq; ita genius urbis huic pulcherrimæ parti Philosophiæ fauet, ut non solum aliunde accersiti sint à Republica homines doctissimi, qui eius doctrinæ possessionem retinerent, sed etiam procrearit ipsa urbs multa fœlicia ingenia, quæ in his artibus excelluerunt, colantq; has disciplinas non solum pauci quidam ociosi, solis dediti literis, sed alij etiam multi, occupati tum priuatis negocijs, tum Reipub. procuratione. Meo quidem iudicio glorioſius est Athenis, quod Philosophiæ & omnium optimarum artium, quæ ad bene beateq; uiuendũ necessariæ sunt,

inde usq; à Platonis ætate ad Antoninorum tempora annos fere sexcentos domicilium perpetuum fuerunt, quàm quod principatum Græciæ tenuerunt annos septuaginta, qui non solum nihil utilitatis attulit ueturæ ætati & reliquis gentibus, sed tunc quoq; Athenis ipsis calamitosus fuit. Ne Miletum quidem tam ornarunt amplissimæ opes, quàm uir doctissimus Thales, qui non solum in ea urbe, sed in tota Ionia primus excitauit studia doctrinæ de rebus cœlestibus, ostendit syderum motus, & certam anni rationem descripsit. Nec Alexandria nobilior est conditore Alexandro, quàm perpetua Philosophiæ conseruatione & propagatione. Itaq; hæc doctrinæ studia iure commemoramus inter præcipua urbis Noribergæ ornamenta. Hæc enim urbs fouit ingenium Ioannis de Regiomonte, habuit & ciues summis ingenijs præditos, qui has disciplinas tum coluerũt, tum etiam illustrarunt: D. Ioannem Vernerum, D. Præpositum Melchiorem Pfintzing, D. Bilibaldum Pyrcamerum, D. Cholerum. Nec ulla tam celebris est Academia, in qua hodie maior sit frequentia eruditorum in hoc genere, quàm Noribergæ. Nec tantum fruitur ipsa urbs uoluptate huius doctrinæ, sed, quod est honestissimum, præclare meretur de omni posteritate. Multa enim utilia monumenta ediderunt homines doctissimi, Ioannes de Regi-

de Regiomonte, qui huius urbis hospitio & multis beneficijs usus est, & alij ciues, quorum extant scripta. Hæc beneficia Philosophiæ studiosos agnoscere decet, & huic urbi gratiam habere ex animo, eamq; in primis amare, tanquam huius præstantissimæ doctrinæ hospitium.

Etsi autem possessionem huius laudis multi in urbe uestra retinent, tamen hoc nomine tibi doctissime Shonere plurimum debent studiosi, quod industriam tuam ad has artes propagandas & illustrandas confers. Nam & istic docendo multorum excitasti ingenia, & subinde monumenta edis, apta scholis, & magnopere utilia discentibus. Nec uero quidquam est, ut ego arbitror, homine Philosopho dignius, quàm summa ope curare, ut doctrina utilis uitæ, tanquam publicum patrimonium, ut Seneca uocat, conseruetur, & ad posteros explicata, & non accisa aut corrupta perueniat. Debet enim Philosophus ad optimarum artium scientiam uoluntatem adiungere bene merendi de rebus humanis, præsertim cum intelligat has artes diuinitus ostensas esse non priuatæ oblectationis causa, sed ad communem utilitatem, & norit Philosophus omnes actiones, & uitam omnem ad cõmunem salutem atq; utilitatem referre debere. Maxime enim decet Philosophum esse κοινωνικόν. Quanta autem sint merita

quæ ad uitam confert, non difficile est iudicare. Videmus enim ipsas disciplinas, quæ Mathemata uocantur, ad uitam necessarias esse. An carere possumus Arithmetica & Geometria? Qualis confusio esset, si anni descriptione carerent Respublicæ? Nulla extaret memoria rerum ueterum, deniq; mera barbaries esset talis uita. Reliqua Philosophia fontes continet legum & omnium honestorum officiorum: Est & magnum ornamentum religionis.

Facis igitur honestissime, quod alijs doctrinam tantarum rerum, tamq; utilem uitæ sedulo impertis, quod editione utilium scriptorum communia studia iuuas. Nonnihil autē debebit tibi ciuitas Noriberga, quod ex tuis monumentis apparet, huius Philosophiæ studia ibi uigere. Sed multo plus debebunt tibi omnes, quorum studia tuis laboribus & commouentur & adiuuantur. Est animi Philosophici, delectari ipsa uirtute, etiam si non contingat alia præmia pro laboribus. Sed si tempora erunt tranquilla Deo uolente, uoluptatem etiam magnā ex discentium studijs capies. Nam instructa idoneis libris iuuentus facilius ad hæc studia reuocari poterit. Vides autem aliquot locis, professores bonarum artium, quantum contendere possunt, ad colendas has disciplinas iuuentutem inuitare. Quod igitur hoc tempore edidisti, & expolijsti tua diligentia

atq;

atq; industria Tabulas resolutas, egregiam operam nauasti, quia in scholis præcipue opus est his tabulis, cum theoricas, ut uocant, motuum cœlestium ad usum transferant, & monstrent facilem & compendiariam ratione computandi motus cœlestes. Quare sine eis theoricæ prorsus luce carent. Et cognitis his tabulis, iam magnum fructum capere discentes ex hoc studio possunt. Nam quod extremum est in arte, ac finis doctrinæ de motibus, id compendiaria uia exhibet hic libellus, uidelicet ut posimus motus Planetarum statim computare aliquot seculorum, seu præteritos seu uenturos: Hæc meta est artis, quã auidissime expetunt studiosi. Interdum desperatione abijciunt aliqui studia, cum non prospiciunt metam, cum non capiunt fructum aliquem ex suis laboribus. At cognitis his tabulis, non solum eximitur animis desperatio, sed animaduersa tam facili computatione, spes et magnitudo utilitatis generosa ingenia ad discendum accendunt. Quæ est autem diuinitas, tam breui uia, tam paruo negocio consequi summam artis, & positum cœli considerare posse, quorumcunq; annorum? Quis non miretur tam breui libello tot annorũ descriptionem includi posse? Mirentur alij ligneas columbas, aut alia opera automata: Hæ tabulæ multo magis sunt dignæ admiratione, quæ omnium siderum positus ostendunt,

nec unius tantum anni, sed multorum seculorum.

Hæc eò præfatus sum, ut admonerem iuuenes, qui hæc lecturi sunt, & quantum debeant Schonero iuuanti publica studia editione talium librorum, quibus in scholis opus est, deinde ut utilitate harum tabularum excitati, ad discendum inuitentur. Illa admonitione hoc loco non putaui opus esse, ne se ab his artibus studiosi deterreri sinant, insulsissimis iudicijs indoctorum, qui totum hoc genus doctrinæ de rebus cœlestibus superbissime deridet. Nam mediocriter eruditi in Philosophia, facile iudicare possunt, magnam cum dignitatem, tum suauitatem, & utilitates ingentes esse doctrinæ de motibus syderum. Hoc mirificum spectaculum, uidelicet, tot pulchra lumina, tam uarios cursus, qui miras uices certissimis legibus conficiunt, non frustra posuit nobis ob oculos Deus, sed uoluit ut nos inde anni descriptionem & temporum spacia uicesq; sumeremus, et diuersa temperamenta annorum prospiceremus. Postremo, ut hic pulcherrimus ordo motus, & consensus moneret nos de opifice, hæc non extitisse casu, sed ab aliqua æterna mente esse orta, & gubernari. Quare generosa ingenia decet abhorrere auribus atq; animis ab Epicureis illis, qui hanc certissimam motuum scientiam aspernantur.

Magna uero etiam uis & utilitas est etiam alterius

rius partis, uidelicet, doctrinæ prædictionum, quæ ſumuntur à cauſis cœleſtibus. Nam & Galenus autor grauiſſimus affirmat affici animantium corpora à lumine Planetarum, magnamq; uim omnium Planetarum eſſe in temperamentis & miſcendis & turbandis. Et quidem grauiter reprehendit eos qui diſſentiunt: Ait enim experientiam manifeſtam teſtari hanc uim eſſe ſyderum: Sophiſticum uero eſſe, negare manifeſtam experientiam. Multa iudicari poſſunt ex poſitu aſtrorum, de ualetudine corporum, de ingenijs & inclinationibus, deq; multis in uita caſibus, de tempeſtatibus, de mutationibus Rerumpublicarum. Plurimum autem tantarum rerum conſideratio & animaduerſio conducit prudentibus. Nec pugnat religio Chriſtiana cum hac ſententia, nec damnant has prædictiones ſacræ literæ: Sunt enim pars quædam Phyſices, ſicut Medicorum prædictiones: Sumuntur enim à cauſis naturalibus. Diuinitus alia uis eſt indita Soli, alia Lunæ, ut uis eſt alia piperis, alia maluæ, & pium eſt agnoſcere opera Dei & obſeruare uires illis inditas. Sed hæc diſputatio longior eſt, quàm ut hic tractari tota poſſit, et extant libri eruditiſſime ſcripti multorum, qui Pici & aliorum ſimilibus calumnijs reſpondent. Illud tantum adijciendum eſſe putaui, iniquum eſt pronunciare priuſquam cauſam cognoueris.

gnoueris. At illi uituperant hanc doctrinam, qui ſimpliciter eam ignorant: Quare eorum iudicia merito deridentur. Non temere diſſentiendum eſt ab eruditiſſimorum & prudentiſſimorum hominum iudicijs, qui cum harum artium uim & uſum cognouiſſent, poſteris eas tanquam uitæ utiles tradendas eſſe putauerunt. Et arrogantia eſt cum ſumma ſtultitia coniuncta, uenari choragium aliquod gloriæ ex inſectatione artium, quæ ſunt graui autoritate doctorum & prudentum receptæ. Sed de hac controuerſia alibi diſputabimus prolixius. Bene uale doctiſſime Schonere, & perge de publicis ſtudijs bene mereri. Vuitebergæ menſe Auguſto, Anno 1536.

Præfatio

PRAEFATIO IN SPHAERAM Ioan. de Sacro busto.

PHILIPPVS MELANTHON Simoni Grynæo uiro doctißimo, & amico ueteri S. D.

VM in omnibus artibus prosit initio breuia quædam elementa tradere ad præparandos studioſos, ad interiorem doctrinam, maxima profecto debetur gratia uiris optimis & eruditißimis, qui harum pulcherrimarum diſciplinarum, uidelicet Aſtronomiæ, & Coſmographiæ Iſagogas nobis compoſuerunt, qui quidem non ſolum propter ipſarum artium dignitatem, ſed magis etiam propter rei difficultatem laudari merentur. Magni enim negocij fuit, magnæ prudentiæ, ex tanta tamq; multiplici rerum copia eligere ea, quæ maxime in aditu ac ueſtibulo profutura eſſent. Hac ob cauſam ſemper amaui mirifice libellum Iohannis de ſacro Buſto, qui mihi uidetur elementa in hoc genere complexus aptißime, ac plurimum uidiſſe in gymnaſijs homines doctißimos iudico, qui magno conſenſu prætulerunt hunc libellum alijs eiuſdem generis,

generis, & extare in omnibus scholis, & in omnium manibus uersari uoluerunt.

Victurus genium debet habere liber.

inquit Martialis. Sed talis genius non contingit operibus, quæ nullam habent utilitatis commendationem. Cum autem hic libellus tot seculis in omnibus scholis, in tanta uarietate iudiciorum genios habuerit propicios, necesse est eum rebus optimis refertũ esse. Videmus enim pauciſsima scripta uenustatem ferre, præsertim in scholis, ubi morosiſsime iudicari solet. At hic libellus multis iam seculis maxima cum approbatione doctorum omnium legitur. Quare et nos curemus eum per manus acceptum à maioribus tradere posteris, & tanquam opus publicum communibus studijs conseruemus, ut in scholis aditum inuenibus ad pulcherrimas artes, quarum elementa tradit, ostendat. Nam si existimamus illarum artium cognitionem utilem in uita esse, magnopere nobis hæc monumenta conseruanda sunt, quæ aditum ad eas patefaciunt.

Quis est autem tam ferreus, tam sine sensu ullo, ut non aliquando suspiciens cœlum, & pulcherrima in eo lumina intuens, admiretur tam uarias uices, quæ motibus conficiuntur, nec cupiat quasi uestigia illorum motuum, uidelicet, certam rationem diuinitus ostensam cognoscere? Neque enim res tam uariæ,

uariæ, tamq; procul positæ aut inquisitæ essent, aut acie ingenij humani perspectæ, nisi Deus studia quorundam summorum uirorum & excitasset & prouexisset. Itaq; cum ducat homines natura ad has artes, prorsus humana mente carere iudicandi sunt, qui pulchritudine illarum rerum, & cognitionis suauitate, nihil afficiuntur. Ac præclare Plato ait, Astronomiæ causa oculos hominibus datos esse. Volebat enim significare, in omnibus corporibus nihil esse pulchrius, quàm ista cœlestia lumina, & homines natura ad hanc pulchritudinem fruendam præcipue rapi, ac mihi quidem oculi ipsi cognationem uel maximam cum syderibus habere uidentur. Vt enim in mundo lucet Sol, ita in homine, quẽ nonnulli propter plurimas similitudines μικρὸν κόσμον uocauerunt, sua quædam lumina, uelut sydera cõdita sunt. Itaq; qui cognata illa lumina fastidiunt, non considerant naturæ opificiũ, eamq; ob causam digni erant, quibus eruerentur oculi, cũ his ad hanc rem uti nolint, ad quam præcipue conditi sunt, præsertim cum illa cognitio admoneat etiã nos de Deo, & de immortalitate nostra. Neq; enim fieri potest, quin statuat humanus animus mentem aliquam esse, quæ regat & gubernet omnia, si animaduerterit illos ratos cursus, & leges magnorum orbium & stellarum. Nihil enim tale casu, aut alia ui ulla sine mente exi-

te existere, aut constare potest. Quare si Astronomia confirmat hanc de Deo opinionem in animis hominum, Plato non solum erudite, sed etiam religiose dixisse iudicandus est, Astronomiæ causa nobis oculos datos esse. Sunt enim certe ob hanc causam præcipue dati, ut ad quærendam aliquam Dei noticiam duces essent. Proinde ex Philosophis soli isti, qui Astronomiã aspernati sunt, ex professo fuerunt ἄθεοι, & sublata prouidentia, etiam immortalitatem animorum nostrorum sustulerunt, qui si attigissent hanc doctrinam, manifesta Dei uestigia in natura deprehendissent, quibus animaduersis coacti essent fateri mente aliqua hanc rerum uniuersitatem & conditam esse, & gubernari.

Sed si quis etiam autoritatem requirit ex sacris literis, quæ hæc studia commendet, habet in Genesi testimonium grauissimum, ubi scriptum est: Erunt in signa, tempora & annos. Quomodo autem conficiet nobis Sol annos, nisi obseruato curriculo, descriptis spacijs atq; interuallis, cursus ac temporũ? Quare cœlestis illa uox hortatur nos ad obseruandos cœlestium corporum motus. Quid commemorem utilitates publicas, qualis futura esset hominum uita, si non haberemus descriptam temporum rationem, si non haberemus in historia, aut rebus gerendis annorum numerum? Plus quàm barbaries, imò

imò beluarum uita fuerit, nullam noſſe antiquitatis ſeriem, nullum temporum ordinem in præſentibus negocijs conſtituere poſſe. In tanta inſcitia, neq; religio ulla, neq; ciuilis ſtatus retineri poſſet.

Cum igitur & natura nos exuſcitet, & hortentur diuina oracula, quanquam ille etiam naturæ ſenſus, diuinus quidam afflatus, & quædam quaſi Dei uox eſt, & magnitudo utilitatum inuitet ad hanc doctrinam, diligenter eam colere ſtudioſi adoleſcentes debent. Atq; in hac re patriæ laudibus etiam moueri eos conuenit, quia hæc doctrina cum aliquot ſeculis ſine honore iacuiſſet, nuper in Germania reflоruit, reſtituta à duobus ſummis uiris, Purbachio, & Regiomontano, quorum alter ex Norico, alter ex Francis uicinis ortus eſt. Hos heroas ſingulari quadam ui diuinitus ad has artes illuſtrandas excitatos eſſe, res teſtatur ipſa. Quando enim tantum lumen habuerunt, poſtquam hæc ſtudia in Aegypto extincta ſunt? Nam & ſi Arabes deſertam à Græcis poſſeſſionem magna ui inuaſerunt, adeo ut has artes in Occidentem & Hiſpaniam uſq; propagarint, tamen eorum ſcripta oſtendunt curioſam nationem, nõ tam elaboraſſe in obſeruandis motibus, quàm in diuinationibus, quarum adeo cupidi fuerunt, ut non contenti Ptolomæi Aſtrologia, quæ pars quædam Phyſices exiſtimari poteſt, ſortes etiam & alia mul-

ta prædictionum genera ἀναστιολογητὰ commenti sint. At nostri illi contulerunt omne studiũ ad præcipuam doctrinæ partem, obscurissimas demonstrationes Ptolomei eruerunt, & patefecerunt, & ut transmitteretur ars ad posteros, instruxerunt nos non unius generis commentarijs. Veteres laudant Architæ columbam, & uaria Archimedis opera: at longe admirabilius opus est breuis ille libellus Theoricarum Purbachij, qui summã longissimi operis Ptolomei complexus, positus orbiũ subijcit oculis. Quid dicam de reliquis monumentis, de integra epitome, de tabulis, in quibus ut absoluerent artem, usum præceptorum ostenderunt. Hactenus igitur huius doctrinæ laus penes nostros homines fuit: Nam autores illi semina huius doctrinæ sparserunt per Germaniam, non aliter ac frugum semina Triptolemus in Græcia dissipasse scribitur. Quare turpissimum nobis fuerit, tam honestam possessionem optimarum rerum amittere.

Sed sunt nonnulli Epicurei Theologi, qui totum hoc doctrinæ genus irrident: nec solum prædictionibus fidem detrahunt, sed etiam uituperant motuum cognitionem, quos sinamus unà cum Epicuro ineptire. Sunt enim eiusmodi, ut magis opus habeant Medicis, quàm Geometris. Est enim manifestum insaniæ genus, aspernari motuum cognitionem,

nem, quæ habet eruditißimas & firmißimas rationes, ut maxime alteram illam partem diuinatricem omittamus. Quanquam mihi neq; Picus, neq; quisquam alius persuaserit, sydera nullos habere effectus in elementis, & in animantium corporibus, præterea nullas significationes in hac inferiore natura. Nam experientia ostendit, ardentium stellarum congressus urere hæc corpora et siccitates afferre: rursus etiam congressus humentium syderum augere humores. Deinde uariè mixta lumina, uariaq; temperatæ qualitates, ut in pharmacis res dissimilimæ, aliter temperatæ, alios habent effectus. Ideoq; recte dixisse Aristotelem iudico, cum ait hũc inferiorem mundum à superiore gubernari, & superiora causam motus inferioribus corporibus esse: & addit rationem prudentißime cogitatam. Cum initium motus sit à cœlo consequi motum cœli, & reliquis causam motus esse. Hæc enim sunt eius uerba, quæ ascribemus, ut meminerint adolescentes tanquam oraculum: ἔστι δ' ἐξ ἀνάγκης συνεχὴς ὡς οὖσα καὶ ταῖς ἄνωθεν φοραῖς ὥστε πᾶσαν αὐτὴν τὴν δύναμιν κινεῖσθαι ἐκεῖθεν, ὅθεν γὰρ ἡ τῆς κινήσεως ἀρχὴ, πᾶσιν ἐκείνην αἰτίαν νομιστέον πρώτην. Sicut enim in his nostris corporibus uita, seu primus motus, qui in corde existit, ciet motum in alijs membris, ita cum

haud dubie motus cœli primus sit, reliqua corpora incitat, ut suos quosdam motus efficiant. Neq; uero quisquam recte institutus in Philosophia aliter sentit unquam. Nam et Medici qui solent in materia potius, quàm in cœlo rerũ causas quærere, tamen multa referunt ad syderum constitutiones, sicut ostendit libellus qui Hippocrati ascribitur, de aëre, aquis et locis. Atq; hæc nõ dissentiunt à Christiana doctrina, quæ etsi docet nos omnia diuinitus gubernari, tamẽ non tollit naturales actiones ac significationes rerũ sicut in alendis corporibus apparet, quibus etsi uitam ac motum Deus impertit, tamen ea foueri, ac pasci cibo, potu, & alijs rebus ad uitam tuendã conditis iubet. Ac prudentia digna Christiano est, dijudicare quæ sint cõmunes actiones Dei & naturæ, quæ autem sint proprie supra naturam positæ. Et ut de homine proprie dicamus, sæpe mihi cogitanti tria uidentur genera actionum in homines cadere. Notissimũ est, quod à natura hominis proficiscitur, sensu ac ratione. Ad id pertinent inclinationes, quæ sequuntur temperamenta qualitatum. Videmus enim dissimilitudines ingeniorum infinitas, quæ profecto pariunt dissimiles actiones, quemadmodum Poëta uere significauit, cum inquit:

Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Quid enim tam receptum apud Medicos est, quàm

tã

τὰ ἤθη καὶ τὰ πάθη corporum dispositionem imitari? Idq; res loquitur ipsa, ἤθη in homine bilioso existere nulla posse, sed excitari in eo immoderatos impetus, quasi uentos, magna & uehementia πάθη, quæ difficilime possit ratio regere aut flectere. Si quis autem considerabit diuersas regionum naturas, & diuersarum gentium ingenia, quam aliam causam huius dissimilitudinis ostendere poterit, quàm cœli naturam? Vnde facile iudicari potest, in miscendis temperamentis corporum atq; ingeniorũ inter alias causas, etiam luminis naturam concurrere. Neq; ego nihil educationem, consuetudinem, institutionem, leges atq; consilia in regendis inclinationibus istis proficere iudico, sed hæc quoq; pono in hoc genere actionum, quod à natura proficiscitur.

Alterum genus est actionum, quæ supra naturã existunt in homine diuinitus. Hoc est enim Christianæ mentis, intelligere ac sentire diuinitus homines custodiri atq; gubernari. Etsi autem ita gubernat Deus, ut naturæ suas partes etiam aliquo modo relinquat, tamen multa corrigit in natura, & multarum rerum euentus concedit alios, quàm quales proponit natura. Neq; enim Moises beneficio astrorum seruatus est, cum euaderet uia per maria patefacta. Neq; Petrus cum per Angelum è carcere edu-

ceretur, ſyderum beneficio liberatus eſt. Neq; Paulus ex hoſte Euangelij, poteſtate aſtrorum pius factus eſt. Talium operum cauſam proprie ad Deum referendam eſſe, nemo intelligit. Sicut igitur naturæ uires in alijs partibus eatenus recipimus, ne regnum Chriſti tollant, ita ſuas uires lumini eatenus tribuemus, ne quid de gloria Chriſti detrahatur, cui cum omnia ſubiecta ſint, iure etiam ſentiendum eſt, ſtellarum uices ei parere oportere. Ac bonæ mentes hac ſententia erigere ſe atq; confirmare debent aduerſus triſtes ſignificationes, quæ non raro miſerabiliter animos in tanta naturæ humanæ imbecillitate perturbant. Atq; ut alias uerbum Dei anteferre noſtris opinionibus debemus, ita aduerſus hæ ſignificationes animi uerbo Dei, ac promiſſionibus diuinis confirmandi ſunt. Idq; uulgata ſententia docet, quæ citatur ex Ieremia. Nolite timere a ſignis cœli, quæ timent gentes. Neq; enim negat Propheta ſigna eſſe, ſed cum ſigna nominet, ſentit ea res magnas atq; triſtes minari. Conſolatur autem pios, ne ea metuant, non quia nihil ſignificent, ſed ut confidant ſe diuinitus inter illa pericula tegi ac ſeruari. Sicut mortem timere Chriſtus prohibet, non quia mors non ſit aſpera, ſed ut ſciamus nobis etiam in morte ipſum adeſſe Chriſtum, ut nos ſeruet. Erigenda igitur mens eſt ſupra uniuerſam ham

hanc corporalem naturam, uel si fractus illabatur orbis, nec patiendum ut uerbum Dei, ut fiducia erga Deum nobis excutiatur, qua sicut muniuntur piæ mentes aduersus præsentia pericula, ita munendæ erunt etiam aduersus inimicas astrorum significationes. Sicut igitur aliæ partes Physices non lædunt religionem Christianam, ita neq; Astrologia, nam hanc quoq; partem Physices esse sentimus, officit pietati, si quis in loco utatur.

Aç præter hæc duo actionum genera quæ recensui, reliquum est tertium genus actionum, ad quas suscipiendas, animi contra naturam à Diabolo magno motu impelluntur. Neq; enim aut astris, aut alijs naturalibus causis, sed Diabolo recte tribuentur, Neronis et similium Tyrannorum prodigiosæ libidines atq; parricidia. Itaq; cum humani animi non uno tantum genere causæ moueantur, consequitur leges fatorum uarijs modis impediri, interdum efflatu diuino, interdum institutione, interdum deliberatione, interdum etiam in deterius flecti à Diabolo. Præclare igitur inquit Ptolemæus, Astrologorum decreta non esse prætoria: Nam prætoris edicta populum parere cogunt, Illæ uero significationes non afferunt uim hominibus, & si non ubiq; sunt ociosæ. Atq; harum rerum exempla suppeditant historiæ.

Sed hæc disputatio longior est, quàm ut hic explicari tota possit. Hæc enim ideo commemoraui, ne adolescentes in totum damnent hunc chorum artium, propterea quod imperiti quidam irrident diuinationes: Nam illa doctrina de motibus cognitionem habet suauissimam, & homine dignissimam. Et si quis adhibebit iudicium, intelliget alteram partem artis, diuinatricem uidelicet perinde esse partem Physices, sicut Medicorum prædictiones, pars quædam Physices esse existimantur. Neq; enim illa pulcherrima corpora syderum frustra condita esse sentiendum est, præsertim cum ille ordo atq; cursus summa ratione constet, adeo ut quædam quasi politia in cœlo, uelut in poëmate depicta esse uideatur. Sol enim qui regnare uidetur, in medio orbe uehitur, stipatus senatoribus, bellatore, atq; oratore: habet & œconomas Lunam & Venerem, nam hæ præcipue dominantur in ciendis humoribus, quibus aluntur corpora. Cum autem & hic admirabilis ordo ac positus, deinde certissimæ leges cursus testentur hoc opificium summa ratione constare, non est consentaneum, astra nullas significationes, nullos effectus habere. Neq; uero frustra dicunt sacræ literæ: Erunt in signa, tempora, & dies, & annos. Hic non solum inquit annos, dierum & noctium uices, discrimina temporum, uidelicet æstatis atq; hyemis ab

mis ab astris confici, sed addit etiam de signis. Idq; interpretatur consensus omnium seculorũ, quo compertum est, eclipses semper habuisse tristes euentus. Non est autẽ hominis bene instituti, dissentire à consensu tot seculorum.

Hæc fortasse longius quàm oportuit in hunc libellum præfatus sum, sed uolui commonefacere adolescentes in ipso uestibulo harum artium, ut de hoc toto choro artium honorificentius sentiant. Scripsi autem ad te, Grynæe doctissime, non quod hac oratione te arbitrarer accendendum esse, qui in uniuersa Philosophia sic excellis, ut quem tibi conferam ex nostris hominibus, habeam neminem: sed harum artium mentio semper memoriam mihi tui renouat, cuius rei testem habes uirum optimum Iacobum Milichium, qui quoniam has artes hic docet, multum de eis mecum confabulatur, quo in sermone sæpenumero incidimus in tui mentionem. Nemo itaq; fuit ad quem potius de his artibus scriberem, quam ad te, ut intelligeres nos cum ipsis recordationem tuæ amicitiæ coniungere. Quanquam extant & publica quædam monumenta tua, quæ nos de tuis uirtutibus atq; pulcherrimis studijs admonent. Habemus enim Aristotelẽ tuo beneficio emendatiorem, ac nitidiorem, quem scis me ualde mirari, amare atq; colere. Sed nunc magis amo, post-

quam habeo in uestibulo operum eius nomen hominis amicißimi ascriptũ. Vtinam uero contingat mihi aliquando ocium ad hunc autorem illustrandum atq; ornandum, quemadmodum tu instituisti magna cum laude facere. Accipio enim te libros aliquot longe fœlicius enarrasse, quàm solebant isti, qui paulo ante hanc ætatem, non natiuam Aristotelis faciem, sed uix exiguam umbram nobis ostendebant: nec tradebant Philosophiam, hoc est, sapienter dicendi et iudicandi scientiam, sed hanc oppresserant, ociosis & inanibus argutijs, quæ nihil ad iudicandum de ciuilibus aut alijs magnis rebus proderant.

Sed hæc aliàs. Bene uale. Vuitteberg æ,
mense Augusto.
1531.

Præfatio

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Theoricas nouas Planetarum, Georgij Purbachij Germani.

DOCTISSIMO VIRO SIMONI Grynæo, Philippus Melanthon S. D.

VM Græcia longo & ciuili bello undiq; arderet, & malis uexaretur omnibus, quæ bellum præsertim ciuile comitari solent, Apollo consultus in Delo, quando tantarũ calamitatum finis futurus esset, aut quibus modis Dij facti placatiores, præsentes ærumnas depulsuri essent, respondit, tum demum Græciam tranquillã fore, cum sibi aram, quæ ibidẽ erat, duplicassent. Erat autem aræ figura cubica, quam cum Delij duplicare instituissent, alteram pari magnitudine addiderunt, et ex cubica figuram quadrangulam effecerunt. Ali quanto post, cum publicæ calamitates nihilo fierent mitiores, iterum interrogant Apollinẽ, rite ne parui issent oraculo: Apollo negat eos imperata fecisse. Ibi uero perculsi Delij, suspicantur rem grauiorẽ per ambages

ambages significatam esse, & oraculi interpretem quærendum esse censent. Veniunt itaq; ad Platonem, qui docet, qua in re sit erratum, uidelicet, nescisse eos cubi & quadranguli discrimen, nec ex cubo fuisse quadrangulum faciendum, monstrat qua ratione cubus duplicandus sit. Cæterum admonet hanc oraculi sententiam esse, ita demum Græciam futuram tranquillam, si se ad Philosophiam Græci conuertissent, quia hæc studia animos ab ambitione, & cæteris cupiditatibus, ex quibus bella & cætera mala existunt, ad amorem pacis, & moderationem in omnibus rebus abducerent.

Huius mihi Platonici oraculi, sæpissime uenit in mentem, mi Simon, cum horribiles horum temporum tumultus considero. Nec uero alienum putaui hoc loco recitare, præsertim cum ad te scriberē, hominem cū in reliqua Philosophia, tum in his ipsis artibus eruditissimum. Nam mihi quoq; unum hoc remedium uidetur publicarum calamitatum fore, si se nostri homines ad ueram ueteremq; Philosophiā conuertant, quæ cum incendat animos amore ac studio ueritatis, & ad intellectum atq; admirationem optimarum rerum excusitet, una efficit uiros bonos ac moderatos, ac dissimiles horum, qui nunc cum propter insciti am bellum ueritati & rectæ doctrinæ indixerint, & in homines studiosos horribilem

horribilem crudelitatem exerceant, publicas discordias præcipue alunt atq; inflammant. Etsi autem isti Platonis oraculo nihil afficiuntur, nos tamen decet operā dare omni contentione, ut iuuentutem ad hæc studia reuocemus, & ut pulcherrimæ artes conseruentur, & ad posteros perueniant, quod certe præstare ipsi in hoc uitæ genere debemus, & ut olim habeat Respub. ciues recte eruditos, εὖ γνησίως φιλοσοφοῦντας, qui mederi publicis malis & uelint & possint. Neq; uero ulli melius gloriosiusq; de uniuerso genere humano mereri censendi sunt, nec Deo gratius facere quidquam, quàm si qui hoc consilio optimarum artium studia defendunt, atq; ornāt. Huic merito, nulli triumphi, nullæ uictoriæ iure anteponi poterunt. Ac noui ego quidem tuos ad hanc laudem impetus iam olim, sed postquam nunc optimos autores, primum Aristotelem, deinde Euclidem & Platonem edi curasti, & ut intelligo, iam adornas editionem Magnæ Syntaxeos Ptolemæi, extant minime obscura iudicij ac uoluntatis tuæ testimonia. Itaq; & tibi hunc animū, & Reipublicæ gratulor, teq; non desinam, tametsi παρενόλοντα, ut dicitur, hortari, ut totum te ad hanc Philosophiam illustrandam conferas. Habes huius honestissimi curriculi socios, non sanè multos, sed tamen aliquos passim in Germania, uiros optimos & doctissimos,

ctißimos, qui & ipſi cõmouere ſtudia iuuentutis hac in re conantur. Recte enim iudicant, reliquam Philoſophiam mancam atq; mutilam eſſe, niſi rerum cœleſtium cognitio accedat. Scis autem in ſcholis opus eſſe elementis, Nec alius libellus magis neceſſarius eſt, quàm Theoricæ ut uocant, ſeu picturæ orbium cœleſtium, quas cum hic ederemus, diligentia uiri optimi ac ueteris utriuſq; noſtrum amici ornatas, Iacobi Milichij, in ueſtibulo hanc ad te Epiſtolã addidimus, non ſolum, quod tui memoriam nobis ſubinde renouat harum artium tractatio, ſed magis eò, quia libellum ſperabam plus habiturum gratiæ apud ſtudioſos, propter tuum nomen, quod propter egregias uirtutes tuas, apud omnes literatos admodum gratioſum eſt: præterea intueri omnes in te cupio, ut tuo exemplo cogitent ſe has communes literas cum interiore Philoſophia coniungere debere. Nam Epicureos illos, qui neque pulcherrimos motus cœleſtium corporum admirantur, neque cognitionem eorum utilem eſſe contendunt, ne quidem appellatione hominum dignos eſſe iudico. Etenim non ſolum bellum gerunt cum humana natura, quæ præcipue ad has diuinas res aſpiciendas condita eſt, ſed etiam θεόμαχοι ſunt. Voluit enim Deus horum mirabilium curſum ac uirium noticiam, ducem nobis eſſe ad diuinitatis cognitionem.

Quan-

Quanquam autem in hanc sententiam alio in loco multa à me disputata sunt, tamen quoniam hæc adolescentiæ magis quàm tibi legenda scribimus, quædam huius doctrinæ utilitates colligendæ sunt. Primum pecuina uita esset, si nullam certam anni ac temporum descriptionem haberemus. Sed illa utilitas longe maior est, quod leges illæ motuum constitutæ ad omnium animantium salutem, deinde & uires cœlestium luminum multiplices, & superiorum atq; inferiorum corporum consensus perspicue testantur, hunc mundum ut uenustissime inquit Xenophon, σοφῶν τινὸς ἀνωτέρω καὶ φιλοζώων τέχνημα esse, ac mente aliqua æterna & optima conseruari atq; gubernari. Quantũ autem refert, hominum animos intuentes in illa diuinitatis uestigia, firmam tenere persuasionem de Dei præsentia, deq; prouidentia? Profecto in bonis mentibus magnam hoc uim habet, & ad religionem confirmandam & ad regendos mores. Hæc si quis arrogãter contemnit, naturæ suæ immanitatẽ prodit, non aliter atq; Cyclops apud Homerum, qui negat se ullos uereri Deos. Quin potius, ut Plato dixit, Deum semper γεωμετρεῖν, hoc est, certissimo motu omnia metientem, gubernare hæc inferiora, ita nos uicissim huius summi artificis lineas considerantes, hac pulcherrima Geometria nos oblectemus, quæ

diuini-

diuinitatem nobis ostendit. Si ob hanc causam præcipue condita est cœlestis natura, ut certe est, ut Deum nobis monstret, satis constat, uoluntati Dei non parere istos, qui hæc diuinitatis uestigia non aspiciunt neq; inquirunt.

Iam quantum prodest ad omnes uitæ partes diuinatrix illa pars, hoc est, Physica, quæ disputat, quos habeant effectus astra in miscendis corporum temperamentis. In priuata uita habet usum in medendo, ut summi autores testantur. Conducit & ad regendos mores, & deligenda studia, plurimum enim refert, intelligere quo quenq; natura ducat, ut bonos impetus industria iuuemus atq; confirmemus, prauos cohibeamus. Nam ingeniorum naturæ magna ex parte imitantur temperamenta. Non dicam hoc loco de fortuna, ne omnes uitæ casus ad astra referre uidear. Sed tamen & fortuna sæpe comitatur mores. Et quanquam aliæ quoq; causæ sunt humanorum euentuum, tamen res loquitur ipsa, interdum in astris causam esse, cur, ut Hesiodus inquit, Ipse dies quandoq; parens, quandoq; nouerca sit. Minus autem lædet fortuna bene præparatum animum. Nec nihil conducit tempestatum obseruatio ad œconomiã. Porro hi proximi anni aliquot, satis claras significationes præbuerunt, sydera magnam uim in aëre & rebus nascentibus habere. Idq;

palam

palam testantur insignes syderum congressus. Existunt & in Rebuspub. fatales tempestates, in quibus admoniti ab hac arte, multa prouidere possunt, uel ad cauenda, uel ad mitiganda pericula. Sæpe enim fata consilio in melius flecti queunt. Sæpe fatorum sæuiciam lenit Deus, placatus piorum uotis. Quare hæc quoq; grauis causa fuerit, rerum futurarum significationes animaduertendi. Prodest enim commonefieri homines atrocibus syderum minis, ut à Deo opem implorent, deinde ut bonitatem Dei magis agnoscant, cum uiderint aliquam esse superiorẽ ac meliorem naturam syderibus, quæ tristes significationes mitigat. Nec dubia est harum artiũ fides: Nam et motuũ ratio demonstrationes habet, quarũ eò est suauissima cognitio, quia delectat animos certitudo, & harmonia seu consensus in tanta uarietate argumentorum. Et diuinatricem si quis prudenter ad Physicen referet, intelliget eam habere graues causas. Et tuetur eam experientia peritissimorum hominum. Recte uero Galenus de hac ipsa arte inquit: Sophisticum esse, contra experientiæ testimonium, rationes quærere. Nec eò detrahenda est arti fides, quia aut artifices aliqui inepti sunt, aut non omnes euentus humanos in arte monstrantur, sunt enim & aliæ quædam præter sydera euentuũ causæ. Etsi autem in tantis tenebris humanæ mentis, multa

prospici nequeunt, tamen artis beneficium non leue ducendum est, quæ pleraq; interim & ad uitæ summam pertinentia monet. Quoties fallimur in leuioribus artibus, & in ijs rebus, quæ sunt, ut ita dicã, in manibus? Neq; tamen propter huiusmodi errata explodendæ sunt artes. Sed prudentia est, ad uitæ usum inde quantum possumus, transferre. Illud etiam recte institutis iudicare facile est, quis esse modus diuinationum debeat, & quod religio approbet has diuinationes, ut Medicorum iudicia, aut cæteras Physicæ partes. Sed hæc alibi disputauimus.

Cum igitur præmia sint artis ingentia, cumq; mirifica sit cognitionis suauitas, tamen uel inertia hominum fit, ut hæ tantæ res neglectæ ac spretæ iaceant, uel etiã prauis iudicijs. Non enim nulla scholarum culpa est, in quibus rixæ Sophisticæ longe anteferebantur his pulcherrimis atq; optimis disciplinis. Homerus cum in clypeo Achillis pingeret fydera, & cœli uerticem ac motum describeret, quid aliud uoluit significare, quàm harum rerum inquisitionem summis heroibus dignam esse? Apud Vergilium Iopas in regio conuiuio canit errantem Lunã, Solisq; labores. Turpe est autem in castris, & in conuiuio in admiratione fuisse has artes, & in scholis iacere spretas atq; neglectas, quibus Philosophiæ defensionem atq; conseruationem Respub. cõmendauit.

dauit. Possem exempla commemorare ueterum & huius ætatis Regum, qui huic studio dediti fuerunt, non solum uoluptatis causa, sed quod conducere arbitrabantur ad consilia rerum gerendarũ, sed ipsæ stellarum appellationes satis monent hanc fuisse olim maximorum Regum Philosophiam. Ideo enim plerisq; stellis heroum nomina indita sunt, quia cœlestes motus obseruarunt atq; illustrarunt. Nec Orphei chelim aliam ob causam inter sydera positam arbitror, quàm quia hanc Philosophiam de syderibus docuerit. Itaq; hortentur iuuentutem ad hæc studia, & dignitas harum rerum, & cognitionis suauitas, & magnitudo utilitatum, & honestissima exempla omnium summorum ingeniorum omnis ætatis. Quid quod hæc cœlestis Musica profutura est etiam moribus? Nam ipsa consideratio magnarum & diuinarum rerum animos captos admiratione tantæ pulchritudinis, mirabiliter ad uirtutem & ad moderationem flectit. Quodq; fertur Orpheus cantu syluas & saxa traxisse, hoc est, homines rudes & feros ad se conuertisse, ut uiuendi leges acciperent, non arbitror eos magis ullius rei dulcedine captos esse, quàm monstratis rebus cœlestibus.

Nec deterreri se ab his studijs recta ingenia sinant indoctorum iudicijs, qui tantum quæstuosas artes mirantur. Nam cũ hæc sint uirtutis studia, fortitudo

tudo etiam in eis colendis requiritur, quæ animos aduersus stultas uulgi opiniones obfirmet, & peruersa iudicia contemnat. Atq; hoc tempore uel maxime pugnandum est cum indoctorum persuasionibus. Nulla enim ætas tam ferrea rectis studijs fuit, quàm ista: cuius rei etiam si sunt quædam in astris causæ, ut Eclipses & Cometæ horum annorum non obscure significant, tamen & præter fatales causas augent hanc rabiem suo scelere homines improbi, quorum animi ambitione & auaricia occupati, uere bona neq; intelligere, neq; expetere possunt. Proinde maior adhibenda est contentio bonis uiris, ne literæ, non tam fato, quàm uulgi furore oppressæ, funditus intereant. Cumq; artes Dei munus sint, non defuturus est Deus his, qui ipsius dona tuentur, & conseruare studebunt. Erunt & fata ipsa aliquando artibus æquiora. Fortasis hic etiam adolescentes monendi erant, quis huius libelli usus sit: Sed has partes interpretibus relinquam. Purbachius prudentissime in hanc epitomen contraxit Ptolomæi doctrinam, de omnium orbium cœlestium motibus, ut studiosis aditum ad integras disputationes patefaceret. Prodest enim ad difficiles & longas controuersias afferre summam negocij, uelut argumentum. Itaq; dum hic picturas orbium instituit, tantum τὸ ὅτι, ut ita dicam, tradit. Causas uero, cur tot cuiusq;

cuiusq; Planetæ orbes numerentur, & quibus obser uationibus tanta uarietas animaduersa sit motuum, postea uult ex Ptolemæo peti. Ad hæc cognitis his elementis, Planetarum motus ex tabulis ad id compositis computari possunt: Id quoq; pertinet ad τὸ ὅτι. Sed tamen hæc primum tradenda iudicauerunt homines periti, ut postea demonstrationes de causis facilius percipi possent. Et interim dum hæc elementa sunt in manibus, & agitantur, interdum causæ aliquæ simul ostenduntur: Mirabili enim uinculo inter se doctrinæ partes connexæ sunt.

Plato grauissime inquit, σοφώτατον ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀστρονόμον εἶναι. Magna enim doctrinæ copia est in hoc genere, nec ulla tam facilis pars est, quin si penitus uelimus eam cognoscere, plurima simul quærenda sint. Etsi autem non omnes se prorsus huic studio addicere uolent, tamen hæc initia ignorare homines literatos turpe est, & alienum humanitate: Quomodo sint contrarij motus orbium: De solis cursu, quæ sint æquinoctiorũ, ac solstitiorum causæ ac notæ, cur in alia circuli parte tardior sit motus, in alia uelocior: Quomodo Solis cursus, quomodo poli altitudo spacia dierum mutet: Quæ sint umbrarũ differentiæ, ex quibus cum alia multa deprehensa sunt, tum etiam solis & terræ magnitudines: Qui sint regionũ situs: Quare

Luna singulis mensibus occultetur, & postea prodiens paulatim impleat orbem: Quæ Eclipsium causæ sint. Hæc atq; alia multa in facilima parte huius libelli traduntur, quæ tamen ipsa locupletissimam quandam doctrinam continent, nec explicari possunt, nisi multa requiramus ex fontibus, ubi de causis disputatur. Quare magnum operæ precium facient studiosi in hoc libello cognoscendo omnes, sed generosæ naturæ degustatis his initijs, ad cætera ingenti animo contendere debent, ut pulcherrimam & suauissimam Philosophiæ partem absolutam, ad uitæ usum accommodare possint, & causas uidere, unde sint illi rerum circuitus, quos ita uocat Plato, in naturis corporum, & in Rebusp. qui ortus, incrementa, inclinationes, & interitus continent. Ad hæc si accesserit liberalis aliarum literarum doctrina, & religionis scientia, quid potest cogitari tali uiro, qui ista consecutus est, beatius? Nulla regna, nullas opes, nullas uoluptates animus non monstrosus his bonis anteferet. Neq; uero ulla ex arte fructum capere satis dignum, sine hac societate doctrinarum quisquam poterit. Sed ut in fidibus plurium concentus efficit perfectam sonorũ suauitatem, ita copulatio uberiores & gratiores in singulis artibus fructus parit. Id non difficile est iudicare: Si quis enim per omnem uitam tantũ in Dialectica aut

Arithme-

Arithmetica elaboret, nullis alijs adhibitis artibus, in quibus illæ exerceantur, is uelut ludo quodam de lectari suo studio uidebitur, non ueros ex arte fructus poscere. Quanto autem uberiores ex utraq; fructus percipiemus, cum Arithmeticæ beneficio syderum motus inueniemus, cum ratiocinando conferemus causas, & effectus, uel in natura, uel in negocijs, et iudicabimus, quæ consentiant, quæ dißideant? Quare si ueros ex singulis artibus fructus auferre cupimus, totum doctrinarum orbem animis intuea mur, atq; expetamus, præsertim si non repugnet natura, & contingant idonei duces. Talis doctrinæ perfectio non solum priuatim beatos efficit: nam & præsidium est uitæ firmißimum, & complet animos ueris, & non perituris uoluptatibus, sicut inquit Aristoteles: δοκεῖ γοῦν ἡ σοφίᾳ θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαρειότητι, καὶ τῷ βεβαίῳ. Sed etiam præclare mereri de Republ. potest. Non est enim obscurum, quantum noceant Rebuspub. homines leuiter docti, qui de maximis rebus falsas opiniones serunt.

Hæc ad te de communibus studijs libenter scripsi, non quidem tua causa, uideo enim te recto cursu fœliciter ad illum scopum, quem petendum esse dixi, contendere, aut potius non procul à meta abesse, sed ut iuuentutem ad hæc studia adhortaremur.

etsi arbitror nullum neq; nostræ amicitiæ aptius, neq; tibi iucundius esse, quasi confabulationum genus, quàm de honestarum disciplinarum studijs, in quibus hanc ipsam partem, de qua hic locuti sumus, ornandam & propagandam tibi sumpsisti, qua in re non solum ingenij ac doctrinæ laudem assequeris, sed etiam prudentiæ & fidei, quod quasi desertam à multis hoc tempore stationem occupas, & ei parti Philosophiæ opem perferendam esse perspicis, quæ maxime iacet neglecta. Vtinam uero Deus Rebuspub. tranquillitatem concedat, ut boni uiri has artes excolere atq; illustrare possint, quibus nullum habet hæc uita ornamentum præstantius. Bene Vale.

Præfatio

PRAEFATIO IN ALFRAGANUM & Albategni.

AMPLISSIMO SENATVI NORIBERGENSI Philippus Melanthon.

NOn dubito uos pro excellenti sapientia uestra probare ueterem morem, quo scripta cuiuscunq; generis de doctrina bonarum rerum, summis ordinibus dedicari solent. Nam etiam si mos ille tantum ad priuatum officium pertineret, nec aliud contineret, nisi significationem beneuolentiæ erga illos, ad quos ingeniorum monumenta mittimus, tamen, ut opinor, laudem mereretur. Verum causæ publicæ multæ sunt huius consuetudinis. Primum interest Reipub. ut hi qui sedent ad gubernacula, inspiciant studia hominum, & dent operam, ut bona scripta in manibus ciuium uersentur: Hæc enim formant opiniones, iudicia, mores populi. Quare præcipue exhibendi sunt libri his qui præsunt, ut eorum iudicijs et autoritate comprobentur. Patronos etiam artium honeste quærimus hoc officio, aut gratias agimus ijs qui bene mererentur de publicis studijs. Nec uero ullum est iustius

officium, quàm cum ipsis artibus propagare memoriam & laudem uirtutis magnorum uirorum, qui propter utilitatem publicam literarum studia accenderunt ac propugnarunt. Et hæc exempla præluce re posteris non est inutile. Nec ipsis opinor Principibus Reipub. indecorum est coniungi eorum memoriam cum honestis artibus. Has causas in hac inscriptione secutus sum, cum hos libellos, plenos eruditionis et ueræ Philosophiæ, auspicio nominis uestri publicandos esse censui. Nam hi autores aliqua ex parte ope uestra restituti sunt, & quia renascuntur in urbe uestra, & quia prodeunt emendati diligentia uiri doctissimi Ioannis Schoneri, qui stipendio uestro Mathematicen apud uos profitetur, eiusq; studia magna fide & uirtute excitat & adiuuat. Multa uero huius generis beneficia Reip. uestræ debemus: Nam cum inde usq; à Ioanne Regiomontano urbs uestra uelut domicilium fuerit huius Philosophiæ, magna fuerunt harũ artium apud uos studia, multa egregia monumenta apud uos edita sunt.

Attici ingeniosi homines finxerunt Neptunum & Palladem inter se certasse, ab utro numine ciuitas appellaretur: cumq; Deorum iudicio Pallas omnibus calculis uicisset, urbem ab ea nominatam esse. Qua fabula significauerunt ciuitatem non Imperij laude, quod classibus parauerant, & opum magnitudine

tudine præstantiorem esse, quàm ciuilibus artibus. Illud autem in primis sapienter cogitatum est, quod eius iudicij Deos autores fecerunt, ut cum plerique homines summam esse Imperij gloriam existiment, admonerent Deorum iudicio longe maius esse decus ciuitatum, leges, iudicia, honestam disciplinam, & similes pacis artes. Quare ciuitas uestra iure prædicanda est, quæ semper ea fuit modestia prædita, ut imperia non appeteret. Sed cum robore ciuium armis atq; opibus sit instructissima, maluit sociarum ciuitatum libertatem tueri, quàm suam potentiam augere. Deinde domi in eo uno elaborauit, ut haberet Rempub. optime ornatam omnibus ciuilibus officijs atq; artibus.

Vetus disputatio est de Monarchia & Aristocratia, sed tamen sine ulla dubitatione pulcherrimus inter homines status est, in quo multi sapientes et boni consilia conferunt, & cõmuni animo, pari studio ac fide Remp. gubernãt, qui patriæ charitate deuincti, non certant inter se ambitione, sed diligentia tuendi publica cõmoda, ac norunt inter se cedere, ubi Magistratus ordine quodã inter se consociati sunt. Ac licet alij Monarchiã anteferant, tamen nisi hac Aristocratia temperatũ sit regnũ, haud dubiè tyrannis est: Nemo enim unus aut prospicere omnia, aut administrare potest. Et amẽtia est si quis putat cõdu-

cere,

cere, ut in unius uiri sententiam semper fiat inclinatio. Qui quod hæc societas bonorum & sapientum plus humanitatis habet, certe Philosophicis naturis, quæ sunt κοινωνικαὶ, & nihil appetunt immoderatum, gratior est. Itaq; & Aristoteles eam Iustitiam quæ imperia constituit, imitari proportionem Geometricam dixit, quæ dissimilis est regno & Democratiæ. Nam proportio multos inter se consociat, & gradus constituit, ne promiscue rapiant imperia infimi. Tantamq; uim huius proportionis esse Plato scripsit, ut quidquid boni contingit ciuitatibus, hanc proportionem esse causam affirmet, quæ cum ad Aristocratiam proprie quadret, Philosophi hunc statum anteferunt. Porro non facile usquam meliorem huius status effigiem uidere liceat, quàm in uestra Repub. Atq; hæc ego commemorans non tantum de maiorum uestrorum sapientia & uirtute loquor, sed diuina beneficia prædico. Profecto enim Respub. humanis consilijs neq; constitui fœliciter, neq; teneri diu possunt. Singulare Dei beneficium est, quo quidem nihil est in rebus humanis melius ac pulchrius Repub. bene constituta religione, legibus, iudicijs, disciplina, artibus. Itaq; cum Rempub. uestram mente intueor, Deo gratias ago, quod propter multorum salutem bene constituit ciuitatem uestram, eamq; defendit, & bonorum uirorum sapien-

tiam

tiam, & uirtutem, qui in hac ciuitate floruerunt, agnosco Dei dona esse, et laudo ipsorum diligentiam, qui non pericula, non labores pro patria defugerunt.

Vt autem de cæteris laudibus non dicam, certe hæc propria est Noribergæ, plus artium quæ sunt uitæ utiles, in una urbe nusquam alibi est, quàm apud uos. Nec tantum florent ibi Mechanicæ artes, sed Philosophiæ magna studia semper apud uos fuerunt, eiusq; laudis possessionem adhuc retinent ornatissimi ciues, qui præsunt Reipub. Quare ad conseruandam & illustrandam hanc Philosophiæ partem, quæ continet Mathematicen, & doctrinam de motibus cœlestibus, multum opis attulit uestra ciuitas. Agnoscunt igitur omnes eruditi & prudentes, magnam uobis pro hoc immortali beneficio gratiam deberi, eamq; ob causam in hac editione ad uos scribendum esse duxi, ut significatio mei iudicij de uestra diligentia, in his artibus conseruandis & gratitudinis erga uos publice extaret. Cum autem hæ artes plenæ sint dignitatis, & ad uitam multas afferant utilitates, honorificum uobis est, tam frequentia earum studia esse in urbe uestra, ut etiam celebres Academias in hoc genere prouocare possitis. Etsi autem ea sapientia & uirtute præditi estis, ut hoc decus ultro ac libenter tueamini, tamen ut id faciatis

ciatis maiore studio, tempora uos commonefaciunt. Videtis enim has artes tumultibus publicis conterri tas, etiam in Academijs negligi. Et horum tumultuum epitasis, ut metuo, adhuc impendet. Quare ni si bene constitutæ ciuitates præsidio erunt literis atque artibus, & expulsas alibi excipient ac tegent, quæ barbaries in Germania futura est? Est autem sapientiæ uestræ, posteritati prospicere, & quantum humano consilio prouideri potest, præstare, ut & Rempub. & illas artes, quibus amissis Respub. retineri non possunt, non relinquatis.

Erat hoc loco etiam impudentia quorundam castigãda, qui de dignitate harum artium detrahunt, quos quidem iudicijs uestris & similium præstantium uirorum, qui Respub. constituerunt & gubernarunt, moueri decebat. Nam boni & sapientes gubernatores Rerumpub. non studerent eas conseruare, si iudicarent uitæ inutiles esse. Quanquam quid opus est disputatione, præsertim de doctrina motuum? Quid enim distaret hominum uita à beluina, si non anni & temporum iustam descriptionem teneremus, si nullas motuum leges intelligeremus? quæ ob hanc causam etiam propositæ sunt, ut nos de Deo opifice, & de nostra immortalitate admoneant. Significant enim nos non solum ad agnitionem Dei conditos esse, sed etiam ut ei pareamus. Restat igitur

alia

alia uita, in qua & illustris agnitio continget, & hi qui non obtemperarunt, pœnas daturi sunt. Alio qui quorsum opus erat admonere de obedientia, nisi iudicium secuturum esset? Neque uero miror ineruditos aspernari hanc doctrinam, sed tantam in quibusdam literatis hominibus peruersitatem esse miror, ut hanc partem, quæ demonstrationes de motibus continet, uituperent. Nam si Epicuri deliramenta defendere conantur, qui furenter contendebat cœlestia corpora nulla certa lege, sed casu ferri, digni odio sunt, uel stigmatis potius, quod adolescentes à rectæ & ueræ Philosophiæ studijs abducunt. Quanto rectius est omni studio inuitare atq; accendere bona ingenia ad has artes, quarum cognitio & per se liberalis est, & multas uitæ utilitates affert, et assuefacit animos ad quærendas demonstrationes, & ad ueritatis amorem, quæ uirtus uel in primis digna est homine docto, qui in literis & maximarum rerũ dijudicatione uersatur. Sed hanc disputationẽ aliàs tractabo. Deus seruet & defendat Remp. uestram, Amen. Mense Augusto,

Anno 1537.

Præfatio

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Computum Ecclesiasticum Ioannis de Sacro Busto.

DOCTISSIMO VIRO D. ACHILLI Gassaro Lindoënsi, Medicinæ Doctori, amico suo, Phil. Mel. S. D.

Ngens & manifesta utilitas est, tenere certam anni rationem. Quæ enim esset confusio præsentium negociorum, contractuũ, pactorum, iudiciorum, quæ tenebræ, si nulla esset annorum ac mensium distinctio? In historijs quanta caligo esset, sublata annorum enumeratione? Non mundi initium cogitari, non exordia religionum discerni, non mutationes imperiorum distingui possent. Perspicuum est autem, harum rerum cognitionem ad religionem, & ad multas uitæ partes necessariam esse. Quare nõ satis mirari possum, multorum ingratitudinem seu peruersitatem potius, qui studium huius doctrinæ de cœlestibus motibus, & anni descriptione, uituperant. Porro & utilitatis magnitudo, et iudicia sapientißimorum Principum ac doctißimorum uirorum, qui magna dilligentia

gentia annũ ordinarunt, mouere imperitos debent, ut auribus atq; animis abhorreant ab illis insulsissimis ac scurrilibus conuicijs, quæ in bonas artes, et diuinitus monstratas dicuntur. Videmus enim laudatissimis Principibus magnæ curæ fuisse, ut annum quàm rectissime describerent, ut discerni tempora, & rerũ memoria propagari & conseruari posset: Ideo et Solon Athenis ordinauit annum, constitutis æquinoctiorũ notis, de iudicio Thaletis. Hæc ratio post annos ducentos ab Eudoxo correcta est, qui fuit Platonis coætaneus. Sed iure gloriatur Cæsar apud Lucanũ, Eudoxi Fastos superari suo anno. Etenim cum essent diuersæ rationes, Aegyptiaca, Græca, & Arabica, Cæsar adhibito in consilium Sosigene, excogitauit nouam, multo cæteris commodiorem.

Nã Aegyptiaci anni, menses singuli habuerũt triginta dies, & accesserũt quotannis Epactæ quinq;. Nec fuit certa intercalationis ratio, nec certũ anni initiũ. Græci anni menses ad Lunam quadrant sine certo dierũ numero. Accesserunt autem Epactæ undecim, ex quibus mensem ἐμβόλιμον collegerunt.

Arabica ratio eruditior fuit his duabus: Nam menses Arabici alternis uariant, ita, ut prior habeat dies undetriginta, sequens uero tringinta. Deinde accesserunt undecim Epactæ, ex quibus colligebant ἐμβόλιμον.

Vidit autem Cæsar in omnibus his descriptionibus non solum incommodam esse negotijs incertitudinem, nam ijsdem mensibus alia apud alios initia erant, sed etiam æquinoctia nimis esse lubrica & fugacia. Quare ut & certa essent anni ac mensium initia, & dies æquinoctij ita continuaretur, ut parum admodum aliquot seculis uariaret, eam formam anni instituit, qua propemodum hodie utimur, & si ex tanto interuallo, nunc emendatione opus habet. An aspernamur hanc diligentiam in summis uiris, aut inani curiositate susceptam, sine graui causa putamus? Nec uero poterant hæ rationes uel Aegyptiæ, uel Græcæ, uel Arabicæ, uel Romanæ, sine magna scientia motuum cœlestium supputari. Equidem non dubito, quin singulari Dei consilio factum sit, ut initio mundi tam diligenter annotarint annos primi parentes, uidelicet, ut mundi exordium retro cogitare, & exigua illa spacia numerare posteritas posset: Item ut religionum discrimina considerari, ut series promißionum cœlestium, & historiarum teneri posset. Has causas si quis parum graues esse putat, næ ille Cyclopicam mentem habet. Fatemur ergo primos parentes, qui sapientia & pietate excelluerunt, diuinitus impulsos esse ad annorum distinctionem obseruandam, & propagandam. Nec tamen sine cognitione motuum cœlestium annus in-

cludi

cludi æquinoctiorum metis, & recte describi potuit: Quare necesse est eos uniuersæ doctrinæ de motibus cœlestibus studiosos fuisse. Quæ est autem arrogantia non modo aliorum magnorum uirorũ, sed etiam primorum parentum, qui generi humano duces, & monstratores ueræ religionis ac ueræ sapientiæ fuerunt, aspernari.

Itaq; studiosi adolescentes ament hanc doctrinã de motibus cœlestibus, & uitæ utilem esse iudicent, cum propter anni descriptionem, tum etiam propter alias causas. Nam quod nonnulli improbant τὴν μαντικὴν, uidemus indoctos eodem calculo etiam motuũ doctrinam condemnare, certe contemptus huius totius Philosophiæ in rudibus confirmatur. Etsi autem de diuinatrice hoc loco non disputabo, tamen si recte uolumus æstimare, hæc ipsa motuum doctrina uere est præcipua μαντικὴ, testatur enim esse æternam mentem, opificem & gubernatricem mundi, nosq; ad agnitionem Dei, & ad immortalitatem conditos esse. An hæc μαντικὴ asperanda est: quid uerius conuenit uatibus, quàm confirmare in animis hominum ueras & pias opiniones de Deo? Quare fateamur hanc ipsam motuum doctrinam μαντικὴν esse utilem uitæ & moribus. Sit sanè fatidicum quiddam, ut est κρᾶσις corporum, & ingenia iudicare ex aliqua syderum

insigni coniunctione, aut tempestates prædicere, propter quas

ἄλλοτε μικρὴ πτέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήνη.

Magis tamen fatidicum est, monstratis certissimis motuum legibus confirmare mentes, ut uere statuant esse Deum, qui ordinarit, qui gubernet hos motus, qui agnosci uelit ab hominibus, quorum utilitatis causa has uarietates motuum condiderit, quique cum nos ad sui agnitionem inuitet, bonis præmia, impijs pœnas proposuerit. Sed hæc alibi copiosius disputaui. Redeo ad superiorem orationem de anni descriptione. Valde probo consilium Georgij Ioachimi Rhetici, quod ad libellum de Sphera adiunxit rationem anni conscriptam ab eodem autore Ioanne de sacro Busto. Nam, ut ante dixi, tenere certam anni rationem, multis de causis utile est. Tanta fuit olim etiam in Ecclesia eius rei cura, ut Cyrillus affirmet in Synodo constitutum esse, ut quotannis Alexandrinus Episcopus significaret Romano certum æquinoctij diem, propterea quod in schola Alexandrina eo tempore adhuc florebant huius Philosophiæ studia, Romæ uero non perinde nota erant.

Porro hic libellus cum anni rationem ostendit, etiam adiuuat studiosos in doctrina de motibus Solis & Lunæ. Tibi autem præcipue dedicare hunc libellũ Georgius uoluit, ut ostenderet se memorem esse uet-

ueteris tuæ amicitiæ, & ut hoc loco mea uoce tibi gratias ageret, quod ipsi ad hæc studia hortator fueris, cœlestibus significationibus motus, cum quidem ipse longe aliud uitæ iter, & abhorrens ab hac Philosophia ingressus esset. Quare statuit se tibi debere plurimum, quod autoritate tua ad has artes reuocatus sit. Accipies igitur hoc munus ab amico, & honestissimorum studiorum socio, eo libentius, quia aliquid earum artium continet, quæ tibi magnum decus apud eruditos pariunt. Scito autem emendatum esse libellum à uiro prædito egregia doctrina & uirtute, Casparo Bornero, cuius est mirifica diligentia, ut in omnibus uitæ officijs, ita etiam in studijs bonarum artium. Quare debebunt ei gratiam lectores, quibus hic libellus profuturus est.

Bene uale. Mense Augusto,

Anno

M. D. XXXVIII.

PRAEFATIO IN GALE-num.

RTes uitæ utiles, generi humano diuinitus monſtratas eſſe, & conſeruari à Deo, cum alia ſigna non obſcure oſtendunt, tum uero hæc res perſpicue teſtatur, quod ſingulæ habent authores, à quibus uel inuentæ, uel expolitæ, uel reſtitutæ ſunt, heroicis naturis præditos, qui non ſolum ingenij ui & doctrinæ copia cæteris artificibus antecelluerunt, ſed etiam admirabiles quoſdam motus habuerunt, ut ſagaciſſime uiderent ea, quæ non ſunt obuia reliquis, & ſingulari fœlicitate pleraq; effecerint, quæ mediocres artifices ſupra artem eſſe iudicant. Nec uero dubium eſt, heroicas naturas diuino adflatu, & quodam, ut Græci uocant, enthuſiaſmo moueri. Itaq; lucet etiam in hac re præſentia Dei in natura, quod ut Reges certis interuallis excitat, qui eximia uirtute, & quadã inuſitata fœlicitate, uel noua imperia conſtituant, uel collabentes Reſpub. erigant, ita artium inuentores præſtantes, aut inſtauratores generi humano donat. Neq; enim aut Solon ſine aliquo cœleſti adflatu leges condidit, aut Homerus illud immortale carmen, quod mirabilem quandam imaginem omnium

nium, quæ incidere possunt in uita, consiliorum & euentuum continet, sine motu diuino fudit. Sed ut de alijs artibus dicam: Nihil dubium est initio illam uarietatem motuum cœlestium ita animaduersam esse, cum Deus quædam præsentia ingenia ad admirationem illorum certissimorum cursuum excitaret atq; incenderet, eisq; motus quosdam inderet, quibus reperirent certam obseruationis rationem: Sed illa uetera omittamus. Tota ars de motibus cœlestibus funditus perijsset, nisi unus Ptolemæus doctrinam ueterum, & suas quasdam obseruationes congestas ad posteros transmisisset.

Quare fatendum est, artes Dei munera esse, easq; ita ostendi, tum restitui per ingenia heroica, hoc est, quæ singulares & diuinos motus habent. Tales initio extiterunt Medicinæ inuentores Aesculapius, & si qui similes fuerunt, etiam ante Aesculapium alij apud alias gentes. Sed illa rudis uetustas ingenijs, & fœlicitate quadam admiranda pollebat, artem non norat. Ideo tradere alijs doctrinam, quam tenebant non potuerunt, experimenta quædam monstrabant. Deinde Hippocrates artem non tantum inchoauit, sed ferè totam complexus est, uerum ita, ut inuolueret eam breuibus quibusdam sententijs. Extitit igitur Galenus, qui cum ingenij dotibus par esset illis primis heroibus, erudi

tione uero antecelleret, nam & superiorum inuentis adiutus est, & multa ipse sua quadam felicitate animaduertit, uniuersam doctrinam in artem redegit, & omnes partes ordine distributas absoluit. Hunc unum iam tot seculis habemus fontem Medicinæ. Nam posteriorum Medicorum scripta omnia ceu riuuli quidam sunt ex hoc fonte manantes, id quod autores fatentur ipsi, sicut Auicenna, qui omnium posteriorum uberrimus est, prædicat se tantum Galeni interpretem esse. Quanta autem laus est, unum esse Medicæ artis autorem, ab uno præcipue tot seculis, toto orbe terrarum uelut oracula petita esse, de tuenda & restituenda ualetudine innumerabilium hominum? An non fatebimur hunc præclare meritũ esse de toto genere humano? Hæc uero sunt proprie heroica merita, multis gentibus atq; ætatibus prodesse. Et magnitudo talium beneficiorum testatur autores diuinitus excitari & gubernari.

Neq; enim negari potest, artem ipsam medendi ualde utilem esse generi humano. Neq; audiendi sunt aut homines feri & barbari, qui quadam naturæ immanitate contemnunt Medicinam, aut scurræ quidam, qui optimarum artium uituperatione famam aucupantur ingenij. Etsi enim non omnibus opitulatur Medicina, & interdum docta plus ualet arte

arte malum, ut inquit Poëta, tamen plerique omnes experimur, multos esse morbos, qui & sine ope Medica pelli non possunt, & arte adhibita recte & fœliciter depelluntur: id in uulnerum curatione, in luxatis aut fractis, & in morbis acutis magis cerni potest, sed non minus usu uenit in chronicis morbis. Verum hac disputatione nihil opus est. Nam illa crudelis oratio uituperantium beneficia Medicinæ & cum communi sensu pugnat, & contumeliosa est aduersus Deum, qui in naturã tanta uarietate sparsit remedia, ut testaretur sibi uitam & ualetudinem nostram curæ esse.

Vt autem euentus declarat diuino consilio ingenium Galeni ad Medicæ artis conseruationem excitatũ esse, ita in ipsius studijs & artis exercitio multa signa conspiciuntur heroicæ naturæ & fortunæ, quæ antecellit communem hominum captum, ac sortem. Natus est patre Architecto, qui cum in Mathematis perfecte eruditus esset, & naturam filij animaduerteret capacem esse earum disciplinarum, statim à teneris eum in hoc genere erudijt & exercuit ipse. Hæc prima institutio ita confirmauit eius iudicium, ut fateatur ipse, se postea audientem fixantes inter se Philosophos, fuisse Pyrrhoniorum hæsitationem, quæ conturbat & euertit artes, secuturum, nisi illa paterna doctrina præmunitus fuisset, qua

adsuefactus ad Geometricas demonstrationes, uidit esse certa artium initia, & perpetuam quasi telam demonstrationum. Egressus annum sedecimum, cœpit operam dare Medicinæ, quod ut faceret, ait se quodam non ambiguo, sed perspicuo somnio monitum esse. Breui autem tantos fecit progressus in arte, ut omnes suæ ætatis Medicos obscuraret. Accersitus igitur Romã ab Imperatoribus Vero et Marco Philosopho, cum ibi primum scholas haberet, secuta est gloriam, ut fit, inuidia, præsertim cum irritaret morosa ingenia libertate sua, in taxandis erroribus cæterorum scriptorum. Quare cum nollet odiose rixari cum indoctis ac maleuolis, omisit scholas, adeoq; se continuit, ut nec apud ægrotos quidquã disputaret, sed tantum necessaria mandata daret, ne uocaretur à calumniatoribus, ut ipse inquit, λογιαχὸς. Multa autem commemorat in doctrina à se reperta esse, ignota ætati superiori, ut digitorũ musculos: multa ostendit noua remedia, quod perspicuum signum est diuini adflatus. Neruorum sauciatorum curationem primus ostendit, eaq; in re adeo fuit fœlix, nunquam ut non responderit euentus. Stomaticum ex nucum corticibus quanta solertia repperit, cum in itinere rediens ex Alexandria, incidisset in ægrotum in rure, ubi deerant alia remedia, ut ipse narrat in sexto de compositione pharmacorum

Vul-

κλυτόπος.

Vulgaria ingenia non raro ſegnitie fiunt languidiora. Multo ſæpius franguntur aſſiduitate & uarietate laborũ. Sed ille diuinus igniculus ingenij in Galeno non eſt extinctus ullis laboribus. Simul et ſcripſit tam accurata opera, & res in natura uarias inquiſiuit, & ægrotos curauit, & peruagatus eſt bonam partem orbis terrarum, aliàs accerſitus ab Imperatoribus, aliàs ut adiret eruditos aliarũ gentium uiros, aliàs ut inquireret rerum naturas, ut bis in Lemnum nauigauit, ut naturam Lemniæ terræ exploraret. Hic animi perpetuus uigor non niſi in heroicas naturas cadit. Hæc recentior ætas tantũ Arabicos ſcriptores in manibus habuit, quia à Galeni libris inſcitia Græcæ linguæ Medicinæ ſtudioſos arcebat. Itaq; nunc quoq; nonnulli mirantur ſolos Arabes. Etſi autẽ mediocribus artificibus etiam ſua laus debetur, & ingratiſimus, ſi negamus Arabes bene meritos eſſe de poſteritate, quædam enim utilia uitæ repererunt ignota Galeno, tamen cum fuerint Philoſophi, hoc eſt, amantes ueritatis & gnati, nõ dubito ipſos ſuo ſuffragio libenter primas Galeno tribuere. Conſtat enim Arabicam doctrinam ceu riuulum eſſe ex Galeni fõntibus ductum.

Poſtquam autem Galenus iam renaſcitur, & uel in ſua lingua, uel in uerſionibus fœlicioribus legi poteſt, homines ingenioſi, & uiri amantes Philoſophiæ,

sophiæ, cur non anteferrent hos uberrimos fontes, hanc tantam rerum optimarum copiam, illis exiguis riuulis, quos tamen delibare etiam prodest? Sed Galenus sit uelut architectus huius studij, præsertim cum Arabes excerptis remedijs, bonam partem Philosophiæ omiserint, ut Galenus non modo propter medendi artem, sed etiam propter Philosophiam legendus sit. Nullus enim extat autor uberior eius partis Philosophiæ, quam Physicen uocamus, quàm Galenus, qui uniuersam Physicen eruditissime complexus est in his disputationibus, in quibus quærit demonstrationes de potentijs in animantibus, de generationum causis, de temperamentis, de sensuum organis, de causis actionum in sensibus, de morborum & remediorum causis, de qualitatum cognatione, de συμπαθείαις plurimarum rerum in natura. Hæc præter unum Galenum nemo disputat. Itaq; inchoata ab Aristotele Physica, ab uno Galeno absoluta sunt: qua in re non modo eruditionem Galeni admiror, sed multo magis fidem, candorem & ingenuitatem animi. Magna prudentia & magno animo cauillationes ac λογομαχίας repudiat, nihil perplexum aut Sophisticum amat, sed ubiq; simplicem ueritatem inquirit, & perspicue patefacit, quod magnum indicium est optimæ mentis, & naturæ amantis iustitiam & ueritatem. Sicut ille pru-

prudentissimus Tragicus inquit τὸ εὖ λόγῳ, σαφὲς ἀεί. Ac spero equidem renato iam Galeno futurum, ut non solum ueræ ac ueteris Philosophiæ studia magis accendantur, sed etiam ut moribus hæc doctrina prosit, & uehementem amorem ueritatis ac uirtutis in discentibus excusitet.

Cum autem usitato more deliberaremus cuius auspicio maxime uellemus hunc autorem in publicum prodire, propter grauissimas causas te prætulimus inclyte Rex, primum quod constet auspicijs tuis Græcæ linguæ & ueteris Philosophiæ studia in regno tuo ita excitata esse, ut ueterem Græciam una Gallia cum uniuersæ Philosophiæ scientia, tum uero etiam eloquentia Græca iam prouocare possit. Olim una erat Ionica Colonia in Gallia, uidelicet Massylia, quæ Græcas disciplinas longo tempore adeo coluit, ut Romani liberos eò mitterent eruditos. Nunc Gallia referta est hominibus præclare eruditis in toto artium orbe, & Græca & Latina lingua, ut multæ iã in Gallia Massyliæ esse uideantur. Id decus eo libentius nos Germani prædicamus, quia ad nos quoq; doctrinæ illius riuuli inde permanant. Deinde intelligimus te hæc studia non modo tueri ac prouehere, sed etiam ita amare, multa ut ipse legas è Græcis autoribus conuersa, de gubernatione Reipub. de rebus gestis præstantissimorum Regum ac

Impera-

Imperatorum, de architectonica, de natura rerum. Quare tibi potißimum dedicauimus hunc autorem, ut huius tuæ laudis memoriam cum autore omnium præstantißimo ad posteros extenderemus. Nec uero dubitamus, quin ipse iudices, nulla monumenta manufacta, nulla trophæa honestiora esse, quàm hæc testimonia graui iudicio doctorum hominum in talibus scriptoribus proposita, quæ cum leget posteritas, intelliget se gratiam ijs Principibus debere, quorum præsidijs hæ artes excitatæ sunt aut defensæ. Ilia oratione mihi non est opus, quantum deceat Reges & tueri artes uitæ utiles, & summos artifices conseruare. Hanc enim curam ultro suscipis, eaq; in re sapientißimos omnium ætatum Principes imitaris, quod quidem eo est laudabilius, quod pleriq; alij in ocio hæc curarunt, tu inter arma, difficilibus bellis implicitus, das operam ut domi interea his artibus Respub. reddatur instructior atq; ornatior. Nec Medica materia Regibus negligenda est, cuius utilitas tam late in uita patet, & quæ Regum ipsorum incolumitatẽ tanquam fida corporis custos tuetur. Iam Galenus non modo propter Medicinam, sed etiam propter pulcherrimam Philosophiæ partem, quæ Physice dicitur, summorum Principum diligentia generi humano conseruandus est.

Rogamus igitur, ut cum hoc nostrum munus accipies,

cipies, & testimonium de tua uirtute leges, commendari tibi patrocinium omnium bonarum artium ac literarum existimes, quæ si ad posteros propagari poterunt, bona spes est, olim Ecclesiæ & Reipublicæ statum futurum & meliorem et tranquilliorem: quod ut fiat, profecto omnes magnos uiros in Repub. & præcipue summos Reges prospicere & anniti decet. Fauebis autẽ eo magis huic editioni, quia magno sumptu Typographorum, & uigilijs multorum doctißimorum uirorum perfectum est, ut quantum fieri posit, emendatißima esset, & priorem uinceret: Verum id quidem res ipsa ostendet. Bene uale.

Præfatio

PRAEFATIO IN XENOPHONtem scripta ad Langæum.

Vitam regit fortuna, non sapientia, dixit quispiam in Tragœdia. Cui dicto & si non solum populus, sed etiã magni & præstantes uiri plausum dare solent, tamen addenda est quædam correctio. Videmus magnos esse in uita errores, opprimi tristissimis casibus etiam excellentes uiros, concuti Imperia fatalibus tumultibus, ut uideatur parum loci esse sapientiæ: Ac si colligentes animo summos & sapientissimos gubernatores ciuitatum & Imperiorum, reperiemus plurimos, quorum consilia præclare cogitata, ut uidebatur, tristissimos exitus habuerũt. Xenophon in hoc ipso uolumine describit trium florentissimarum ciuitatum continuatos interitus, cum quidem bellum initio exarsisset autore Pericle, qui tonans eloquentia, ut in Comœdijs dictum est, Græciam miscuit. Primum igitur Athenæ ceciderunt, postea uictrix ciuitas Sparta in simili calamitate fuit, cum quidem haberet Regem Agesilaum, qui uirtute & magnitudine rerum gestarum omnibus suæ ætatis Regibus antecelluerat. Mox et Thebæ ruere cœperunt. Nec multo post tota Græcia seruitute oppressa est, irritatis

tatis Macedonum armis à Demosthene. Cicero dum adolescenti, qui sese nondum regere poterat, committit exercitum regendum, & uniuersam Rempublicam quantum fallitur?

Itaq; cum magna uis sit seu fatorum, seu fortunæ, ut loquuntur homines, quæri solet, ad quid prosint sapientiæ præcepta in literis & historijs tradita. Nam si uita consilijs sapientum regi non potest, cur doctrina proponitur? Et opinor multos esse in maximarum rerum gubernatione, qui non ad certam normam, & ad doctrinam consilia dirigunt, sed quo uenti impellunt, dant uela, & fortunæ se permittunt: Sed hæc cæca & temeraria uitæ ratio indigna est homine. Etsi enim non semper ualent adminicula ad uitam regendam diuinitus proposita, tamen Dei beneficium nec aspernandum est, nec inutile, qui uoluit homines doctrina assuefieri & gubernari. Ne Medicina quidem semper depellit morbos, sed interdum, ut dicitur, docta plus ualet arte malum. Magna infirmitas est humanæ naturæ, qua fit, ut non semper obtemperent homines doctrinæ: Diligentia multis deest. Sæpe etiam uincitur, cum abest metus & agnitio Dei, & uel punit Deus hominum impietatem, uel grassatur in aliquos spiritus ille ardens odio Dei, qui ut est autor calamitatum humana-

rum, ita non desinit in humanum genus sæuitiam suam exercere. Hæc cum ita sint, agnoscenda est infirmitas nostra, & remedia uitæ quærenda sunt, doctrina mentes regendæ, & excitanda diligentia, quæ ualet sæpe, præcipue uero cum accedit agnitio Dei.

Plurimum igitur historiarum notitia conducit ad uitam, quia contraria exempla proponit, ostendit quibus doctrina profuit, multos, Daniidem, Cyrum, Scipionem: Rursus alios monstrat, quorum fuerunt infœlicia consilia, qui ex secundis rebus excussi, & si & Respublicas euerterunt, Pompeium, Cæsarem, & quos hic describit Xenophon, Alcibiadem, & Agesilaum. Hæc exempla nos de infirmitate nostra admonent. Quod enim ait Hippocrates in moribus triste signum esse, si mens ægrotet, id in tota uita miserrimum est, non sentire, non agnoscere morbos, quo fit, ut ruant homines cupiditate aliqua impulsi, & uel fiducia uirium, uel alio errore rapiantur extra metas, donec impingant. Quare non solum præcepta in rebus gerendis ex historijs petenda erunt, quæ suppeditant ad omnes casus plurima, sed etiam Adrastia, quæ in historijs ubiq; cernitur, admoneat nos de nostra infirmitate, hortetur ad modestiam, ne elati superbia ac fiducia nostri, res iniustas

iustas, aut non necessarias suscipiamus, ne contra uoluntatem Dei nitamur, ne diligentiam remittamus, ut Dauid remiserat. Magna hæc sapientiæ est, & cum omnibus hominibus, tum uero maxime gubernatoribus rerum humanarum necessaria. Plurimum autem in mediocribus ingenijs conducit ad hoc iudicium confirmandum, & quasi frenandos impetus immoderatos omnium temporum historia.

Nunc uero cæteras utilitates hoc loco colligere instituì, quæ multo sunt uberiores atq; ampliores, quàm ut satis illustrari uerbis possint. Quæ essent tenebræ in uita, nisi Deus extare historias uoluisset de rerum initijs, de ueræ religionis origine ac propagatione, de ortu superstitionum, de ordine imperiorum, de incrementis eorum & inclinationibus. Harum tantarum rerum historiæ non sunt sine singulari Dei consilio diuinitus traditæ, & conseruatæ, ac utilitas facile à prudentibus intelligi potest. Nam si hæc series nesciretur, nihilo melius retro cogitare possemus rerum initia, quàm pecudes. Vt autem series imperiorum teneatur, non solum opus est sacris historijs, sed etiam aliarum gentium monumentis. Qua in re sæpe cogito diuinitus accidisse, ut reliqui sint Græci scriptores luculenti, qui prorsus ab eo articulo historiam in-

choant, in quo Propheticæ desinunt, quasi testimonium de uetustioribus dicant.

Herodotus & Xenophon adfirmant primos hominum latissime regnasse Chaldæos & Assyrios, deinde Medos. Hæc Imperia describuntur in sacris libris: Successerunt Persæ, ab his inchoant Græci historiam. Prodest autem ad intelligendos sacros libros, & propagationem ueræ religionis considerandam, nosse Imperiorum seriem. Et quidem descriptio captæ Babylonis apud Xenophontem aptè quadrat ad Danielis uerba. Mihi uero etiam Gobrias, cuius filium Babylonicus Tyrannus interfecerat, uidetur fuisse quispiam ex Danielis sodalitio: & ad tempora hebdomadum apud Danielem explicanda, opus est serie Monarchiarũ. Quare his qui amant ueram religionem, hæc monumenta non sunt negligenda: Nec cæteræ utilitates aspernandæ sunt.

Multiplex est historia Xenophontis, quæ uarietate quadam exemplorum instruere lectorem potest, in Cyri institutione fórmat Principem ferè ab incunabulis, ita excellentem uirtutibus, iustitia, magnitudine animi, prudentia, temperantia, continentia, fide, semper ut bonitas, ac lenitas in reliquo choro emineat, ut inter stellas Hesperus emicat. Itaq; cum se ad hanc imaginem componeret totum

totum Scipio, qui hos libros etiam in castris inter tubarum classica, & armorum sonitum legebat, etsi res gesßit difficilimas, ac patriæ utilißimas, tamen plus uerę laudis habet propter moderationem animi, qua cauet, ne quid aduersus ciues superbe, aut aduersus hostes crudeliter faceret, qua tulit æmulos ac ornauit, ut Cyaxaren orat Cyrus, quàm propter ullas quamuis glorioßas uictorias. Vtinam uero Scipionis exemplo, & Principes huius ætatis legerent hanc historiam, seq; ad eam effingendam exuscitarent, ut conspici posset, id quod ait Xenophon: ἄρχοντας ἀγαθοὺς οὐδὲν διαφέρειν πατέρων ἀγαθῶν.

In Græcarum ciuitatum historia, quàm mira exempla ciuilium motuum, & actionum proponit? Omitto cætera. In omnibus parietibus historia Theramenis pingi debebat, qui cum magno suo periculo impetrasset, ne ciuitas Attica solo æquaretur, ac postea mitigare suorum collegarum sæuitiam studeret, crudeliter à Critia & collegis interfectus est. Huius exitus monet non solum, quæ pericula moderatis uiris in discordijs ciuilibus impendeant, sed etiam ita confirmandos esse animos, ne terroribus ullis, aut supplicijs à recta sententia depelli nos sinamus. Nec obscurum est sæpe in Republica tempora incidere, ubi opus est si-

mili moderatione & grauitate, quæ quantam habeat laudem, indicant uersus de Palamede recitati in theatro Athenis post Socratis necem, in quibus, cum Palameden Poëta prædicat fuisse Græcorum optimum & luscíniam Musarum Reipub. utilem, significauit infestos esse Tyrannos præcipue ijs, qui uirtute & eruditione antecellunt. Versiculi autem hi sunt:

ἐκάνετε ἐκάνετε τῶν ἑλλήνων ἄριστον
τὴν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδονὰ μουσῶν.

Quàm dulce exemplum & his temporibus necessarium recitat, cum narrat sancitam esse ἀμνηστίαν iniuriarum Athenis, cum Rempublicam Thrasybulus recuperasset. Vtinam ita nunc quoq; pax in Ecclesia quadam legum acerbiorum mitigatione fieret. Quæ est enim barbaries, malle uastitatem ac solitudinem in Ecclesijs efficere, quàm paucas quasdam & palam Tyrannicas leges relaxare? Tales historiæ se offerunt in hoc uolumine multæ, quæ lectorem multa de Republica præsertim hoc tempore monere possunt.

Adolescentes autem etiam propter eloquentiam hunc authorem diligenter legere debent. Veteres enim adeo mirati sunt Xenophonteæ orationis puritatem & uenustatem, ut uocarint eum apem Atticam. Et Quintilianus inquit: Quid ego commemorem

memorem Xenophontis illam iucunditatem in-
adfectatam, sed quam nulla possit adfectatio conse-
qui, ut ipse finxisse sermonẽ Græciæ uideatur? Ac
non solum suauitatem orationis, sed etiam consiliũ
& prudentiam studiosus lector obseruet, quã adhi
bet in concionibus, quæ ut sunt aliquanto magis te-
tricæ quàm Herodoti conciones, ita sunt dulciores
Thucydidis, in quibus multæ sunt ita procul accer-
sitæ, & argutæ sententiæ, uix ut attentus lector eas
satis assequi possit. Erat igitur eloquentiæ studio-
so periucunda Xenophontis lectio. Quare gaudeo
eum in Germania rursus editum esse, ut uersetur in
manibus studiosorum.

Cum autem de more præfigenda esset epistola,
potissimum auspicio tui nominis Langæe charissi-
me, prodire hunc autorem uolui, quod non dubi-
tabam te in gubernatione Reipublicæ magna cum
laude prudentiæ, diligentiæ, ac iusticiæ uersantem,
in primis lectione huius scriptoris delectari, &
cum eo sæpe de rebus maximis, quasi deliberare,
sperabam etiam aliquos in te intuentes ac conside-
rantes, quanto tibi ornamento sit eruditio, quan-
to usui in negocijs, libentius hæc lecturos esse, ac
excitatos tuo exemplo, daturos operam, ut ac-
cessuri ad Rempublicam instruant se his literis,
sine quibus qui ueniunt ad gubernationem, quid

aliud ſunt, quàm ut in ſcena uocantur, κωφὰ πρόσωπα? Exiſtimabis igitur me bono ſtudio ad te ſcripſiſſe, ac magnum fructum huius mei conſilij capiam, ſi cum de Republica cum potentibus colloqueris, hortator eris, ut Cyri clementiam, aut ſancitam à Thraſybulo ἀμνηστίαν imitari malint, quàm ſycophantarum ſæuitiæ morem gerere, qui Principum iracundiam paſſim contra nos inflammant. Bene uale, Anno

M. D. XL.

In Officia

IN OFFICIA CICERONIS PRAEfatio Phil. Mel.

Quid conferat lectio librorum de Officijs.

Vemadmodum uetant in exercendo sterili solo, aut sumptus facere, aut sumere laborem, ita lecturis scriptorem aliquem in primis uidendum est, quid doceat, & quam inde acceßionem ad studia nostra facere poßimus. Porro uix pauci in relegendis scriptoribus secum ipsi deliberant, ecquod operæprecium facturi sint. Et bona pars discentium in uniuersum nescit, ad quem scopum studia omnia dirigenda sint. Proinde initio huius libelli, & argumentum operis indicandum est, & quid conferat studijs nostris. Ea demum est solida eruditio de rebus moribusq; recte iudicare posse, deinde quæ animo comprehenderis perspicue & commode explicare, atq; eloqui. Rerum cognitio ad iudicandum & ad parandam prudentiam est necessaria. Magna in primis optimorum uerborum copia requiritur ad dicendum: Voco autem rerum scientiam, Physiologiam, Mathemata, Præcepta de ciuilibus moribus: Nam de religione hic nihil dicimus. Estq; ad communem uitam in primis

utile, ea tenere, quæ de moribus, deq; ciuili uitæ consuetudine tradita sunt. Beluam dicas, non hominem, quisquis non est excultus hoc doctrinæ genere, & ad humanitatem & ciuilia officia assuefactus. Nam uirtutis incunabula atq; rudimenta sunt hæ literæ, quibus ad honestatem teneri animi aluntur & incitantur.

Porro non alius extat libellus de moribus absolutior Officijs Ciceronis. Diligentißime enim præcepit de omnibus uitæ partibus, quid deceat quamlibet ætatem. Accedit etiam hoc, quod iusto ordine formas uirtutum proposuit, ut extarent ob oculos lectoribus, tanquam regulæ omnium consiliorum & factorum: fecit enim quatuor uirtutis membra, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, modestiam. Quæ tanquam locos communes proponant sibi adolescentes, ut eò referant omnia de moribus consilia, & quos, iudicaturi quid deceat, ceu Theseum filum sequantur. Nam ut Zeusis, cum Helenã Crotoniatis pingeret, inclusam habebat in animo pulcherrimam quandam mulieris speciem, seu, ut Græci dicunt, ἰδέαν collectam ex optimis exemplis: ita iudicaturos de moribus, oportet animo tenere tanquam formas quasdam uirtutum descriptiones, quas consulant, quas intueantur, in quas defigant oculos, quoties de honestate deliberant. Neq; ego hic de religione

gione dico, quæ ex sacris libris petenda est. Ciuilis uitæ consuetudo à Cicerone describitur, cum quare ligio nihil pugnat.

Scripsit de Officijs etiam diuus Ambrosius, credo ut pueris inculcaret religionem, de qua uidebat in Ciceronianis nihil præcipi. Verum ego religionem ex diuinis literis censeo hauriendã esse. De ciuilibus moribus malim audire Ciceronem, qui maximis rebus gestis uersatus in Repub. principe orbis terrarum, usu pleraq; comperit, pleraq; ex Græcorum scriptis, qui maximas ciuitates gubernarunt, uertit. Habes itaq; quid hic libellus ad iudicandum conferat: Est enim uel prima prudentiæ pars, tenere præcepta de moribus. Est autem Cicero res partitus in honesta & utilia. Honestatis partes in primo libro tractat, ubi primum uirtutes definit Dialectica quadam consuetudine. Deinde congerit multa præcepta de moribus uelut in aceruum. In secundo libro res omnes enumerat, quas natura ad utilitatem, seu usum hominum condidit, docetq; quem ex quaq; re usum percipere debeamus. In tertio confert cum honestate utilitatem.

Quid ad dicendum conferat libellus de Officijs.

Præterquam quod, ut cætera Ciceronis omnia, magnum numerum lectissimorum uerborum, &

figurarum

figurarum suppeditabit hic libellus, ideo etiam ad dicendum plus aliquanto, quàm pleraq; alia scripta confert, quia locorum aliquot communium formulas, & propemodum simulachra continet. Porro cum hi loci uirtutum ac uitiorum regulæ sint, ad quas omnium mores & facta exigimus in iudicando, oratio etiam omnis referri ad eos debet, inde argumenta, amplificationesq; petuntur, ut si quis ingratum dicat, multa illi non de persona tantum, sed de ipso uitij genere erunt dicenda, eritq; danda opera, ut intelligant auditores, quanta sit in eo uitio turpitudo. Verum id nemo præstare poterit, nisi locorum illorum formulas bene meditatas habeat, & exempla ueterum teneat, unde uerba, sententias, & ornamenta mutuetur. Eritq; itaq; hic libellus uelut penu, & sicut inquit Thucydides, κτῆμα, unde depromant orationem studiosi, de quacunq; re dicendum fuerit, hinc argumenta, hinc sententias, hinc figuras, hinc apta uerba excerpant. M. Cicero magnum instrumentum eloquentiæ id esse putauit, habere locos in numerato paratos atq; expeditos, in quibus procudendis, multum profecto Ciceronis exemplis adiuuabimur. Quæ enim potest de dolo malo, deq; æquitate uberior grauiór ue disputatio excogitari? Ea de re in tertio Officiorum.

Plurimum etiam ad dicendum conducunt narratiunculæ,

ratiunculæ, quæ sunt in hoc opere & multæ & uariæ. Quondam in Rhetorica progymnasmata erant διηγηματικα, sic enim uocarũt, in quo genere, qui se uolent exercere, magnam hic exemplorum copiam inuenient. Et cum nihil sit difficilius quàm commode narrare, non est alia exercitatio fructuosior quàm hæc. Quanta Deum immortalem elegantia, quantus lepos est in narratione gestorum Arati Sicyonij in secundo libro? Non minorem laudem meretur Gygis Lydi historia uersa ex Platone in libro tertio. Similes autem multæ sunt in hoc commentariolo, quas sibi studiosi omnes ad imitandum proponant. Eaq; exercitatio non tantum augebit uerborum supellectilem, sed quæ mihi in dicendo penè maxima uirtus uidetur, bene disponendi scientiam. Nam indocti non tantum adulterinæ monetæ uerbis orationem obscurant, sed ita etiam confundunt ac miscent omnia, ut intelligi nihil possit. Scholia alicubi breuissima adscripsimus, quæ indicarent lectori orationis ordinem & dispositionem, quam qui deprehenderint, facile sententiam scripti adsequentur: Nam de consilio autoris pronunciare, aut iudicare nemo potest, nisi serie orationis animaduersa. Vbi sententiam collegeris, hic immorandum erit in singulis membris orationis, uidendumq; quo genere uerborum, quibus Schematis orationis usus sit Cicero.

cero. Estq; cum illius oratione certandum & nostris uerbis exponendum argumentum, ita fiet, ut & sententiam propius adspicias, & clarius adpareant lumina Ciceronianæ orationis, ubi cum tua παραφράσει contuleris. Interea & uerba & sententiæ autoris obiter firmius adhæresçent animo. Sed faciamus in exordio periculum. Initio proponit se de Philosophia dicturum: Verũ est addita occupatio, cur in tanta copia Græcorum scriptorum ipse Latine scribat, iisdem de rebus, quas Græci copiosissime, splendidissimeq; tractauerunt. Et facta præceptoris mentio, & urbis, & ut in distributione, sua cuiq; subiecta ratio. Estq; περιοδικὸς cũ occupatione coniuncta propositio. Quanquam extent de moribus sapientissime scripta multa à Græcis, & cum Cratippus doctrina, tum Athenæ ipsæ exemplis te eruditi queant, tamẽ quia meus mos est Latina cum Græcis coniungere, uolebam Latine ad te Philosophica quædam scribere. Ad eundem modum in omnibus partibus orationis Ciceroniannæ, sententiæ, earumq; figuræ excutiendæ sunt.

Alia

ALIA PRAEFATIO IN OFficia Ciceronis.

Identur mihi singulari cõsilio Græci in definitione artis hoc posuisse, quod aliquam in uita utilitatem habere debeat. Nam omnes artes instrumenta sunt uel priuatæ uitæ conseruandæ, uel regendæ Reipublicæ. Nec opus est hic enarrare singulas, & ostendere propter quos usus inuentæ sint, & à maioribus ad posteros magna cura transmissæ. Illud magis est necessarium admonere, ut hi qui in hæc studia literarum ingrediantur, initio considerent, quis sit harum artium finis, quæ sit ex ipsis petenda utilitas, quod qui sciet & uim & dignitatem artium rectius cognoscet, & prudentius eliget ea quæ maxime prodest discere. Ad hæc nunquam perfectam doctrinam consequuntur isti, quorum animus non prospicit certum finem studiorum, & uagantur temere ac sine ordine ac ratione per uarias disciplinas: τέχνη ἔστι σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρός τι, τέλος εὐχρήστου τῷ βίῳ. finem seu utilitatẽ in omnibus artibus in primis spectandã esse probat ex ipsius artis definitione, quæ est Quintil. causa fuit, cur Rhetorices finem tã magnæ

cura

cura libro secũdo capite decimo octauo quæsiuerit.

Omnis autem doctrina, aut rerum cognitionem continet, aut uerborum, & quia rerum notæ uerba sunt, prior est uerborum cognitio, ad quam comparandam tametsi necessariæ sunt artes, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, tamen sine exemplis artes ipsæ sunt inefficaces. Ideo boni autores legendi sunt, ex quibus linguæ phrasin discamus, ex quorum imitatione comparemus nobis eiusmodi genus orationis quod adhiberi possit ad graues causas explicandas, quodq; lumẽ adferre rebus obscuris possit, si quando homines de magnis rebus, ut sæpe accidit, docendi erunt. Nemo autem ignorat optimum dicendi magistrum esse Ciceronem. Verum hic libellus habet singulares dotes, multos continet locos communes, in ijs est magna figurarum uarietas, in ijs autem narrationes, quæ ualde conducunt ad eloquentiam. Antonius apud Ciceronem ait nullam partem in dicẽdo difficilius effici, quàm perspicuam narrationẽ. Quare magnopere prodest egregia exempla narrationum tenere, quæ nobis proponamus intuenda, ut in dicendo aliquam similitudinem illorum consequamur.

Primum ergo in huius operis uestibulo atq; aditu, cogitabit auditor hanc lectionem profuturam esse ad alendam uerborum scientiam. Itaq; cum uniuersam

uersam orationis seriem ac phrasim obseruabit, tũ excerpet tanquam flores insignes figuras, ac iucundas narrationes & sententias maxime memorabiles, nam omnino danda est opera, ut aliquid inde ad nostrum usum transferamus, ut nostra oratio locupletior ex hac fiat: non enim obiter inspicienda sunt hæc opera, sicut tabulas præclare pictas, & ad spectandum propositas tantum uoluptatis causa contemplamur, nullam inde partem nobiscum auferimus, sed ita contemplemur, ut amœnissimos hortos, in quibus sparsim decerpimus fructus aut flores, qui maxime delectant. Altera de rerum cognitione deliberatio esse debet, quarum rerum scientiam hinc auferre possimus. Prodest autem quendam artium ordinem tenere animo comprehensum, & fines atq; usus illarum uidere. Aliæ de natura rerum disputant, aliæ continent religionem, aliæ rationem regendæ Reipu. & iudicandi fórenses controuersias, aliæ continent præcepta de moribus ciuilibus in omni uitæ genere necessaria. Cum itaq; legimus aliquid, expendere debemus ad quem ordinem artium pertineat: Vtrum in administratione Reipub. profuturũ sit, an in priuata uita, et hæc deliberatio non modo excitat studia, & acuit curam discendi, sed etiam ad ipsas artes rectius intelligendas ac percipiendas plurimum confert. Facilius enim percipiun-

tur illa, quorum quasi regiones quàm late pateant, & metas deprehendimus.

Pertinet autem hic libellus Ciceronis ad Philosophiam moralem, continet enim definitiones uirtutum, & sunt addita definitionibus multa præcepta de moribus ciuilibus, atq; hæc magna ex parte Oratorio more, populari genere orationis, ut intelligere ea et in cõmuni uitæ consuetudine imitari homines præditi communi sensu possint: nam exiles disputationes, quales sunt apud Aristotelem, doctri nam quidem continent non illiberalem, sed subobscuram, & propemodum consulto recedentem longius ab imperitorum intellectu atq; iudicio. Hæ definitiones facilius intelligi, & ad quotidianum usum uitæ accommodari possunt. Porro hoc in confesso est, necessarium esse omnibus quandam de moribus doctrinam & descriptionem uirtutum, ut in nostris moribus, & in hominum negocijs iudicandis intelligere possimus, quid deceat, quid non deceat, quæ sunt recte, quæ secus facta. Tenere ergo formas & imagines uirtutum oportet, quas in omnibus consilijs, in omnibus negocijs iudicandis sequamur. Atq; hæc doctrina proprie uocanda est humanitas, ac recte & ciuilem uiuendi rationem ostendit omnibus ætatibus, quam qui non norunt, parum admodum distant à beslijs.

Quam-

Quanquam autem alijs locis magis fortasse conuenit ostendere, quod sit discrimen huius doctrinæ & Euangelij, tamen & hæc duxi hac de re admonendos esse auditores, ut eximatur eis error, qui iam istorum animos occupauit, hæc Ethnicorum scripta indigna esse, quæ Christiani homines legant, & Philosophiam procul fugiendam esse Christianis. Itaq; breuiter hac de re sententiam nostram exponemus. Philosophia nihil adfirmat de uoluntate Dei, nihil præcipit de timore & fiducia in Deum: hæc proprie ad Euangelium pertinent. Sed præter hæc, ciuilis uitæ præcepta necessaria sunt, quæ doceant quomodo homines inter se tranquille uiuere possint: hæc in Philosophia traduntur, & à uiris excellentibus causæ eorum in ratione positæ deprehensæ sunt. Neq; existimandum est, Christum uenisse in mundum, ut hæc præcepta traderet, aliud quiddam de uoluntate Dei, & de fiducia in Deum exposuit, quæ ratio humana non potuit deprehendere. Interim tamen & ciuilia officia uitæ approbat Deus, & requirit ab omnibus ætatibus, hac disciplina coherceri uult homines, nõ aliter atq; Magistratuum legibus & institutis, quæ cum ijs præceptis magnam habent cognationem, nam ex ijs tanquam ex fontibus omnes leges & omnia iura Magistratuum nata sunt, & ob hanc causam magnam habet utilitatem

hæc doctrina, quia cum ostendat causas legum, & publici iuris, multum adiuuat ad intelligendum omnes de ciuilibus rebus disputationes.

Vt igitur decet Christianos hanc ciuilem societatem colere & adiuuare, ita hæc doctrina de ciuilibus moribus atq; officijs cognoscenda est. Non est pietas Cyclopum more uiuere, sine iure, sine legibus, sine doctrina, sine alijs uitæ præsidijs, quæ continentur literis. Quare isti qui uituperant Philosophiam, non tantum belligerantur cum natura humana, sed etiam grauiter lædunt Euangelij gloriam, quod iubet ut disciplina ciuili homines cohercentur, & maximis præmijs ornat natura honestas institutas, quæ continent ciuilem societatem hominũ. Non ergo contemnendi sunt Philosophi & alij scriptores, qui honestas uitæ præcepta tradunt, sed diligenter legendi, ut acuant iudicium de ciuilibus negocijs & moribus. Multa poterunt monere uiri sapientes in Repub. uersati, quæ usu cognouerunt, quorum cognitio nos reddet cautiores in magnis rebus gerendis.

Exposui quid hi libelli & ad uerborum copiam, & ad rerum scientiam conferant, nam & copiam sermonis alunt, & firmant iudicium de moribus, quorum utrumq; ualde necessarium est in uita. Sed est alia quædam utilitas horum libellorum, quæ ad eloquen-

eloquentiã pertinet, quæ uel meo iudicio, uel præcipua est. Omnes docti uiri præcipiunt, ut locos communes habeamus instructos, ex quibus sumamus oratioñ de honestis rebus, quoties opus erit. Nam omnia negocia in uita iudicantur ex locis communibus uirtutum & uitiorum, eamq; ob causam ad illos referenda est oratio, de quocunq; negocio instituta fuerit. Hic primum prodest locos perfecte cognitos habere, nam res ipsæ perfecte cognitæ gignunt orationem, sed magis etiam prodest habere in promptu sic tractatas & ornatas à Cicerone, ut inde uerba atq; ornamenta mutuari possimus, aut certe imitari. Quid enim agit aliud Cicero, nisi ut locos cõmunes, hoc est, uirtutum definitiones colligeret? ad quas reuocanda sunt omnia ciuilia negocia, de quibus dicendũ est. Si scribis epistolam, in qua agis gratias amico bene de te merito, quàm multa ornamenta suppeditabit Cicero in illo loco, qui continet præcepta de gratitudine? multæ ibi similitudines, multa argumenta sunt, quæ ad usum nostrum transferre possumus. Si in deliberatione incidat utilitatis cum honestate contentio, ut sæpe fit, quàm multa sumi poterunt ex tertio libro? Quid grauius in tali controuersia dici potest historia Cyrsili, quem cum Athenienses dantem utile consilium, sed inhonestum, lapidibus obruissent, mulieres etiam Athenienses

eius uxorem lapidauerunt: Tantam esse uim honestatis Athenienses uoluerunt, ut nouo exemplo putarent in eum animaduersum esse, qui utilitatem anteferendam esse iudicasset honestati. Talia ornamenta apte translata in nostram orationem, non modo gratiam, sed etiam autoritatem conciliant. Supra dixi de uerbis & sententijs excerpendis, hæc uero maior erit utilitas, integros locos ordine cognoscere, & eorum formas tenere, quas uel imitemur, uel usurpemus cum opus erit, quia cum omnia negocia in uita referuntur ad tales locos, necesse est ut copiose instructos atq; paratos habeamus, ac sicubi deerunt hæ opes, is nullam causam, neq; recte iudicare, ne q̃; clare exponere poterit.

DIXI.

Præfatio

PRAEFATIO IN CARMEN Ioannis Frederi Pomerani, in laudem urbis Hamburgæ.

PHILIPPVS MELANTHON Ioanni Fredero S. D.

Arbitror esse magna ornamenta ciuitatum, copiam rerum necessariarum ad uitam tuendam, opes, ædificia, arma, apparatum: Hæc quia incurrunt in oculos, & sanè sunt necessaria, non enim eleuo, præcipue mirantur imperiti, sed alia sunt longe præstantiora decora, ac uerius ciuitatum nerui, leges, disciplina, iudicia, boni mores: Hæc uocat Gorgias ψυχὴν πόλεως multitudinem uero, opes, et copias sine politia, corpus sine anima. Nec dubito omnes prudentes ubique gentium assentire huic dicto Gorgiæ. Sed nondum est absoluta ciuitas, nisi aliud maius bonum accedat, uidelicet, Ecclesia bene constituta, & Schola ubi iuuentuti cum cæteris bonis artibus doctrina religionis diligenter tradatur: Hoc est summum decus ciuitatum. Nam propter hunc finem præcipue ad

societatē sunt conditi homines, ut alij alios de religione & de bonis rebus doceant. Sed pauci moderatores Reipub. in hoc tertio genere iuuando atq; ornando elaborant, multi etiam delere conantur, alij nihil ad rem pertinere putant. At bonos intelligere decet politiam, etiamsi est anima, ut ait Gorgias, tamen tantum esse λογυφορικὴν, ut Plato animam sentientem nominat, Ecclesiam uero esse præstantiorem animam, seu ἡγεμονικὸν ciuilis societatis ac cœtus. Nec aliud maius Dei beneficium est in terris, quàm imperia aut ciuitates hoc modo constitutas esse, ut & λογυφορικὸν illud genus sit in officio & Ecclesiæ, ac studia floreant. Iure igitur Deo agamus gratias, sicubi contigit talem esse ciuitatem, uel mediocriter his ornatam bonis. Equidem amo genium urbis uestræ Hamburgæ, apparet enim bonis auspicijs conditam esse, habetq; conditorem Carolum Magnum Principem fœlicem: Abundat uitæ commodis, floret non modo robore ciuium, sed etiam ingenijs, bene constituta est legibus, disciplina, iudicijs. Hæc non sunt exigua decora, sed tamen illud est amplius ac splendidius, quod Ecclesiam habet recte constitutam, quod doctrinam religionis & literarum colit & prouehit. Itaq; senatus uester merito laudandus est, qui hoc decus magna uirtute tuetur, qui & Ecclesijs & Scholis præficit idone-

ficit idoneos gubernatores, qui quidem magnum huius rei fructum capit. Nam quod his turbulentis temporibus nulla urbs in isto littore tranquillior fuit, quod singularis est ciuium modestia, quod multos habet iam ciues, eximia eruditione & modestia prædi tos in Repub. Hæc commoda magna ex parte debentur Ecclesiæ & Scholæ. Non exigua laus hæc quoq; est, quod ciues ipsi amant studia literarũ, quare nulla est frequentior Schola in isto littore, qua in re gaudeo uos ueterem possessionem huius laudis retinere. Nam & ante hanc ætatem aliquot doctos uiros ea urbs habuit, Albertum Crantz & quosdam alios. Et bonam spem de se præbent plurimi adolescentes, optime iam instituti partim à Theophilo, partim à Matheo Delio, & horum collegis, quorum utriusq; singularis est ingenij dexteritas. Cũ igitur tot tamq; ueris bonis ciuitatem uestram ornatam esse sciam, non possum non fauere eius laudibus quas descripsisti, tibi uero gratulor quod in ciuitate optime morata, & quæ gignit fœlicia ingenia partem publici muneris, in docendo sustines. Etsi autem indocti non intelligunt, quantum in hac functione sit dignitatis, tamen iudicio prudentum, & Senatus uestri, animum confirmabis, ac primum cogitabis, eos qui uitam et studia referunt non ad usum communem, sed ad uoluptates perfruendas aut quærendas opes, tan

tum esse inutilia terræ onera, ut Homerica figura utar. Deinde statues etiam longe melius ac diuinius munus esse, propagare religionis & bonarum artium doctrinam, de rebus maximis docere homines, ueras, moderatas atq; utiles opiniones animis teneris instillare, & recte formare eorum iudicia, quam tueri partem aliquam illius alterius generis σλογυφοϱικῆς, quod pleriq; Rerumpublicarum gubernatores solum intelligunt & magnificiunt. Hæc lecto carmine tuo duxi ad te scribenda esse, ut fauere meurbis uestræ laudibus testarer, quæ eò à nobis maxime amanda est, quod cũ copijs, legibus, et disciplina par sit florentißimis ciuitatibus, tamen pleriſq; antecellit studio prouehendarum literarum. Bene uale.

Præfatio

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis, in Turcicarum rerum commentarium Pauli Iouij Episcopi Nucerini.

ILLVSTRI PRINCIPI AC DOMIno Ioanni Ernesto Duci Saxoniæ etc. Philippus Melanthon. S. D.

VLtæ sunt partes in historia ad uitam utiles, sed omnium utilissimæ sunt religionum atq; imperiorum descriptiones, quarum duarum rerum consideratio maxime digna est præstantibus ingenijs. Et ut ego quidē existimo, hæc historiæ initia fuerunt. Hoc consilio primum institutum est, mandare literis res gestas, ut ueræ religionis memoria conseruaretur, deinde ut gentium ortus ac mutationes, & imperiorum seriem posteritas cognosceret. Nec uero dubium est, historias prodesse & ad cognitionem religionis, et ad confirmandam in animis pietatem. Vt enim illi hominum uetustissimi Deum nominantes, addebant mentionem patrum, uocabantq; Deum Abraham, Isaac, Iacob, ut cauerent, ne posteritas acciperet peregrinas

peregrinas religiones sine testimonio eius uerbi, quod patres minime ambiguis signis acceptum de cœlo, posteris per manus tradiderant, ita nobis conducit intueri omnium ætatum spacia, ac uidere, qua serie Deus propagarit Ecclesiam suo uerbo, ne quâ religionem cum ea doctrina pugnantem amplectamur. Deinde conducit uidere, quomodo interea nouas atq; impias opiniones diabolus in mundo sparserit, quæ celeriter in tanta caligine humanarum mentium uires acceperunt, & orbem terrarum late peruagatæ sunt. Hæc exempla nos de multis magnis rebus admonent: Ostendunt Ecclesiam omnibus ætatibus exiguam, & spretam fuisse, ut adflictionibus exerceretur, ac disceremus pendere eam à diuina ope, non humanis consilijs conseruari. Docent item, ne magnitudine potentiæ, opum, gloriæ, consensu multitudinis moueamur, ut uerbum Dei certa autoritate acceptum abijciamus. Omitto alias utilitates multas, quæ ex locupletiore historia sumi possunt. Quantum ad pleraſq; controuersias Ecclesiasticas dijudicandas uetera exempla conducunt? qua in re iure reprehendenda est negligentia illorum, qui sedentes ad gubernacula, passi sunt interire huius generis uetera scripta, nec dederunt operam, ut perpetua historia contexeretur. Extant reliquiæ nonnullæ ueterum, libelli Eusebij et Theodoreti, in quibus

bus, & si multa secula etiam superiora desiderantur, tamen quàm sit Ecclesiæ necessaria historia, illi ipsi libelli indicant, ostendunt enim, quid uetus Ecclesia de plerisq; controuersijs pronũciarit. Quanquam autem indocti hæc testimonia negligunt, sicut in uniuersum de cura antiquitatis ait Thucydides: ὅτως ἀταλαίπωρός τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ μᾶλλον τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται, tamen eruditis magno usui sunt. Equidem perhorresco toto pectore, cum animo intueor Ecclesiam in historijs depictam: Video enim nullam non ætate horribiliter dilaceratam esse. Et ut in fabulis, ex gigantum sanguine terra statim alios gigantes genuit, ita subinde ex hæreticis orti alij recentes prodierunt, fuitq; inter tot factiones difficilis dijudicatio, quæ esset uera Ecclesia, quis portus tam turbulentis tempestatibus tenendus esset. Hæc tamen interea diuina ope seruata est ita, cum pauci homines docti & pij syncerã Euangelij doctrinam retinerent & propugnarent. Id exemplum me quidem non leuiter confirmat, considerantem hoc tempore, quàm multi undiq; oppugnent puram doctrinam, quàm uarij motus ac παινικοὶ pleriq; aduersus bonos exoriantur. Confirmor etiam multis in rebus sententijs & iudicijs illius ueteris & synceræ Ecclesiæ. Nec habemus uberiorem historiam illarum ueterum

terum rerũ, quàm Epiphanij scriptum, in quo cum hæresium confutatio instituta sit, historica multa inserta sunt. Ex eo autore propemodum continua historia ueteris Ecclesiæ excerpi posset, si quis prudenter ipsius narrationes contexeret, eamq; rem optarim alicui Principi curæ esse.

Hactenus breuiter dixi historias conducere ad religionis cognitionem, quod etsi non ualde obscurum est, tamen illud opinor manifestius esse, his qui sunt in Repub. debere notas esse historias de serie imperiorum, quæ causæ mutationes atq; inclinationes imperijs attulerint. Et ut non uelint res uetustissimas cognoscere, certe præsentis temporis regna consideranda sunt, quibus artibus atq; auspicijs creuerint, quas res gesserint, quæ singularum gentium sint naturæ, uoluntates, atq; opiniones, quæ religione, legibus, fœderibus, natura coniunctæ atq; consociatæ sint, quæ perpetuo inter se inimicæ sint, quæ concupiscant Monarchiam, qua disciplina domi pacem muniant, qua foris regant exercitus, quo genere copiarum, armorum, præliandi utantur, quæ ipsa tamen nemo cognoscet, nisi multa legat, audiat, atq; exploret, imò nisi etiã multa ex historijs sumpta ad res præsentes conferat.

Polybius scribit non aliud præceptũ Ducis plus momenti habere, quàm ut nõ modo uires, sed etiam ingenia

ingenia sensusq; hostium norit. Cum igitur uniuerso Christiano nomini iustum & propemodum naturale dissidium, & perpetuum bellum sit cum Turcica natione, & hoc tempore bellum exarserit, in quo nobis non modo de libertate nostrâ, de legibus, deq; cæteris ciuilibus ornamentis, sed etiam de religione planeq; pro aris & focis cum Turcica natione dimicandum est, magnopere prodest nostris Principibus res Turcicas diligentissime cognoscere. Id studium non solum inflammat animos, sed etiam instruit, & in plerisque momentis rerum cautiores reddit. Itaque cum nactus essem hanc Epitomen historiæ Turcicæ, ab homine prudentissimo Paulo Iouio conscriptam, hic quoq; publicandam esse duxi, ut plures legerent, tibiq; nominatim dedicaui, quem iam in hoc tyrocinio literario, omnium gentium historias auidissime legere & excutere conuenit. Vides quantam frater tuus laudatissimus Princeps negociorum molem sustineat, in iurisdictione, in quotidianis deliberationibus rerum maximarum. Hic in tanto occupationum cursu, tamen legit plurimum. Et ut Cato in Senatu dicitur aliquid temporis ad legendum suffuratus, ita hic sæpe inter disputationes senatorias libros habet in manibus. Legit de religione non eorum tantum scripta, quorum probat sententiam, sed etiam

aduer-

aduersariorum. Multa inquirit ac legit de Iure. Historiam uero Græcam, Romanam, Ecclesiasticam, res imperij Germanici, maiorum suorum non modo res gestas, sed etiam domesticam uitam, & omnes grauiores controuersias meminit: qua in re sæpe non modo studium in tantis occupationibus, sed memoriam etiam & iudicium eius admiror. Quoties de motibus Ecclesiæ, de regnorum mutationibus, de ingenijs, moribus, uoluntatibus, officio eorum qui uersantur in Repub. de periculis prouidendis aut depellendis disseritur, quàm ille aptas ex historijs imagines accommodat? Vt igitur Nestor apud Homerum hortatur Menelaum, ut fratris Agamemnonis sedulitatem imitetur, ita & te decebit magis amare historias, admonitum fraterno exemplo. Cum autem hunc libellum de rebus Turcicis leges, primum cogitabis, quantum initio uulnus acceperit Ecclesia, nato impio dogmate Mahometi in illis Arabum desertis, quæ ut sunt fœcundissima uenenatarum bestiarum, ita fuerunt & hæresium ac discordiarum Ecclesiasticarũ, ut genium loci non raro admirer. Ibi pestilentissimæ hæreses natæ sunt Ebionis, Gnosticorum & Manichæorum, deinde accessit exuicinia tumultus Arianus. Ex hac hæresium confusione ortum est delirium Mahometi: Et celeriter contagium occupauit animos ambigentes, tot antea dissensionibus

sensionibus perturbatos. Ita dedit mundus pœnas spreti Euangelij, & curiositatis, qua sibi quisq; immani audacia fingebat nouas opiniones. Postea per seditionem & tyrannidem error propagatus & stabilitus est. Aliquanto post Turcica gens cum mercede militaret in Asia, ex antiquis effusa sedibus, hanc impietatem amplexa est, credo ut facilius potirentur imperio uicinarum gentium.

Sacræ literæ uaticinantur de regno Gog & Magog: Me autem & Turcicæ gentis origo & professio, & magnitudo successuum mouent, ut existimem hoc ipsum regnum Turcicum significari. Cum igitur constet Turcicam professionem pugnare cũ Euangelio, cum arma gerant hanc ipsam ob causam præcipue, ut deleant nomen Christi, ut uastitatem in Ecclesia efficiant, sicut Prophetæ de Gog et Magog prædixerunt, execrari Turcicum regnũ omnes pij debent. Principes uero Christiani nominis ad propulsandam illam pestem, omnia consilia, & omnes uires conferre debebant. Ecclesia contaminata multis uitijs, impijs cultibus, & alijs peccatis toto orbe terrarum, dat pœnas. Hæc causa est, cur tanti fuerint successus Turcicæ gentis. Sed uereor olim hanc nationem et reliquas uicinas, daturas esse pœnas, cũ reliquorum uitiorum, tum uero etiam negligentiæ, quod hostem summa crudelitate in uicinia, & ferè

ob oculos grassantem, & exercentem fœdissimũ latrocinium, non arcemus, quod Græcam nationem, cum qua religione, societate imperij, & multis fœderibus coniuncti fuimus, non ex hac miserrima seruitute eripimus. Paulo ante adhuc Græcia domicilium fuit doctrinæ religionis, & omnium optimarum artium. Quàm multos enim eruditos in omni doctrinarum genere nuper etiam habuerit, inde æstimari potest, quod exilio Græcorum in Italia non modo Græcæ linguæ studia excitata sunt, sed etiam restitutæ cæteræ artes, quarum uix umbram quandam antea tenebant Latini. Non recitabo laudes antiquæ Græciæ, quanta uirtus, quanta sapientia eius nationis fuerit, quantũ ei debeamus, propterea quod disciplinas partim inuenerit, partim expoliuerit. Illud saltem consideremus, quàm alienũ sit à pietate, non affici acerbissima calamitate eius partis Ecclesiæ, quæ omnium longe florentissima fuit, deinde quæ fortissime dimicans pro libertate, hoc est, pro religione, disciplina, & legibus, tandem non uirtute uicta, sed assiduitate bellorum confecta conciderit. Errant enim si qui putant Græcos parũ fortiter depugnasse pro patria. Annos amplius sexcentos pene perpetuum bellum gesserunt cũ Mahometicis, primum in Asia, postea cum Turcis in Græcia, Bizantium aliquoties obsidione cinctum esse. Multa ingen-

gentia prælia cõmissa sunt. Sed ad extremum deserti Græci, tantam barbarorum multitudinem soli non potuerunt sustinere, totaq; gens hoc tempore non aliter concidit, quàm olim ad Thermopylas Spartani dimicantes cũ Xerxis exercitu: Refert enim ad=huc Græcia aliquid antiquæ uirtutis. Et audio nunc quoq; præstantissimos quosq; duces Turcicorũ exercituum, Græcos esse, et res maximas gubernari ac geri per homines Græcos. Etsi enim passim adhuc in Græcia reliqui sunt Christiani, tamen certus numerus liberorum patribus familiarum eripitur, qui ad Turcicos ritus, & ad militiam instituuntur: multos exempla & gloria militaris, quæ in generosis naturis acerrimus stimulus est, inuitant. Quàm misera seruitus est, ubi religiones delẽtur, ciuilis disciplina=tollitur, auellũtur liberi à parentibus ad impietatẽ, sæpe etiam ad stupra, & nefarias libidines. Quales enim sint priuati mores Turcicæ gentis, hic libellus non obscure ostendit, cum Imperatorum sæuitiam, parricidia, & libidines describit. Tyrannis est perpetua, dissimilis imperiorum ueterum omniũ, qua ex re animaduerti potest, non leuiter Deum huic postremæ ætati mundi irasci, qua tantam tyrannidem grassari sinit. Significant enim scripturæ hoc postremum fore regnum, antequam ille faustissimus & lætissimus dies illucescat, quo Christus Ecclesiam suam

liberatam ab omnibus malis nouo triumpho ducẽ in cœlum. Sed ita tamen grassabitur hæc Tyrannis, non ut occupet uniuersum terrarũ orbem. Reliqua erunt regna Christiani nominis, quæ barbariem illam reprimere debent. Quas enim dicemus esse causas uiris fortibus, cur arma capiant, si hæ non sunt causæ, uidelicet, ne deleatur uera religio, ne coniuges, liberi rapiantur ad impietatem & libidines, ne posteritas oppressa seruitute, amittat cognitionem Christi, ne disciplina sublata, mores corrumpantur? Harum rerũ magnitudine fortes uiros moueri decet. Hæc atq; alia similia ueniant tibi in mentem legenti hunc libellum: nam harum rerũ cogitatio cum aliis omnibus, tum uero maxime Principibus utilis est, eosq; ad res gerendas præparat. Leges igitur & huius gentis, & aliarũ historias, & ita leges, ut consideres, quæ exempla lectorem de religione, quæ de imperijs, quæ de moribus admoneant, teq; omni studio excites ad pietatem, & ad cæteras uirtutes, quia sine auxilio Dei, nec constitui, nec retineri possunt Respub. Et quidem pollicetur opem Deus piis principibus, sicut Psalmus inter laudes Dei hanc quoq; canit: Qui dat salutem Regibus. Cumq; imagines Dei in terris Principes esse debeant, hoc est, exhibentes hominibus sapientiam, uidelicet, doctrinam de Deo, & alias artes uitæ utiles, iusticiam, defensionẽ, disciplĩ-

disciplinam regendorum morum: si qui sunt dissimiles huic imagini, quàm tetra & horrenda monstra sunt, qui cæci & amentes, odio Dei ardent, & delent piam doctrinam? Deinde illud ex tragœdia Tyranni præceptum imitantur:

Sanctitas, pietas, fides
Priuata bona sunt, qua iuuat Reges eant.

Quod cum semel sibi persuaserunt, deinde ruunt in libidines, helluationes, diripiunt publicas & priuatas facultates, exorbent sanguinem ciuium, grassantur fraude, simulatione, Sophistica, manifesta crudelitate, permittunt improbis infinitam licentiam, ut latissime uagetur turpitudo omnis generis. Quod monstrũ abominabilius est tali belua, qua tota rerũ natura polluitur, quæ tanquã furia in terras emissa, bellum cum Deo, cum legibus, cum honesta doctrina, cum tota natura generis humani gerit? Quid magis miserũ est, etiam si adsint opes infinitæ, quàm tale portentum esse, tanquam κάθαγμα inuisum Deo, cœlestibus Angelis, omnibus hominibus, denique totius rerum naturæ? Sed Christus faciat, ut tu olim ita regas Rempub. ut uoluntas, consilia, mores tui ad imaginem Dei conueniant, & Deum archetypum recte exprimant. Bene uale. Mense Octobri, Anno

M. D. XXXVII.

PRAEFATIO IN CHRONI-cum Abbatis Vrſpergenſis.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ac Domino, D. Philippo Comiti Palatino Rheni, & Duci Bauariæ, Principi clementiſſ. Phil Mel. S. D.

MEmini Capnionem libenter cum cæteras eximias & heroicas uirtutes laudatiſſimi aui tui, Principis Palatini Philippi prædicare, tum uero narrare, quanta in eo auiditas, quantum ſtudium non ſolum domeſticæ antiquitatis inquirendæ, ſed etiam Græcæ & Latinæ hiſtoriæ cognoſcendæ fuerit, de qua ſæpe differentes audiebat uiros eximia doctrina, & prudentia præditos, Iohannem Dalburgium Epiſcopum Vangionum, & Rudolphum Agricolam, ac paucos quoſdam alios. Cumq; non ſolum magnitudine & ueritate rerum Perſicarum & Græcarum delectaretur, ſed etiam iuuaret eum, ſeriem, initia, incrementa, inclinationesq; imperiorum conſiderare, curauit ſibi multa à Dalburgio, Rudolpho, & Capnione, ex præcipuis hiſtoricis Græcis quædam etiam ex Poëtis in noſtrum ſermonem transferri, & quaſi quandam epitomen confici, res maxime illuſtres, & uitæ ac moribus utiles, annotato Imperiorum

riorum ac temporum ordine, continentem, qua in re Capnio consilium & prudentiam aui tui magnopere laudabat, non modo quod ipsam rerum gestarum atq; exemplorum memoriam, uiro Principi, & ad gubernacula Reipub. sedenti, prodesse intellexisset, sed etiam acute uidisset, quantum referat, temporũ atq; imperiorum seriem tenere. Etsi enim exempla ipsa per sese multum ualent undecunq; electa, tamen ordo imperiorum & rerum gestarum de multis maximis rebus homines ingeniosos admonet. Prodest ad pietatem, initia, incrementa, deprauationes, correctiones religionum uidere, considerare etiam quo modo non humano consilio, aut uiribus, sed diuinitus imperia constituta sint, deinde propter iusticiam defensa, postremo propter Tyrannidem, impietatem, libidines, ambitionem conciderint. Illud etiam utile est, occasiones obseruare, quibus ab alijs gentibus ad alias imperia translata sint, quæ interdum cum per sese essent leuissima, tamen momenta fuerunt rerum maximarum. Postremo iucundissimum est in conspectu habere totius humani generis ortum, propagationem, & omnes insignes mutationes, quod ipsum etiam multa monet ad pietatem utilia. Iure igitur aui tui prudentia admiranda est, qui acquiescere animo in cognoscendis historijs non potuit, donec contextum haberet, perpetuum opus

uniuersæ antiquitatis. Sed huius generis Epitomas conficere, non est mediocrium artificum. Magnum enim & difficile opus est, integram historiam recte scribere, & haud scio, an inter eloquentiæ opera, omnium longe difficillimum. Facilius est tales commentarios excerpere, sed tamen eligere ea, quæ plurimum habent ponderis, intelligere consilia atq; occasiones negociorum, hominis est, non solum non hebetis, sed etiam usu periti, & uersati in Repub. & hæc apte distribuere, & dilucide recitare, nemo nisi liberali doctrina excultus potest. Itaq; cũ lego Germanicorum scriptorum χρονικὰ seu historias, non raro deploro hanc infœlicitatem nostræ nationis, quod cum optimos Principes genuerit, cum res gesserit pulcherrimas, & utiles uniuerso Christiano nomini, literarum lumine res nostrorum hominum carent. Quanquam enim non prorsus ingenia nostris scriptoribus defuerunt, tamen scientia Reipub. defuit, & ratio dicendi. Scribebant enim historias monachi plerunq; imperiti Reipub. qui ueteres historicos ne uiderant quidem, sine exemplo, sine arte infantes. Itaq; Stabium audiui narrantem Imperatoris Maximiliani consilium, quem constituisse aiebat certis hominibus doctis mandata dare, ut collectis undiq; Germanicis Chronicis, quia alius alia annotasset, ex fragmentis illis, Germanicam historiã integram

integram, quantum fieri posset, componerent. Sed uel occupationibus impeditus, uel quia non satis idoneos homines rei tantæ, qui quidem uacui fuissent, reperiebat, inceptum omisit. Quanquam igitur iure in nostris scriptoribus desiderari multa possunt, tamen faciendum est scilicet, id quod res fert. Non sunt negligenda hæc, quanquam rudia, monumenta maiorum nostrorum, quæ multas pulcherrimas uirtutes nostrorum Regum & ducum, si non satis illustrant, uiuis, ut ita dicam, coloribus, adumbrant tamen, & homines prudentes hæc ipsa adumbratio multa monere potest. Itaq; fui hortator Cratoni Typographo uiro optimo, ut recuderet nobis hoc Chronicon Abbatis Vrspergensis. Nullum enim in hoc genere scriptum hominis Germanici, & de rebus nostratibus aliud reliquũ est locupletius, atq; utilius. Nemo de rebus Germanicis plura collegit, deinde industriam eius in temporibus annotandis, in quibus fuit multo cæteris diligentior, admodũ probo. Vtinam Epitome ueterum rerum Persicarũ, Græcarum, & Romanarum elegantior esset. Sed tamen quia studium habuit contexendæ propemodũ perpetuæ historiæ, cum ueniisset mihi in mentem iudicium aui tui, de serie imperiorum cognoscenda, præcipue tibi Princeps nobilißime dedicandum hoc opus esse censui. Neq; enim dubitabam quin ut cæte-

ras Aui tui uirtutes, ita etiam diligentiam in inquirenda antiquitate, effingeres atq; imitarere, cum quidem scias quantum utilitatis cognitio historiæ, præcipuè Principibus afferat. Adhæc audio te non solum amare, sed etiam præclare intelligere literas, ac multa non solum in ocio, sed etiam in ipsis negocijs, in castris, inter tubarum atq; armorum strepitum, legere solere, ac præcipuè colere illam philosophiæ partem de rebus cœlestibus, digniſsimam summis uiris. Sperabam igitur te si quando, ut soles, legis historias, libenter etiam hunc Scriptorem degustaturum esse. Nemo plura complexus est de Francis & Carolorum posteritate, ex qua uetus familia fuit Palatinorum principum. Nemo plura dixit de Guelfis, à quibus orta est nobiliſsima ducum familia, qui nunc Bauariam tenent. Postremo nullis maiorem uoluptatem afferunt historiæ, quàm qui res memoria dignas gerunt, qui suas etiam laudes in historia legunt. Extat autem tuum beneficium erga patriam, & uniuersam Germaniam maximum. Tua enim fide, uirtute, ac fœlicitate anno milleſimo quingenteſimo uigeſimo nono defensa est Vienna Austriaca, cum eam Turcorum ingens multitudo circumsisset obsidione, & oppugnaret acerrime. Si quis expendet quantum terrorem intulerint Turci, quanta trepidatio totius Europæ tunc fuerit, quo barba-

ries

ries & crudelitas Turcorum progressura fuerit amissa Vienna, intelliget uix ullum Ducem multis sæculis melius de patria meritum esse, quàm te. Virtus apud Xenophontem ait ἥδιστον ἀκρόαμα esse, audire laudes rerum à nobis præclare gestarum. Quare cum laudes etiam tuas in hac historia lecturus sis, gratius hoc munus tibi fore confido.

Excipe igitur hunc Scriptorem & hæc studia, quorum scientia aliquid ad cæteras tuas laudes ornamenti tibi addit, benigne defendito, quæ præsertim his miserrimis temporibus ab ijs qui Reipublicæ præsunt, omni ope, omnibus uiribus propter publicam utilitatem tuenda sunt. Bene uale illustrissime Princeps.

Plinianæ

PLINIANAE PRAEFATIONIS IN libros de historia naturali Paraphrasis, per Philippum Melanthonem.

Vm me nuper familiarissime, ut ad te aliquid scriberem, hortatus sis, & meas esse aliquid nugas putes, non dubitaui ad te Tite Imperator, hosce Commentarios naturalis historiæ mittere. Quanquam enim in summo fastigio rerum collocatus, summos honores cum patre gesseris, tamen in maxima potestate, pristina moderatione ac facilitate erga omnes ita uteris, ut non minus facilitatem priuatim amare nos tuam cogis, quàm illos tuos fasces, & imperij ornamenta publice colimus: nihil enim in te amplitudo fortunæ mutauit, nisi ut prodesse plus possis. Porro, tametsi me summa humanitas tua inuitarit, mihiq; animum addiderit ad te scribendi, tamen cum ingenij tui uim, & iudicij acrimoniam considero, uereor profecto subire censuram tuam. Nemo enim ullo genere ciuilium artium, & his eloquentiæ studijs te uincit, & in poëtica summa cum fœlicitate uersaris, & maxima cum laude uidemus, inter uictrices hæderam tibi serpere lauros. Si non dedicassem tibi nominatim hos

hoc opus, poteram excusari, si quid forte parum probasses, cum ista me scripsisse uulgo, & indoctis profiterer. Nam ut multi clari scriptores quosdam uetuerũt attingere suos libros. M. Cicero enim Persium, ait & Lælium Decimũ nolo hæc legere. Idem apud Lucilium est. Ita te quoq; arcere poteram, ab his nugis minime ad tuum usum aut iudicium conscriptis. Hæc mihi patrocinia nuncupatione ademi, & cum proprie tibi hæc legenda exhibuerim, teq; censorem scripti mei fecerim, quantum, Dij immortales, onus sustineo? Debeo enim satisfacere tuo iudicio, non aliter atq; qui inuitat hospitem, debet operam dare, ut adparatus illi placeat, & eius expectationi respondeat. Si casu fuerit oblatus hospes, non requiritur similis diligentia. Et in iudicijs qui sibi iudices non sortiuntur, sed eligunt, confidere debent illis potißimum se causam suam probaturos esse. Fecissent temere candidati, cum Catonem iudicem de ambitu elegerunt, nisi sperabant se illi satisfacturos esse: Qui quidem ideo acerrimum iudicem elegerunt, ut innocentiam suam populo declararent. Fecisset temere L. Scipio, cum etiam inimicum iudicem elegit, nisi innocentia fretus, suam causam se illi probaturum confisus esset. Itaque, cum ego te meorum scriptorum iudicem fecerim, iure temeritatis accuser, cum præstare non potuerim, ut tibi placerent.

Neq;

Neq; uero solum iudicium tuum pertimesco, sed uereor etiam, ut Principe dignum opus uideatur. Sed cum Dij quoq; patiantur eos qui thura non habent, lacte & salsa sibi mola supplicare, spero tibi quoq; hoc munus non perinde splendidū, sed tamen optimo animo missum, non ingratum fore: Libelli sunt inornati, nudas enim res totius naturæ in compendiū congerere uolui. Neq; licuit inserere iucundas narrationes, mirabiles casus aut orationes, & similes illecebras lectorum. Multa sic aliena sunt, non à foro tantum, sed omnino ab urbe, ut ne nominare quidem, nisi rusticis uocabulis posſimus, alicubi & barbaris adpellationibus utendum erit. Nec trita uia ingredior: nemo enim ante me unus omnia attigit, quæ ego uno uolumine complexus sum. Nec ita sunt amœna, ut magnopere iuuet hæc legere. Plerique alij ea tantum scribunt, quæ delectant, si qua sunt horridiora & obscuriora, non attingunt. Nobis omnia excutienda fuerunt, disciplinæ etiam repetendæ, quas ἐγκυκλοπαιδίας Græci uocant, quæ prorsus obrutæ tenebris iacent. Quædam contra inseruimus à multis ad fastidium usq; decantata. Est autem non mediocris negocij, obscuris lucem dare, obsoletis nitorem, nouis autoritatem, denique omnes naturæ partes, è tenebris in lucem proferre. Qua in re, etiamsi non satis succeßit, tamen honestus

ſius conatus ſuam laudem meretur. Nec nihil debetur ijs, qui cum difficultate rei uicti, non potuerunt utrumque præſtare, ut & prodeſſent, & delectarent. Non deſiterunt tamen magno ſuo labore, magnáq; moleſtia, utilitati omnium conſulere. Liuius alicubi ait, deſiturum ſe fuiſſe, niſi uoluptas in ſcribendo detinuiſſet. Qui ampliorem aliquando laudem meritus eſſet, ſi tantum operæ ſumpſiſſet non animi cauſa, ſed ut Rempublicam iuuaret. Nos contra, quantum laboris exhauſimus publicæ utilitatis cauſa? Duo millia uoluminum perluſtraui, autores centum, quos quidem delicati iſti propter rerum obſcuritatem non attingunt. Ex quibus excerpſimus rerum uiginti millium naturam inclusam in hoc opus. Multa adiecimus ueteribus, quæ noſtra ætas primum comperit. Nam & poſteri multa deprendent à nobis nondum animaduerſa. Et me (homo enim ſum, humani nihil à me alienum puto) multa fortaſſe fefellerunt. Neque enim iuſſum ocium ad operis inquiſitionem, mihi ſumere potui ſed ſucciſiuis tantum horis ſcripſi, dum me ſomno etiam defraudo. Nec plus impertior temporis ſomno, quàm quantum ualetudo requirit. Etenim, ſi uigilia uita eſt, ut Varro ait, pluribus horis interea uiuimus, dum uigilando lucubrandoq; hæc ſcribimus, q̃ qui id temporis dormiunt: Proinde,

cum

cum nihil tibi promittere posſim, cur hoc opus mag-
gnopere admiratione dignum fore existimem, tamẽ
quia tuo nomini dedicatum est, & maiorem autho-
ritatem, & plus fauoris merebitur. Nec ob aliud in
precio liber uidetur futurus, nisi quia tuum nomen
in fronte & ceu uestibulo inscriptum est. Nam, ut
pleraq; alioqui uilia, tamen ideo ueneramur, quia
templis ac Dijs dedicata sunt: Ita hos commentari-
os pluris faciẽt multi, quia Principi adscripti sunt.
Cæterum tuas ac patris laudes, in alijs operibus
prædicauimus in historia nostra, quam absolutam
domi adhuc adseruo, ne præcipitata editio autori-
tatem eius eleuet. Id erat magis aptum donum tibi
futurum, sed ne uidear in gratiam Principum ali-
quid scripsisse, decreui eam hæredibus edendam re-
linquere. Nec ego ex ijs studijs, aut hoc meo labore,
uel cuiusquam gratiam, uel auram popularem ca-
pto, nec prohibeo alios, eodem genere publicam uti-
litatem iuuare, & mecum in hac palestra decerta-
re, sicut ego cum superioribus decertaui. Habes e-
nim hic argumentum mei candoris, quod authorum
nomina recensui, à quibus bonam partem scripti mu-
tuatus sum. Idq; ingenui ac grati animi esse duxi, fa-
teri per quos profeceris, ut & aliqua tuæ laudis
pars ad illos redeat, quorum industria adiutus es.
Verum paucos inuenias, qui non dissimulent sui
furtis

furta: Deprehendi enim multos, qui ad uerbum transcripserant Magistros suos, in quorum iuramento uerba, non eo consilio, ut imitaturi certarent uincere superiores, sicut Vergilius Hesiodum imitatur, sed ut alienis plumis se uenditarent. Quanto honestius Cicero, qui quos autores sequatur, prædicit? Aliàs Crantorem, ait, sequar, aliàs Platonem se imitari fatetur. Panætium fatetur se sequi in officijs: Qui libri nunquam de manibus ponendi sunt. Est autem seruilis animi, malle deprehendi in furto, quàm mutuum reddere, præsertim cum ex ipsa usura, quantumuis exigua, nouam tibi sortem conficias. Græci miras delicias adfectãt in titulis, alius κηρίον inscripsit suum opus, alius κέρας ἀμαλθείας, alius Musas, ut lactis gallinacei haustum polliceri uideantur. At cum propius inspexeris, inuenies mire inopes rerum bonarum, planeq; quod aiunt ἄνθρακας θησαυρόν. Latini simpliciores titulos amarunt, ut antiquitatum, exemplorum, artium. Elegantes quidam fecerunt suis scriptis titulum, lucubrationes. Est & Flexibula titulus in Satyra Varronis. Sed Diodorus Graius, si Dijs placet, autor, in titulo ineptius fastidiens, bis ineptus fuit, quum Bibliothecas suũ opus inscripsit. Quid Appion, quàm arroganter? qui immortalitatem se donare his affirmabat, ad quos aliquid com-

posuerat. Ego has ineptias titulorum odi, & quem admodum nobilissimi pictores operibus suis, quanquam absolutis, tamen eiusmodi inscriptiones fecerunt, quæ significarunt summam manum operibus deesse, ut si quid reprehĕderetur, corrigere liceret, sic enim inscribebant: ἀπελλῆς ἐποίει. Ita ego, cum multa deesse meis scriptis sciam, nullum præposui arrogantiorem titulum. Non enim tantum sumo mihi, ut nusquam cessasse, aut hallucinatus uideri uelim. Quod eo dico, ut Criticos quosdam æquiores mihi reddam, qui sumunt sibi censuram, aduersus mea scripta, & ex insectatione meæ famæ gloriam sibi aucupantur: Nam uirtutem plerunq; inuidia comitatur, adeo ut aduersus facundissimum hominem Theophrastum, etiam muliercula stylum strinxerit. Sed ego istis Zoilis nihil alia respondebo hoc tempore, quàm quod Cato scriptum reliquit: Quid enim ad te in meo uolumine? Scio ego, quæ scripta sunt, hæc si palàm proferantur, multos fore qui uitiligent, sed hi potissimum, qui ueræ laudis expertes sunt. Eorum ergo orationes sino præterfluere. Nec Plancus illepide absterruit Pollionem minantĕ, se extincto Planco aduersus eum orationes editurum esse, sic enim ait: Cum mortuis non nisi laruas luctari. Hacuoce Pollio à sententia deductus, sensit se impudenter facturum, si cum mortuo bellum

bellum gereret. Sed ualeant in malam rem isti uitilitigatores, qui cum nihil utilitatis adferant in commune, tantum alios à benemerendo deterrere conantur. Sed ne totum librum tibi sic occupato publicis curis relegere necesse sit, subieci huic Epistolæ capita, quæ, quid in uniuerso opere contineatur, ostendunt, proderitq; hic index ad hoc, ut ubi singula requirenda sint, sciant & alij, qui certos tantum locos uolent cognoscere, nec tantum ocij habent, ut uacet omnia perlegere.

Vale.

PRAEFATIO IN RODOLphi Agricolæ libros de Dialectica.

EXIMIA VIRTVTE ET DOctrina prædito, D. Alardo Aemstelredamo Philip. Mel. S. D.

HAbeo tibi gratiam doctißime Alarde, quod occasionem mihi offers, de Rodolpho Agricola ea mandandi literis, quæ mihi adoleſcenti, & quadam puerili cupiditate sæpe interroganti, duo grauißimi uiri narrarunt, quibus cum Rodolpho non modo familiaritas, sed etiam quædam studiorum societas fuit, Capnio & Pallas Heidelbergenſis, qui (ut eius quædam scripta teſtantur) diligentius ac purius loqui ſolebat, & de artibus multo grauius iudicabat, quàm cæteri ipſius collegæ, qui tunc sacras literas enarrabant. Erat enim me puero recens Heidelbergæ memoria Rodolphi. Nam Dalburgius Vangionum Epiſcopus, apud quem uixit Rodolphus proximo anno ante bellum Bauaricum, florenti adhuc ætate è uita deceßit, uſus perpetua quadam fœlicitate, qua

te, qua etiam euocatum puto, ne spectator esset illarum calamitatum, quæ postea secutæ sunt. Porro non modo Dalburgij authoritas, sed (ut animaduerti) etiam Plinij amicitia Rodolphum Heidelbergam pertraxit, quo cum Ferrariæ coniunctissime uixerat. Sic autem uocabat ipse Pleningerum uirum equestri natum loco, & præstanti ingenio præditum. Vix enim ullæ sunt dulciores amicitiæ, quàm hæ scholasticæ, societate studiorum contractæ quæ etiam postea allatæ ad Rempub. nonnihil momenti adferunt in multis grauissimis negocijs, ut Solonis & Pisistrati amicitiam puerilem profuisse tranquillitati Atticæ ciuitatis arbitrantur, & Eudemum cum Dione, schola Platonis coniunxit. Sed omitto exempla. Memini autem me audire ex Pallante, fuisse mores Rodolphi castissimos, & omnibus bonis uiris probatos, adeo ut non modo propter famam doctrinæ, sed multo magis propter uitæ & morum grauitatem, & (ut ipse referebat) singularem prudentiam & moderationem omnium actionum, consuetudo eius à præstantissimis uiris expeteretur. Consulebatur ab omnium artium professoribus, si quis inciderat nodus, ad cuius explicationem opus erat aut historiarum, aut Latinæ linguæ aut Græcorum autorum cognitione. Itaq; ingenioſi ab ipso admoniti, multa in Aristotele dexterius ac

simplicius tractabant: Audierat enim Ferrariæ Theodorum Gazam, qui in Aristotelis doctrina excelluit. Cumq; Heidelbergæ consuetudo fuerit (ut mihi uidetur plena humanitatis) ut in publicis disputationibus, professores, si quando hærebat disputator, interfarentur, audio sæpe difficiles nodos publice à Rodolpho, de fato, de causis, de Endelechia, & similes explicatos esse. Quare & disputationũ cœtus propter ipsum erant frequentiores, & ad eos confluebant non tantum scholastici, sed multo etiam studiosius grandiores natu, qui Academiæ præerãt. Nec defuit eius officiũ Iurisconsultis, amabat enim leges, & propter ipsarum dignitatem, & quia continere eas, doctrinam, historias & bonam Philosophiæ partem affirmabat, deniq; mores & humanitatem utriusq; ciuitatis, uidelicet, Atticæ & Romanæ conspici magna ex parte in legibus dicebat: quare plerasq; sine noticia antiquitatis intelligi posse negabat. Ostendebat & in Canonibus germanũ sensum, sæpe ex historijs & Ecclesiæ moribus petendũ esse. Nam cum ortum esset certamen de hoc dicto: Frustra seruant Euangelium, qui non seruant Canones, & imperiti quidam disputarent, quàm dura uox esset, si ad omnes ritus Ecclesiasticos transferatur, admonuit Rodolphus, Canones initio uocatos esse sententias Synodorum de dogmatibus, ut in Synodo Nicæna

Nicæna damnati sunt errores Samosateni, Catharorum, & Arij. De talibus decretis recte & proprie dici affirmabat, frustra seruari Euangelium, si illi Canones non seruentur, qui ueram & firmam sententiam scripturæ explicant, de illis controuersijs. Hanc se interpretationẽ à Rodolpho accepisse Pallas sæpe prædicabat, nunquam non adijciens honorificam commemorationem de moribus & de eruditione Rodolphi. De Theologia uero solitus est accuratius disputare, ut satis appareret eum tota mente, totoq; animo amplecti & uenerari Christianam religionem, & abhorrere ab impietate: Fuerat enim aliquandiu familiaris ciui suo Basilio Groningo Theologo Parrhisiensi, quem reuersum ex Gallia, Basileæ Capnio etiam se audiuisse dicebat: qui quidem Basilium narrabat Græcam & Hebraicam linguam mediocriter calluisse, in Theologia uero & Medicina, ac reliqua Philosophia, facile omnibus illius ætatis professoribus antecelluisse. Accensus igitur Rodolphus Basilij doctrina, cumq; etiam in Italia Theologos audisset, & ipse scriptores Ecclesiasticos Græcos & Latinos excuteret, & sibi probabat uoluntatem in recentioribus, qui summas rerũ uidissent in unum corpus ac methodum contrahendas esse: hanc enim docendi rationem necessariam esse in omni genere fatebatur, tamen iudicium,

modum & puritatem non obscure desiderabat, ostendebatq; qui mores, quæ opiniones recentiũ temporum conueniant cum ueteri Ecclesia, quæ non conueniant. Nihil fingo, nam mihi sermones quidã ipsius recitati sunt à uiro optimo, καὶ ὅτι μάλιστα ἀξιοπίστῳ. Sæpe enim adiuuabat Theologos in reddendis Græcis sententijs sacrorum librorum, ut in hoc dicto: Et Deus erat uerbum, monebat λόγου subiectum esse, ut uocant Dialectici, propter articulum, iuxta Græci sermonis consuetudinem. Et huiusmodi alia multa. Hæc, ut studiosos iuuaret, comiter inter eruditos & graues uiros disputabat, non rixabatur cum indoctis. Cum igitur proceres aliquoties eius doctrinam & mores Philippo Principi Palatino prædicassent, Princeps cupiens eum audire (magnopere enim delectabatur eruditis sermonibus) complecti eum familiariter cœpit. Cumq; primum de Græcis, Latinis & Ecclesiasticis historijs multa sciscitatus esset, petiuit epitomen historiarum sibi componi. In hac audiui Rodolphum complexum esse ordine seriem imperiorum, initia, incrementa, & inclinationes religionum, & morũ mutationes, collata etiam esse tempora Græcæ historiæ cum sacra. In id compendium contraxit electas materias maxime utiles, cum ex Poëtis, tum ex historicis Græcis, Herodoto, Thucydide, Xenophonte

phonte, Gemisto. Aspersit & inter narrandum sententias ad mouendum Principem de multis partibus Reipublicæ. Id scriptum ualde auxit Principis & procerum studia erga ipsum, cum non modo eruditionem ipsius, sed etiam singularem prudentiam, quæ lucebat in illis narrationibus de causis mutationum, quæ in imperijs accidunt, admirarentur: Quare postea sæpe in consilium de Repub. adhibitus est. Hæc memini non raro prædicare Capnionẽ & Pallantem, quæ multis de causis libenter recensui. Etsi enim eruditio Rodolphi iudicari ex scriptis ipsius potest, tamen mores & uitæ consuetudinem, et testimonia magnorum uirorum de ipso nosse adolescentibus prodest. Sæpe enim eruditorum exempla aliquid de studijs monent, ut quo dirigenda sit manus (ut ita dicam) rectius prospiciant. Fortassis etiam magis admirabuntur & amabunt Rodolphum, si cogitabunt Gazæ & aliorum doctorum uirorum consuetudine usum esse. Cum autem eius monumenta plurimum conducant adolescentiæ studijs, præclare te de studijs mereri iudico mi Alarde, quod sumptu & labore tuo edi curas, cum cætera Rodolphi scripta, tum libros eius Dialecticos integros, qui hactenus mutili circumferuntur. Porro cum Aristoteles uocet Dialecticos libros ὀργανον, satis admonet hanc artem maxime necessariam es-

se: Lumen est enim, omnium non modo artium, sed & disputationum ciuilium & Ecclesiasticarum. Quare plurimum refert adolescentiam in ea recte & prudenter instituí. Nec uero ulla extant recentia scripta de locis & de usu Dialectices meliora & locupletiora Rodolphi libris. Proinde optime te mereri de Republica iudico, quod integros & emendatos edi curas, quos quidem uelim omnes adolescentes, qui solidam eruditionem expetunt, assidue, & (ut Horatij uerbis utar) nocturna uersare manu, uersare diurna. Bene uale. Francoforti 28. die Martij, Anno

1539.

Præfatio

PRAEFATIO PHILIPPI MELANthonis in Metricam Iacobi Micylli.

On tantum mihi sumo, ut meo iudicio de lingua Latina et Græca, deq; ratione scribendi ac dicendi plus tribui uelim, quàm iudicio Micylli, cuius extant pleraque scripta, quæ testantur eum singulari ingenij uenustate, solida eruditione & prudentia in iudicando egregia, præditum esse. Mihi, si quid fuit ingenij, consumptum est in rixis disputationum, & in magna uarietate negociorum, in quibus uersamur. Quare nihil opus est, huic operi Micylli mea prædicatione, & rectius ipsi iuuentus de hoc genere studiorum, quàm mihi assentitur. Sed tamen, quia propter nostram amicitiam à me adijci epistolam uoluit, non repugnaui uiri optimi, mihiq; amicissimi uoluntati. Res loquitur ipsa, eruditorum coniunctionem, concordiam, & consensum in tradendis & adiuuandis artibus, in primis salutarem esse rebus humanis. Quare has scholasticas amicitias, quantum possum, omni officij generi tueri cupio, easq; ad Rempublicam pertinere censeo:

τὸν γὰρ μὲν τὸν φίλον, μύρμακι ὁμύρμηξ

inquit

inquit Poëta. O beatas Respub. O fœlicem Ecclesiam, si firmus esset literatorum consensus in rebus bonis & uera concordia. Quis enim non uidet uitam præcipue regi literis, & literatorum iudicijs? Sed hæc aliàs. Deinde si existimat Micyllus meam adhortationem ad excitanda studia aliquorum non nihil prodesse, nõ decuit me hanc operam defugere. Constat autem, multas esse grauissimas causas, propter quas iuuentus ad Prosodiæ studium assuefaciendа est. Primum enim cum insciti a Grammaticæ, omnes artes, religionem ac leges, ingentibus tenebris obruat, diligenter in tota Grammatica elaborandum est. Pertinent autem ad Grammaticam non modo recta pronunciatio quæ in scholis traditur, sed etiam uerborum delectus, & figurarum cognitio, quibus duabus rebus opus est omnibus, non modo ad recte dicendum, sed etiam ad intelligenda aliorum scripta. Etiamsi nihil compones ipse, tamen ut intelligas eruditorum scripta, legendi sunt Poëtæ, ut ex illorum exemplis discas iudicare de ratione loquendi, & de figuris. Ridicule totos Prophetas & Psalmos contaminarunt ante hoc tempus interpretes, ac etiamnum Iudæi elegantißimas figuras turpiter corrumpunt in Psalmis, non aliam ob causam, nisi quia puerili doctrina non sunt exculti, nec agnoscunt figuras & ornamenta in illis concionibus & carmi-

carminibus. Exemplo est totus Psalmus 67. cuius initium est: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Quantum figurarum est in breui Psalmo: Nisi Dominus ædificauerit. Vbi cum proposuit Prophe-ta, irritos esse labores humanos, nisi à Deo adiuuen-tur ac prouehantur, sequitur Antithesis de curis et conatibus humanis, qui non adiuuantur diuinitus: In quibus pingitur hypotyposi paterfamilias sollici tus, qui mane ante auroram surgit, qui sero it cubi-tum, & interdiu labore exercetur, & cruciatur cu ra, & assiduis operis conficitur. Hæc ibi figurate di cuntur, nec obscura est sententia agnoscenti figurã: Sunt enim Psalmi plerique similes epigrammatum, in quibus proposita aliqua sententia, deinde acce-dunt amplificationes, sumptæ ex usitatis præceptis. Ita & in hoc Psalmo secundus uersiculus pingit ir-ritos labores. Et fit illustrior uersiculus, cum trans-fertur exemplum patris familias ad cæteras perso-nas, ad Principes infœlices, ad Respub. ad guberna-tores. Quanta erat Darij sollicitudo? quanti appa-ratus contra Alexandrum? Et tamen non respondebant successus. Deinde additur altera pars antithe-sis: Fœlix est labor, cũ diuinitus adiuuatur, hoc est, quod ait: Dat dilectis ita, ut habeant interualla ad quietem, & animos tranquillos: ut Dauidi, Alexan dro, Scipioni uictoriæ contigerunt. Subijcit perso-

nas,

nas, ut significet quomodo Deus det successus, cum ui delicet ipse creat, duces, gubernatores, Doctores idoneos. Filij, id est, tales uiri idonei ad res gerendas, diuinitus donantur. Cum instauraret Deus Rempub. Romanam, dedit Scipionem, dedit Augustum. Cum regnum Iudaicum instauraret, dedit Ezechiam, Esaiam, & similes uiros. Hi sunt similes sagittis contortis ualida manu, quæ feriunt omnia, & prosternunt quæ petunt. Annõ Alexander, Cæsar, ut sagitta ingenti impetu contorta, uolitant per orbem terrarũ? Omnia eis cedunt, omnia prona sunt. Ita hæc sagitta imago est uirorum heroicorum, omnis generis ducum, gubernatorum, Doctorum, addo etiam patrisfamiliàs fortunati, animaduertentis omnia fieri illustriora, uere intellecta figura. Iam circumspice animo duces nostri temporis, gubernatores ciuitatum, Doctores, quàm multas sagittas res perias? Plumæ sunt nostri duces, qui cum Turcis dimicarunt nuper in Pannonijs, non sunt sagittæ, non fulmina, ut erant Dauid, Alexander, Scipio, Cæsar, & similes heroici uiri. Quid quod imago sagittæ contortæ, etiam significat successus illos non contingere ociosis & ignauis. Requirit igitur acerrimos labores. Alij ignauia nihil gerunt, aut metu, ut Cassius occurrens Cæsari. Alij etiã uehementer conantur, tamen præposteris consilijs corrumpunt negos

negocia, ut Pompeius, Cato, & hoc tempore multi. Sed heroici uiri recte instituunt negocia, nec susceptos labores in medio cursu remittunt, nec tempora & occasiones oblatas elabi sibi patiuntur. Non abducuntur ab instituto intempestiuis uoluptatibus, ut Antonius imparatus oppressus est, dum agitat conuiuia cum sua Cleopatra, & negligenter parat bellum. Polybius citat de Aeacidis Hesiodi uersum: ἀεὶ γὰρ ἀλκὴ πωλεμῶ κεχαρηότες ἥνορέ δ' ἀσταί. Cum enim sint in animis heroicis acerrimi ad uirtutem stimuli, non uoluptatibus ullis magis delectantur, quàm ipsa uirtute. Quare ingenti impetu rapiuntur ad res præclaras gerendas, non conuiuijs, non amoribus, non segnitia reuocantur à rebus necessarijs. Postremo addit epiphonema, Beatas esse Ecclesias & Respub. ubi tales uiri præsunt, quales suprà descripsit, quos Deus adiuuat, quibus indidit ardentes motus, quorum consilia gubernat & prouehit. Vocat pharetram talem cœtum gubernantium: Non confundetur, cum loquetur cum inimicis in porta, id est, in curia, in certaminibus ciuilibus, & alijs: nam olim in portis exercebantur iudicia. Recitaui totum Psalmum, in quo cum tam multæ ac uariæ insint figuræ, non possunt eum dextre enarrare interpretes, qui non attigerunt poëmata: Acta libus figuris plenæ sunt sacræ literæ. Quantum

uolumen

uolumen texi posset, si etiam ex alijs artibus adijcerem exempla, ubi inscitia Grammatices offuditne bulas. Sciant igitur adolescentes omnibus studiosis opus esse poëmatum cognitione, ad iudicandum de ornamentis orationis. Deinde si qui à natura adiuuantur, illis prodest etiam uersus componere: inscribendo carmine magis sentient quid sit imitatio, magis perspicient in uerborum delectu. Quid quod magnam uoluptatem hæc Musica adfert bonis ingenijs, numeris et concinnitate quadam illustrare eruditas sententias: Postremo alunt Poëtæ etiam rerum scientiam. Porro nec amare, nec intelligere Poëtas possunt illi, qui sunt rudes Philosophiæ. Quare cũ Poëtarum cognitio necessaria sit, etiam Metricam diligenter discendam esse iuuenes sciant. Illud quoq; uelim persuasissimum esse omnibus, quod est uerissimum, non posse conseruari facultatem rectè scribendæ solutæ orationis, nisi exercitatio faciendorum uersuum conseruetur, propterea quod uersus magis ad imitationẽ adolescentes adsuefacit. Nemo autẽ sine cura imitationis recte loqui poterit. Hæc breuiter præfatus sum, non solum ut amico morem gererem, sed quia uere, & ex animo ita sentio, nec dubito idem sentire omnes mediocriter literatos, magnopere opus esse cognitione poëmatum ijs, qui hunc fructum ex studijs petunt, qui præcipue petendus est,

dus est, ut recte iudicent de alienis scriptis, & ut possint, tolerabili genere sermonis cogitationes suas explicare. Has duas artes necessarias esse in uita, nemo non uidet. Proinde adhortor adolescentes, ut hoc studium ament, ut se ad uersiculos faciendos assuefaciant. Ad hanc exercitationem plurimum proderit hic Micylli liber: Nemo enim Latine scripsit Prosodiam eruditius aut diligentius. Bene uale Lector. 11. Augusti.

AD ADOLESCENTES EPIgramma Phil. Mel.

SI decus Ausoniæ linguæ retinere studetis,
Si cupitis recte uerba Latina loqui:
Cura sit, à teneris uatum cognoscere scripta,
Eloquij fontes hos sciat esse puer.
Horum pectoribus motus Deus indidit acres,
Sublimemq; dedit Musa canora sonum.

Verum non satis est legisse poëmata tantum,
Accedat studijs altera cura tuis,
Vt doctis digitis exempla effingere certes,
Cogere & in numeros uerba soluta nouos.
Hic labor ingenij uires acuitq;, fouetq;,
Hinc uenit eloquij copia, forma, nitor.
Hoc si langueset studium, si ignara iuuentus
Non perferre uolet tædia longa styli,
Hei mihi, quæ clades, reliquas iterum obruet artes?
Barbaries tenebras inuehet atra nouas.
Ad uates igitur docilis reuocanda iuuentus,
Hinc sibi sermonis lumina clara trahat.
Et quanquam oblectent, numerisq; soniq; legentem,
Rerum animos grauitas plus tamen ipsa capit.
Naturam rerum totam pinxere Poëtæ,
Et morum quæ sit norma sequenda, docent.
Hi monstrauerunt cœli fastigia primum
Non mergenda mari quæ cynosura notat.
Vt teneant metas errantia sydera certas,
Signifero Phœbi quæ sit in orbe uia.
Tardior æstiuo cur Phœbus in axe uehatur,
Cum superat noctis tempora longa dies.
Brumaq; cur noctes extendat frigida, quando
Ima tenet celeres orbita solis equos.
Lumine cur careat, cum soli proxima luna est,
Et medio fratrem cur tegat ipsa die.

Vt

Vt lunam inuoluat tellus ingentibus umbris,
Et uetet oppoſito lumine poſſe frui.
Quaſq; uices ſeruent orientia ſydera cœlo,
Et quo diſcedant ordine, merſa mari.
Quæ ſtellæ diros moueant urantq; cometas,
Ac flammis iſtis ſuppetat unde uapor.
Nec cauſas recitant tantum, ſed fata Poëtæ
Deſcribunt, fieri nec temere iſta monent.
Eſſe Deum uerum autorem teſtantur, & iſtum
Mentibus humanis hæc dare ſigna ferunt.
Cui non res libeat ſtudioſe inquirere tantas,
Dura niſi ſi cui eſt mens adamante magis?
Has complectuntur uatum monumenta bonorum
Quantum ipſas homini cernere poſſe datur.
Ergo dexteritas, & docti cura Micylli,
Ad Muſas lector cum tibi monſtrat iter,
Hoc duce, Parnaſſi celſas aſcendito rupes,
Et tua doctrinæ fontibus ora riga.

τέλος.

PRAEFATIO PHILIPPI Melanthonis in Micylli Grammaticam.

HONESTO VIRO CHRIstiano Egenolpho, Typographo Francofordiensi, Philippus Melanthon S. D.

VM uiderem uersari passim in manibus puerorum libellum à me quondam in usum Ebneri Adolescentis, de Grammaticæ elementis collectum, sæpe optaui, ut eruditus aliquis, ac prudens censor eum emendaret, & quædam adijceret à me non recte prætermissa, aut certe ut ederet Grammaticen aptiorem, & utiliorem pueris. Quanquam enim extant Grammatici libri multorum, tamen pleriq; propter prolixitatem negliguntur. Valde autem probo Micylli eruditionem ac iudicium, & uideo eum ea uirtute præditum esse, ut Scholasticas operas non fastidiat. Quare cum eum propter ingenij elegantiam, & multiplicem eruditionem, ac mores optimos amem & suspiciam, profecto ob hanc causam

ſam pluris etiam facio, quod non grauatim conferт operam ad iuuanda puerilia ſtudia, cum alia poſſet ſcribere paritura ei plus admirationis apud exteros. Eaq; in re & iudicium ipſius, & uoluntatem ſentio laudandam eſſe. Videt quid conducat publicis ſtudijs, & eſt iuſticia noſtri ordinis, hanc militiam non defugere, ac iuuare diſcentes.

Cum igitur hanc Micylli uoluntatem noſſem, & ſcirem ſingularem eius in iudicando prudentiam eſſe, orauieum, ut emendaret hunc Grammaticum libellum, qui meo titulo circumfertur: Etiam ſi mihi plus ocij eſſet, tamen anteferrem Micylli cenſuram meæ. Sciunt autem multi, quæ mihi, non dicam occupationes, ſed planè ærumnæ, ſcholaſtica negocia, quæ & amo & facio plurimi, ſæpe de manibus excutiant. Gaudeo igitur mi Egenolphe, Micyllum hanc emendationem inſtituiſſe, ac adoleſcentes adhortor, ut & Micyllo & tibi agant gratias. In mea prima editione quædam deſiderabantur. Quanquam autem adijci illa prodeſt, tamen modus adhibendus eſt in locupletandis præceptis, ne deterreantur adoleſcentes prolixitate. Sed hanc totam rem cum prudentiæ, tum fidei Micylli committo, qui quidem hunc laborem & Deo gratum eſſe exiſtimet. Quantum enim re-

fiert Ecclesiæ Christi, recte institui pueros in Grammaticis? Cum doctrinæ cœlestis puritas conseruari sine literis non possit, cum multæ controuersiæ maximarum rerum ex phrasi iudicandæ sint, cum ad explicationem opus sit habere in promptu, ac numerato proprij sermonis copiam, quid erit in Ecclesia Doctor sine Grammatica aliud, nisi aut κωφὸν πρόσωπον, aut impudentissimus rabula? Ac ne amare quidem sacras literas possunt, qui genus sermonis non intelligunt. Verissimum enim illud est, quod dicitur: Ignoti nulla cupido. Qualis autem ille erit in Ecclesia Doctor, qui nec amat, nec intelligit, nec enarrare doctrinam cœlestem potest? Satis graues pœnas olim dedit orbis contemptæ Grammatices, cum Monachi non germanas sententias, sed adulterinas scholis & populo proponebant. Et tamen magna tunc frequentia fuit discentium, & aliqua studia fuisse constat, sed depravata. Quid esset recte loqui, pauci uidebant, multo pauciores iudicare phrasin poterant. Nunc in tanta discentium paucitate, quales tenebræ futuræ sunt, si illi ipsi, qui doctrinæ custodes esse debebunt, non recte fuerint instituti? Quare Principes inter cæteras curas publicas complecti etiam studiorum conseruationem debebant. Sed quàm paucos hæc cura tangat, res loquitur ipsa. Ideo opto, ut ciuitates hoc

tantum

tantum ornamentum Ecclesiæ & totius uitæ tueri, & conseruare conentur. Si agnoscant hi, qui præsunt ciuitatibus, se in restitutione religionis, ac depulsione horribilium errorum & εἰδωλομανίας, adiutos esse literis & eruditione, uicissim meminerint se hanc gratiam eis debere, ut eas ab interitu uindicent. Cogitent quæso, qualis barbaries ciuitatum futura sit, si uelut in Scythia nemo literas sciet: si deerunt, qui de religione erudite alios doceant, qui errantibus ciuibus consiliũ dare queant. Non nego magna ornamenta esse ciuitatum, quæ ferè sola nunc expetuntur, opes, fundos, arces, frumentum, arma: sed profecto, hæc neq; sola, neq; præcipua bona sunt. Coierunt cœtus, & iure consotiati cinxerunt se mœnibus, quam ob causam? Hæc uera & præcipua causa est, propter quam ad societatem homines conditi sunt, ut alij alios de Dei uoluntate, & de cæteris rebus bonis doceant. Præclare igitur Stigellius:

Post ubi senserunt se semina ducere cœlo,
Atq; aliquem, mundum qui regat, esse Deũ.
Tunc primum amplexi iuncti consortia cœtus,
Tegmina uicinis composuere casis.
Vtq; alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iussit habere domos.

Hinc urbes structæ, quarũ est ante omnia munus,
Adseruisse Deo, quam iubet esse, fidem.

Luceat ergo in ciuitatibus uera Dei noticia, celebretur gloria Dei, gaudeant Politiæ se esse domicilia Ecclesiæ. Sed ut hoc uerum decus tueantur, omnino opus est scholis ac literis, quas qui negligunt in ciuitatibus, non politici uiri, etiamsi sunt industrij, sed Cyclopes strenui ducendi sunt, quorum est immanis oratio apud Poëtam:

Sed non Cyclopes numen cœleste uerentur.

Verum quò delabor. Omnes igitur pij & amantes Dei, ardentibus uotis orent Deum, ne extingui studia literarum sinat: Deinde suo quisq; loco iuuet discentes. Ipsa etiam adolescentia meminerit se præcipuam esse partem Ecclesiæ, ut Christus inquit: Sinite paruulos uenire ad me, ac cogitet suas operas in discendo pertinere ad communem omnium salutem, & ad gloriam Dei: Nam reliqua ætatis studia imitantur hoc tyrocinium. Qui non recte Grammaticen didicerunt, postea cæteras disciplinas audacissime corrumpunt. Apparet enim & hic, uere principium dimidium totius esse. Vt in tenebris colores discerni nequaquam possunt, ita sine Grammatica iudicari de sermone in cæteris artibus nullo modo potest. Quàm multa possem turpia errata, quæ magnam ruinam in Ecclesia, & guberna-

gubernatione uitæ traxerunt, tantum ex inscitia Grammatices orta recensere? Quare excuscitanda est adolescentia, ut propter publicam necessitatem, literas & amet ardentius, & discat impetu & cura maiore. Quod si facient, sciant se esse plantulas, ut ait Esaias, satas ad glorificandum Deum, & expectent à Deo ingentia laboris, ac sedulitatis suæ præmia. Bene uale mi Christiane, & Christo strenuè seruito in iuuanda re literaria. Vuitebergæ,

Anno

M. D. XL.

PRAEFATIO PHILIPPI Melanthonis in Syntaxin.

PHILIPPVS MELANTHON Iusto Ionæ, filio Clarissimi uiri Iusti Ionæ Doctoris, S. D.

MAgna similitudo est legum atq; artium, ac si uere iudicare uolumus, leges sunt haud dubie ars quædam regendorum morum & consiliorum uitæ. Quis autem non uidet, quàm impatienter ferant legum uincula, homines non satis instituti & assuefacti? quàm indignentur, ac fremant uelut carcere, legum minis inclusas cupiditates coherceri? Sicut & apud Platonem Gorgias, & si non recte iudicat, inquit, legem cum natura pugnare. Hæc contumacia in iuuentute magis conspici potest, & in barbaris gentibus, quo quæq; est ferocior, eo minus habet legum & disciplinæ, & plus sibi sumit licentiæ. Sicut autem affecti sunt animi agrestiores erga leges, ita uidemus plerunq; adolescentes, & alios rigidioribus naturis præditos, erga artes affectos esse. Etiam cum dicunt

scunt literas, linguas, historias, religiones, leges, re-
media, tamen à præceptis artium ipsarum abhor-
rent, hæc uincula sibi inijci non patiuntur, sed qua-
dam barbarica libertate uagantur in doctrinarum
campis, & decerpunt passim quantum delectat, ar-
tes ipsas neq; ordine, neq; integre discunt. Nec uero
ullo in genere perfecta doctrina comparari potest,
hac confusanea discendi ratione. Atq; hic maxime
reprehendendi sunt quidam, qui pueris ipsis odium
præceptionum instillant, qui sicut milites illiterati
Gallice inter Gallos discunt, ita sperant pueros fore
Grammaticos, sine arte, utcunq; colloquentes cum
autoribus. Vt autem uulgus gaudet legum habenas
laxari, ita pueris hæc σεισάχθεια duplici nomine
grata est: Nam & onere discendi argutias odiosas il
li ætati, leuantur, et sibi libertatem concedi putant,
ne ad præscriptum loquantur. Sed hæc indulgentia
etiam est popularis, tamen est admodum pernicioſa.
Postquam enim desijt uernaculus usus linguæ Lati-
næ, nemo certam loquendi ratione sine regulis con-
sequi potest. Itaq; qui præceptiones non didicerunt,
paulo post uel erroris sui, uel ignauiæ pœnas dant.
Postquam enim adoleuerunt, conscij sibi inscitiæ
suæ, nec loqui, nec scribere Latine audent, quare alij
desperatione quadam in totum abijciunt literas, alij
etiamsi commorantur in studijs, tamen iustos fructus

ex

ex eis percipere non possunt, quorum utrunq; multis modis nocet Reipublicæ. Sedent enim ad gubernacula iudicaturi de religionibus, de iure ac iustitia, de artibus, sine ulla perfecta doctrina. Ne intelligere quidē propriè ea, quæ à doctis citantur, possunt. Vt igitur popularitas & mollicies in soluendis legibus præcipua est imperiorum pestis, ita religione præceptionum animos liberari, nequaquam est utile publicis studijs. Et hanc puerilem consuetudinem animaduerto in posterum nocere. Postquam semel induerunt contemptum præceptionum in Grammaticis, adferunt deinde similem negligentiam ad cæteras maiores artes, quarum cum leges aspernentur, non solidam doctrinam, sed quandam doctrinæ umbram ex illis auferunt: Non enim earum initia, & seriem ordine cognoscunt, sed fortuito quædam inde sumunt, quæ ad ostentationem, aut mediocrem usum conducere uidentur. Et quia cognatio est legum atq; artium, elabitur animis assuefactis ad contemnendas præceptiones, reuerentia legum, quæ priuatos & publicos mores gubernant. Ita negligentia in re, ut initio uidetur, leui, parit ingens malum.

Nam in instituendis ad uirtutem hominibus præcipue hac diligentia opus est, ut animis inseratur reuerentia erga leges, ut ueras & necessarias uitæ

uitæ esse ducant, nec priuato arbitrio, sed adillarum præscriptum mores regendos esse sentiant, sicut Cyrus puer uenustißime admonetur, iusta esse ducenda, non quæ ipsi æqua uideantur, sed quæ legibus constituta sunt. Cum enim puer grandiusculus indutus breui tunica, alteri minori, uestem longiorem ademisset, data illi breuiore tunica, quæ quadrabat admodum corporis illius, & res ad Cyrum iudicem deferretur, pronunciat Cyrus, ut quisque uestem suo corpori aptam teneat: Id enim puerili quadam opinione commodum & æquum esse arbitrabatur. Sed postea pædagogus retractata sententia dat plagas Cyro, et monet iusta esse, non quæ ipsi uideantur commoda, sed quæ legibus sancita sunt: præcipua autem lex est, ut suum quisq; teneat, ne in aliorum fortunas quisquam impetum faciat. Ita significauit ille Cyri Magister, assuefaciendos esse animos, ut nostris opinionibus & cupiditatibus longe anteferamus legum autoritatẽ. Quare ἀθανὸν quiddam fuerit, teneram ætatem flectere ad amandas præceptiones, ut existimet uirtutem esse, frenare ingenium, & ad præscriptum cum loqui, tum agere omnia: Illud enim constat, præceptionum contemptu in ferocioribus ingenijs ualde confirmari Cyclopicam audaciam. Et adolescentes ipsos admoneo, ut si quẽ uiderint æqualium inimicũ artibus ac

præceptis

præceptis, hanc ut existiment notam esse, naturæ im
moderatam libertatem concupiscentis, & legum re
pagula effracturæ. Nullum autem monstrum pers
inde tetrum cogitari potest, ut talis natura impa
tiens legum & disciplinæ, seditiosa, ac tyrannica.

Hæc in genere præfari uolui de præceptionibus
amandis, quæ esse uerissima omnes prudentes uiri te
stabuntur, & animaduerti facile possunt, si quis in
geniorum naturas considerauerit. Est autem quæ
dam ad mores & multas res necessaria diligentia,
diuersitatem ingeniorum obseruare. Et si igitur in
artibus discendis, non satis est præcepta audire, sed
adiungi oportet exempla, imitationem, & exerci
tationem, tamen hoc persuasissimum sit omnibus,
uim magnam atque utilitatem esse præceptionum.
Porro ut hoc loco tantum de hac parte Grammati
ces dicam, ingens utilitas est, tenere certam loquendi
rationem, et de natura sermonis recte iudicare pos
se. Errant autem tota uia, & toto cœlo, si qui pu
tant hæc sine præceptis quenquam consequi posse.
Idq; fateri res ipsa tandē cogit eos, qui omissis præ
ceptis, ex sola autorum lectione, iungere uerba di
cerunt. Deinde etiamsi ad quotidianum colloquiū
satis formularum suppeditat lectio, quid facient, si
longior causa explicanda erit, quomodo composi
tionem illam periodorum, & totam seriem mem
brorum

brorum in oratione intelligent, nisi omnem ratio-
nem Syntaxeos probe cognouerint? Postremo ob-
scuras aut uitiosas Syntaxes quomodo iudicabunt,
nisi adhibitis regulis? Nam si tantum exempla quæ-
rent, quoties occurrent uitiosa, quorum pleraq; à
rectè dictis non possunt sine regula discerni? Porro
etiam doctos homines interdum obscuritas, aut no-
uitas in Syntaxi fallit.

Nam ut ex sacris literis exempla petamus, extat
in priore Epistola ad Timotheum gnome Pauli: Sal
uatur mulier per filiorum generationem, si man-
serint in fide, dilectione, castitate, & temperantia.
Hic multos fefellit numeri mutatio, si manserint,
ideoq; disputant, quid uelit Paulus, an mater alio-
qui pia, si filij abiecerint fidem, peritura sit ipsa
quoq;. His intempestiuis quæstionibus nihil opus es-
se sagax Grammaticus facile intelliget: ut enim di-
cimus: Turba ruunt, ita hic de sexu loquitur, si man
serint, scilicet, sexus muliebris. Explicata Syntaxi,
postea cernes in hac gnome, non absurdas aut hy-
perbolicas sententias contineri, sed doctrinam de re
bus maximis, utilissimam, minimeq; absurdã. Quæ
enim concio proponi grauior & eruditior potest,
quàm hæc? Vt in saluandis existere fidem, & fidei
fructus, officia suæ cuiusq; uocationis oportet: Ita
hic Paulus complectitur summam doctrinæ de sa-

lute

salute coniugum hoc dicto: Requirit fidem, & & uocationis opera, scilicet, officia coniugalia, castitatem. Iam quæ consolatio dulcior pijs in coniugio esse potest, quàm quod audiunt hic officia coniugalia non improbari, ait inter uitia recenseri, sed præstantißimis uirtutibus annumerari, quas Deus approbat, & quæ existunt in saluandis. Hæc sententia pios præclare munit contra superstitionem. Hæc utilis doctrina tota iacet obruta densißima caligine, si quis ignoret Grammaticam rationem Syntaxeos. Itaq; hic prodigiosas ineptias Thomas comminiscitur. Exigua laus esse ducitur, non falli in Grammatica, sed tamen utilitas est amplißima. Accidit enim hic quoq; ut sit, quemadmodum dicitur: ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς. Animaduersa enim Grammatica sententia, postea mediocriter doctus uidere potest, ad quos locos dictum accommodari debeat. Hic si errata Syntaxeos in sacris libris uelim recitare, nimis prolixus catalogus futurus esset. Annotaui autem unum atq; alterum: Primum, ut uideant adolescentes, quàm necessaria sint ad ueras sententias patefaciendas præcepta de Syntaxi: Deinde, ut his admoniti exemplis, sint in loquendo & iudicando diligentiores.

In Euangelio Ioan. cap. 8. legitur τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Hic fefellit & interpretem &

& Augustinum figura constructionis. Nam τὸ ἀρχὴν ponitur aduerbialiter pro particula prorsus, seu primum. Cum enim illi interrogassent Christum, quis esset, respondit: Prorsus is sum, quem me esse dico, quem me esse profiteor: Hæc interpretatio perspicua est. At alij male intellecta particula τὸ ἀρχὴν, legerũt: Principium quod & loquor uobis, ac disputant, quare Christus se nominet principium. Hæc etiam si non sunt absurda, tamen hoc quidem loco intempestiua sunt, & offundunt caligi-nem reliquo sermoni.

In Psalmo legitur: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, à templo tuo &c. Quantum accedet lucis & gratiæ, si recte addatur figura cõstructionis: Confirma hoc Deus, quod operatus es, propter templum tuum. Orat enim, ut Deus gubernet, adiuuet, & confirmet pios, ut propagare doctrinã possint, idq; orat fieri propter templum ipsius, id est, ut Euangelium ubiq; illucescat, ut gloria Dei ornetur, & uera Ecclesia crescat. Quàm dulcis uersiculus est in alio Psalmo: In conueniendo populos in unum, & Reges, ut seruiant Domino. Hic Grammatici de constructione rixantur, cum sit forma orationis contra Latinam consuetudinem ex Græco expressa: Cum conueniunt populi simul & Reges ut seruiant Domino. Multa enim complectitur:

Pingit in Ecclesia concordiam, testatur etiam ad Reges Euangelium pertinere, & hanc curam Regum esse debere, ut populos ad pietatem inuitent, deniq; propter hunc finem homines ad societatem esse conditos, imperia constituta esse, populos, hoc est, cœtus consociatos esse, & Reges præpositos, ut ornent gloriam Dei. Hunc finem homines cœtus hominum in imperijs, ciuitatibus, familijs, scholis expetere debent. Monet igitur Reges, Principes, ciuitates, Doctores, patres familiàs, ut cogitent hoc præcipuum esse officium suum, ut puram doctrinam ad gloriam Dei conseruare & propagare, & Deo obedire studeant.

In his exemplis uident adolescentes, monstrata Syntaxi, sententias non modo illustriores, sed etiam dulciores reddi studiosis. Multas enim magnas res antea inuolutas, Syntaxis profert & expomit. Scio esse puerile studium, & negocium uideri leue, sed mihi credant adolescentes, non minus prodesse generi humano Grammaticen, ac præcipue hanc partem, quæ est absolutio Grammatices, quàm plerasq; alias artes aut professiones, & si de earũ dignitate nihil detraho. Magna utilitas et magna laus est architectonicæ, quæ non modo domicilia nobis condidit, sed etiam rationem muniendi magnos cœtus ostendit, quæ machinas omnis generis utilissimas, molas,

molas, naues, portus, aquæductus fabricat. Assentior magnam esse harum rerum utilitatem, sed non minor est utilitas Grammatices: Hæc religionum, legum, historiarum, & multarum artium, quasi nutricula quædam est. Ideo non solum adhortor adolescentes, sed propter gloriam Dei obtestor, ut diligentiam in discendo adhibeant, quam primum Deo, Ecclesiæ, & Reipublicæ debent, deinde quam flagitant parentes, quorum iudicijs obtemperare eos Deus iussit. Hæ causſæ discendi inculcandæ sunt adolescentibus, ut sciant sua studia pertinere ad Ecclesiam & Rempublicam. Nisi Grammaticen recte didicerint, non poterunt cæteras artes Ecclesiæ & Reipublicæ necessarias tueri. Nec nostra opera deesse his studijs debet. Ideo cum uiderem hunc libellum in manibus esse puerorum, sui autor uiro docto Vito Vuinsemio, ut eum augeret, deesse enim aliquas pueriles regulas animaduerteram. Prodit igitur locupletatus non modo præceptis, sed etiam exemplis, quorum imitatio ad phrasin conducit. Hortantur autem te domestica exempla ad has artes amandas, quæ ad recte dicendum necessariæ sunt. Es enim natus in oratoria familia: Nam auum tuum audimus summam authoritatem propter eloquentiam, & ciuilem prudentiam in patria consecutum esse, qui,

ut illa tempora ferebant, non indoctus fuit, sed stu-
diosus in primis ne deesset in oratione nerui. Pa-
ter uero, & si tantum natura ualet, ut nullius in-
genium cognouerim ad eloquentiam aptius, tanta
est ubertas, tantus splendor in eius oratione, quæ
naturæ bona sunt, tamen illam naturæ fœlicitatem
magna doctrinæ copia etiam instruxit. Horum te
accendi exemplis conuenit, ut possessio-
nem huius laudis in familia re-
tineas. Bene
uale.

Præfa-

PRAEFATIO AD REGEM Ferdinandum in Danielem, Autore Phil. Mel.

INCLYTO REGI HVNGARIÆ ac Bohemiæ, Archiduci Austriæ, D. Ferdinando, Domino suo clementissimo, Phil. Melan. S. D.

QVum publico quodam more nullum non scripti genus summis principibus ac Regibus dedicari soleat, nemo fortasse consilij mei causam requiret, cur sub tuo nomine hunc commentarium in lucem ediderim. Tanta enim literarum dignitas semper fuit, ut nulla magis idonea munera a Regibus offerri posse, quàm literaria, creditum sit. Nec paucæ aut leues causæ sunt receptæ huius opinionis: Nam cum sine studijs literarum, neq; religiones coli, neq; retineri iudicia, neq; explicari leges, quæ omnia his, qui imperant tuenda sunt, possint, uisa est & hæc cura ad Reges pertinere, excitandorum studiorum, atq; defendendorum. Itaq; cum propter alia multa studiosi homines Regum titulos, ac nomina suis operibus inscripserunt,

tum maxime, ut significarent monumenta literaria propter publicam utilitatem, ab ijs, qui tenent Reſpub. defendenda eſſe. Sed in maxima uarietate ſcriptorum, nulla magis conueniunt Principibus, quàm quæ religionis doctrinam continent: hanc enim præcipue illos & cognoſcere & propugnare decet. Ego igitur hunc ad te libellum miſi, inclyte Rex, in quo Danielem Prophetam enarraui, qui præter quam quod de Chriſto planè & perſpicuè uaticinatur, plurima etiam præcepta & exempla utilia imperantibus tradit. Accipio ab his, quibus interior tua uita nota eſt, libenter te ueterum hiſtorias, & præclara poëmata legere, ac ſæpe publicis occupationibus aliquam ſuffurari temporis partem quæ in lectionem collocetur. Quæres, quantam mereatur laudem, non poſſum uerbis conſequi. Neq; enim ſine literarum tractatione, perfecta ſapientia, quæ in Principe requiritur, exiſtere poteſt. Faciebat idem auus tuus Maximilianus Cæſar, nulli Regum aut Imperatorum optimorum apud Græcos, aut Romanos in omni genere laudis ſecũdus. Hic in ipſis caſtris etiam legebat, & cum doctis non modo de religione, deq; omni ratione regendæ Reipublicæ, ſed etiam de leuioribus artibus commentabatur, de ſyderum motibus, de alijs naturalibus cauſis, de hiſtorijs. Nulla res erat, quæ quidem digna eſſet

esset hominis ingenui cognitione, in quam ille non intenderet animum.

Cum autem & naturæ tuæ bonitate, & hoc domestico exemplo extimulatus, tanto pere studia literarum ames, existimabam futurum, ut à lectione Danielis non abhorreres. Si enim prodest ijs, qui in administratione Reipub. uersantur, præcepta regendarũ ciuitatum, à Platone aut alijs conscripta, tenere, quanto magis conducit nosse Danielẽ, in quo tam multa cœlestia præcepta extant, sine quibus imperium pie gerere nemo potest? Prudenter de iure, de legũ æquitate, deq; alijs multis rebus, quæ ratione deprehendi poterant, Philosophi scripserũt. Sed de uoluntate Dei nihil tradere potuerunt, quod in animis Principum, aut fiduciã erga Deum, aut timorem Dei aleret. Philosophi consilio hominum, aut casu iudicant imperia constituta esse: At hic Propheta non semel ait, Deum regna constituere ac mutare, Deum custodem esse Regum, & mittere Angelos, qui tanquam excubias agant ad defendendos Reges. Quæ autem arces, quæ propugnacula perinde muniunt Principem aduersus omnia pericula, atq; hæ sententiæ, quæ iubent credere, quod à Deo tegatur? Sic enim hæ sententiæ accipiendæ sunt, ut non modo ad illos pertinuisse, sed ad nos quoq; accommodandas esse iudicemus.

Hic proponuntur piorum, & impiorum Regum dißimilia consilia, dißimilesq; exitus: Monarchiæ depinguntur, quarum succeßionem Propheta tot ante seculis præuidit, ut indicaret, quo tempore Christus uenturus esset. Significat postremis temporibus futurum, ut existat regnum, quod longe lateq; grassetur, ac sanctos opprimat: id Saracenicum ac Turcicum regnum esse, dubitari non potest. Voluit autem Propheta consolari pios, ne gloria impij imperij offensi, fidem abijcerent, ne putarent se casu, aut ignorante Deo affligi, ne fœlicitatem illam tyrannidis fore perpetuã arbitrarentur. Postremo, ut scirent etiam, cum illud regnum in fastigio stabit, breui uenturum esse Christum, ad iudicandos uiuos ac mortuos. Quàm autem Regia Danielis concio est, qua Regem Assyrium hortatur ad pœnitentiam? Libera te à peccatis, peruiciam, & per beneficia in pauperes collata. Non præscribit nouos aliquos ritus, aut ceremonias, sed summam pietatis diserte complectitur: Iustitiam enim initio uocat agnitionem Dei ac fidem, per quam in gratiam à Deo recipimur. Cum contigit fides, reliquum est, ut unusquisq; suæ uocationi seruiat, suum officium sedulo faciat, Spartam quam nactus est, summa diligentia exornet. Est autem Regum, ut ita dicam, uocatio, ius rite dicere, defendere inno-

innocentes aduersus uim iniustam, punire sontes, pacem & disciplinam ciuilem legibus atq; armis munire. Hæc beneficia, has eleemosynas iubet Regem in subditos miseros, & iniuriæ obnoxios, sic enim in sua lingua loquitur, conferre. Ac ne potest quidem homini quidquam contingere melius pace, ac certa & æquabili iuris descriptione. Hæc atq; alia multa comperies profutura, uel ad agnitionem Christi, uel ad Rempub. gubernandam, quæ prophani scriptores non attigerunt.

Quare nihil dubitabam, quin magnam tibi uoluptatem Danielis lectio allatura esset: nos addidimus adnotationes, quæ alicubi lucem adferrent obscurioribus locis. Multa enim ex historijs omnium temporum, ad intelligendum Danielem, petenda sunt, quæ tibi occupato tot regnorum gubernandorũ curis, tot etiam implicato bellis, procul quærere non uacat. Quanquam autem uolui tibi hac in re meam obseruantiam, meumq; erga te studium probare, tamen & aliam quandam habui causam ad te scribendi, multo iustiorem, ac planè necessariam. Magno in odio multorum sunt hoc tempore nonnulli, qui sacras literas pure tractant, aduersus hos cum Sycophantæ quidam ubique Principes concitent, nullum hoc tempore grauius est crimen, quàm genuinam religionis doctrinam amplecti. Et annis

iam aliquot, multi boni uiri desyderant æquitatem in nonnullis, qui quouis alio modo dissensiones Ecclesiæ malunt opprimere, quàm ordine cognitis dogmatibus. At non modo æquius erat, sed etiam publicæ paci utilius, doctrinã prius cognoscere, quàm edictis iugulare. Neq; enim potest esse diuturna pax si in Ecclesijs falsæ opiniones hæserint.

Misi igitur ad te hunc libellum, ut specimen eius doctrinæ, in qua uersor, tibi ostenderem, teq; rogandum duxi, ut des operam, ut Ecclesiasticæ controuersiæ cognoscantur. Idq; non modo abs te peti existimes, quia in hoc Imperio secundum fratrem principem locum obtines, sed multo magis, quia maxima fama est iustitiæ tuæ apud gentes, hanc conuenit bonis uiris præsidio esse. Nec petitur aliud, nisi quod non modo scriptum extabat in Atticarum legum tabulis, ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, sed omnium hominum animis diuinitus insitum est, ut utraq; pars audiatur. Vbi cognoueris quale sit doctrinæ genus quod quisq; profitetur, pronunciare tutius erit. Maxime optant omnes, ut Synodus cogatur: sed si hoc tam turbulentis temporibus fieri non potest, tamen meo iudicio ita consuli posset Ecclesiæ concordiæ, si aliquot probis ac doctis uiris autoritate summorum Principum committeretur, ut de dogmatibus iudicarent. Quidam ita sæuiunt in eos, qui non

probant

probant omnes uulgo receptas opiniones, quasi nihil uitij irrepserit tot seculis in Ecclesiam. Multa docuerunt olim Monachi, quæ pietati officiunt, multa usu recepta sunt aliena ab Euangelio. Denique Ecclesiastica doctrina multis impijs constitutionibus atque opinionibus oblita est. Decet autem præstare eos, qui uel præsunt Ecclesiæ, uel imperia tenent, ut quàm maxime pura Christi doctrina populo proponatur.

Quare in hanc curã incumbe, Rex inclyte, propter gloriam Dei, ut repurgata doctrina Ecclesiastica, concordiam sarcias. Nihil Deo gratius facere poteris, nihil ad omnem posteritatis memoriam gloriosius, nihil Austriaco nomine dignius: Semper enim familia uestra præcipuam pietatis laudem habuit. Quæ sunt autẽ officia pietatis meliora, quàm publicam pacem constituere, ac efficere, ut de religione recte doceantur homines? Christus pacis autores beatos uocat, & pronunciat esse filios Dei. Quod si excitatus hac uoce, discordiam sanaueris, uicissim fauebit tibi Christus, & consilia maximarum rerum, quas utilitatis publicæ causa suscipis, fortunabit. Si quis autem arbitratur posse sedari discordiã, si altera pars ui opprimatur, mea quidem sententia longe errat. Illud fuerit remediũ magis idoneum huic morbo, si rite dijudicatis dogmatibus, recte do-

cte doceantur homines: Nam & doceri expetunt, & Christianos decet sanare magis errantes, quàm perdere. Contra, uidentur religionem ludibrio habere, qui docere nolunt, tantum cogunt amplecti, quod commodum est ipsis, rectum sit nec ne, ridicula quæstio putatur. Non suscepi hic cuiusquam defensionem. Si quis Euangelij prætextu seditiones excitat, si imperia Principibus abrogat, si in alienas possessiones inuadere, si diripere sacerdotum facultates conatur, det sceleris pœnas. Tantum hoc oro, ut in tanta uarietate dogmatum, ratio ineatur, per quam ita restituatur concordia, ut ambiguæ mentes etiam sanentur. Hæc cura Regibus Christianis digna est, quorum nulli potentia, & regni amplitudine cedis, multos etiam iustitia, pietate, clementia, quæ sunt uera Regum ornamenta, uincis. Nulla trophæa durabiliora erigere poteris, quàm futura sit huius memoria beneficij, si Ecclesiæ tranquillitatem restitueris, atque ita munieris, ut esse diuturna possit. Quoties maiorum tuorum imagines consideras, incurrunt in oculos tuos nonnulli, qui Synodos coëgerunt, ut dissensiones Ecclesiæ cõponerent. Horum exempla te admoneant, quid in huiusmodi dissensionibus maxime Christianu Principem deceat, quidq; Reipublicæ sit utilissimum. Hæc ad te fortasse præter decorum, sed tamen bono

studio

studio scripsi, teq; rogo, ut libertatem meam pro tua clementia boni consulas. Nam si aliàs unquam, hoc tempore maxime, merentur hæ querelæ ueniã, cum, ut ait Poëta:

Pellitur è medio sapientia, ui geritur res.

Christus det mentem omnibus Principibus, & cupidam pacis, & amantem Euangelij. Vale fœliciter rex inclyte. Spiræ, Anno M. D. XXIX. Mense Aprili.

GERMANIA AD REGEM Ferdinandum.

Anc adflicta tibi Germania mitto salutem,
Quæ mihi non tribui, te nisi dante, potest.
Vsa diu rebus quæ sum tranquilla secundis,
Hoc iaceo multis tempore pressa malis.
De quibus ipsa tuum supplex cum numen adoro,
Ferre mihi solus qui potes, adfer opem.
Ecce uides rerum quàm tristis forma mearum,
Qualis & imperij sit status iste mei.
Omnia dissidijs sunt, omnia plena tumultu,
Illa fuit quanti res mihi causa mali?

Seruio

Seruiles acies sumptis nos uidimus armis,
Nuper & agrestes rure coisse manus.
Testis adhuc extat miserandæ Francia cladis,
Tota cadaueribus squalida facta suis.
Ipsaq; fertilibus laudata Alsatia campis,
Quæ fuit in multis cæde cruenta locis.
At pars ulla meo ne posit abesse dolori,
Insuper externo nunc & ab hoste petor.
Turca ferox nostras descendere fertur in oras,
Alterius nobis altera causa mali.
Infestis qui cum tot regna subegerit armis,
Posse suo sperat me quoq; Marte capi.
Si qua proinde meæ remanet tibi cura salutis,
Adfer in aduersis his mihi rebus opem:
Ne toties claris quæ sum prius aucta triumphis,
Hostibus hoc fiam tempore præda meis.
Nam tibi si rerum sunt cognita gesta mearum,
Cognita quæ cunctis Regibus esse puto.
Semper adhuc inuicta fui, nullosq; per annos,
Vllius inuenies me subijsse iugum.
Roma suis totum domuit quæ uiribus orbem,
Nominis est nunquam laudibus aucta mei.
Meq; laceßiuit quoties hostilibus armis,
Hanc liquet incepti pœnituiße sui.
In me nil potuit uirtus animosa Neronis,
Funere qui Rheni nobilitauit aquas.

Nil

Nil potuere tuæ Quintili Vare cohortes,
Quas meus Arminius depulit enſe ſuo.
Nec maris Adriaci tota cum plebe ſenatus,
Noſtra ſuo potuit ſubdere colla iugo.
Deniq; nec magni potuerunt lilia Galli,
Lilia ſæpe mea languida facta manu.
Quin neq; Turcarum nos iam ſuperabimur armis,
Auxilio ſi nos iuueris ipſe tuo.
Dicat in exemplum celebris te fama Camilli,
Nam patriæ uindex & fuit ille ſuæ.
Secula nulla tuum nomen uentura ſilebunt,
Inferiorq; tua laude Camillus erit.
Tu modo pro nobis, & libertate meorum,
In Mahometigenas ſuſcipe bella Getas,
Totius infeſtos Chriſti quos nominis hoſtes
Nouimus, aduerſus armaq; ferre Deum.
Hac de gente fera, Danielis ſcripta Prophetæ
Multa canunt, paucis hic memoranda mihi:
Viderat is quatuor ſub imagine regna ferarum,
Aſpice, uera tibi, non ego ficta loquar.
Regibus Aſſyrijs, primis fera prima monarchis,
Altera ſed Perſis aſsimulata fuit.
Tertia Graiorum referebat beſtia ſceptrum,
Quarta poteſtatem Martia Roma tuam,
Huius dira feræ facies truculentior illis,
Diſſimilisq; tribus conſpicienda fuit.

Ferratos

Ferratos dentes, bis cornua quinq; gerebat,
Et pedibus plodens concutiebat humum.
Exiguum uero cornu sub fronte latebat,
De medijs ortum cornibus, illud erat:
In quo terrificis oculis, uultuq; minaci,
Humani capitis forma uidenda fuit.
Hoc cum cœlitibus diuis uiolenta gerebat
Prælia, blasphemos ore loquente sonos.
Turca ferox autem caput est immane, quod audis
Aduersus summum bella mouere Deum.
Hoc tibi frangendum caput est, hoc concute cornu,
Succumbet manibus bellua uicta tuis.
Ergo age, Rex, animo præsenti suscipe bellum,
Hei mihi quas pœnas impie Turca dabis.
Non tibi consuetæ mitti post terga sagittæ:
Non tibi uelocis proderit usus equi.
Aut ultra Tanaim patrijs eiectus ab oris,
Ludibrium cunctis gentibus exul eris.
Aut tua submittens iniectis colla cathenis,
Ante triumphales Regis obibis equos.
Inclyta nobilibus gaudebit Græcia Musis,
Præbuit inuitas quæ tibi uicta manus.
Exultansq; suis lætabitur amnibus Ister,
Quem tuus infestum reddidit ante furor.
Hoc precor esse ratum cœlesti numine Christus,
Hoc uelit omnipotens, rexq; paterq; Deus.

Sed

Sed prius externos quàm progrediaris in hostes,
Certa tibi pax est constituenda domi,
Sedandiq; graues de relligione tumultus,
Hoc Regem tantum, quantus es ipse, decet.
Nec minor ingenuas studijs florentibus artes,
Ac fouisse sacras sit tibi cura deas,
Quæ spretæ sine honore iacent hoc tempore passim
Hac re nulla tibi gloria maior erit.
Tunc Deus indomitas, tibi Marte fauente, cohortes
Turcarumq; dabit uincere posse manus.
Tunc, quas nulla tibi poterit delere uetustas,
Laudes semper erunt, gloria semper erit.
Longior immensis ne crescat Epistola uerbis,
Desino, tu fœlix incolumisq; Vale.

PRAEFATIO PHILIPPI Melanthonis in Danielem Prophetam.

ILLVSTRISSIMO PRINCIpi ac Domino, D. Mauricio, Duci Saxoniæ, Landgrauio Turingiæ, & Marchioni Misnæ, Domino suo clementißimo, Philippus Melanthon S. D.

HAec cum in bruma scriberem, tempus me de Halcyonijs admonuit. Aiunt enim Halcyonas in marinis scopulis nidificantes, hoc asperrimo anni tempore incubare ouis & pullos excludere. Eamq; ob causam diebus quatuordecim id mare, quod hospitium præbet incubanti Halcyoni, adeo placidum esse, ut tuto nauigari possit, nec seuicia uentorum quassari, nec undis obrui auis hospitæ nidum. Ideoq; tranquillitatem & quasi inducias certorum dierum circa brumam uocari Halcyonios dies. Vt autem Deus multas in natura rerum imagines Ecclesiæ nobis proposuit: Ita mihi legenti totam earum auium descriptionem, sæpe uenit in mentem Ecclesiæ nidificantis tanquã in mari, in ma-

in magnis & turbulentis imperijs, in quibus aliquantisper Deus & domicilium, tanquam nidum & tranquillitatem mediocrem pijs studijs concedit, ut propagari Euangelium possit. Talia fuerunt Halcyonia genti Iudaicæ, cum Christus & Apostoli docuerunt. Nisi enim aliquantisper pax fuisset non spargi uox Euangelij, & non eruditi adolescentia, non coalescere cœtus aliqui potuissent. Hæc enim fieri non possunt cum terrore armorum & barbarie ac furore militum dissipantur honesti cœtus, cũ urbes euertuntur, cum nulli sunt receptus discentium, cum à complexu parentum auulsa adolescentia iugulatur. Hæc cum fiunt, iram Dei aduersus humani generis peccata agnoscamus ac deploremus. Sed tamen immensa Dei bonitas interdum aliquas concedit inducias propter Ecclesiam, ut maris fluctus aliquãtisper sedantur, ne fœtificantẽ Halcyonẽ impediant. Quod igitur Deus aliquantisper tranquillitatem, tanquam Halcyonia his regionibus dedit, dum Euangelium illucesceret, agamus ei gratias, & ueris ac pijs uotis petamus tranquillitatem in posterum, ut iuuentus pie educari ac doceri queat, & ut honesti & pij gubernatores disciplinam regere & tueri possint. Etsi autem semper Ecclesiam magnæ difficultates exercuerunt, tamen & res ostendit, & Deus prædixit ultimam mundi senectam

futuram multo ærumnosiorem superioribus ætatibus. Nec uero frustra prædictiones editæ sunt, ut eas legi Deus, ut pij præparent animos ad multiplicia certamina, discant quæ sit uera Dei Ecclesia, in qua uidelicet sonat uox Euangelij filij Dei, sciant hanc dimicaturam esse cum hostibus Christi, qui nobis sua morte iram æterni patris placauit, & resuscitatus regnat, ut Ecclesiam suam donet uita æterna, sciant finem harum ærumnarum fore, cũ Ecclesia ex morte resuscitata ornabitur æterna gloria. De his rebus cum prolixe nos Deus in scripto Danielis præmonuerit, temporum etiam seriem et metas aliquo modo constituerit, certe bonis mentibus hæc lectio utilis est. Quid quod uox angeli in fine huius scripti hortatur, ultimam ætatem ad hanc lectionẽ, cum ait: Stabis Daniel in sorte tua in fine, id est, firmi geris tuo munere, docebis & confirmabis pios. Et Christus non modo ad lectionẽ eius nos deducit, sed etiam iubet attentos considerare de quantis rebus nos doceat Danielis narratio, cũ ait: Qui legit, attendat. Tanta autoritate moueamur, ut hoc scriptũ libenter et studiose legamus. Accedit huc, quod reuera Epitome est historiæ mundi inde usq; à prima monarchia, et exemplа bonorum & malorũ Principũ illustria proponit. Sed de utilitatibus postea plura dicam. Ego quidem ut scholasticos ad hanc lectionẽ inuita-

inuitarem, breues annotationes addidi. Tam fœcunda sunt dicta Prophetarũ, ut exhauriri non possint. Quanquam igitur magnitudini argumentorum hi ieiuni, & mutili cõmentarij non satisfaciunt: Tamen prodest iuuentutem cõmonefieri de præcipuis materijs, & quasi digito monstrari eos locos, quos studiosi postea sua meditatione propius contueri, et euoluere debent. Sunt autem in Daniele multa historica, quæ certe requirunt interpretem. Et in his arbitror nostram lucubratiunculam profuturã iuuenibus: Sed quicquid est operæ, totum permitto iudicio piorum & doctorum, quos etiam scio candorem in iudicando adhibere. Et ut alias ita nunc testatum uolo de dogmatibus me consensum Ecclesiarũ nostrarum amplecti, quem quidem certissimum est uere esse consensum perpetuum Ecclesiæ catholicæ Dei. Ideo & iudicio nostrarũ Ecclesiarum omnia mea scripta subijcio. Cum autem usitatum sit Principibus dedicare scripta, & hic mos multas habeat probandas & graues causas, hanc lucubrationem tibi Illustriß. Princeps dedicare uolui, ut cum uoluntatem tuam erga Ecclesiam Christi, & honesta studia laudari audiam, uicißim hanc tuam uirtutem scholasticis prædicem, eosq; adhorter, ut se ad amandos & uenerandos bonos & salutares Principes adsuefaciant, & assiduis precibus Deo commendent

politias & fideles gubernatores. Magna est humani generis infirmitas, magnus furor diaboli, qui ardens odio Dei, sicut primos parentes impulit, ut ruerent in has ærumnas: Ita perpetuo nocere Ecclesiæ studet, ac præcipue summo uitæ fastigio insidiatur. Nec ulla tanta est sapientia, quæ quantum sit in omni gubernatione periculi, satis intelligat. Quare Principes coniuncti Ecclesiæ Dei, omnium piorum uotis adiuuandi sunt, ut Deus æternus, qui dat salutem Regibus, ut Psalmus inquit, consilia eorum regat, ac mentes atq; impetus ad suam & publicam salutem flectat. Hac de re Lectores in hoc genere dedicationum admonendi sunt. Ipsos etiam Principes lectio illustrium exemplorum hortetur ad moderationem, & ad timorem Dei, quæ quidem eo proposuit Deus, ut posteritatem ad uirtutis studium uocaret. Deum æternum patrem liberatoris nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut te seruet incolumem, & ita regat, ut tua gubernatio sit fausta & fœlix tibi & patriæ, ac Ecclesiæ Christi, quæ est altera & uerior patria. Calen.

Ianu. Anno

M. D. XLIII.

Præfa-

PRAEFATIO IN HARMONIAS de Passione Christi.

On dubium est Musicam generi humano præcipue datam esse sacrorũ causa, primum, ut cantu, tanquam literis conseruarentur & propagarentur oracula diuinitus tradita: durabilior est enim numerorum & carminum memoria. Deinde ut rectæ sententiæ magis penetrarent in animos, & ferirent ac mouerent hominum pectora uehementius. Est enim quædam animæ cum numeris et harmonia mirabilis cognatio, qua fit, ut aduide accipiant animi harmonias, & earum uarietati respondeant uarij motus in nobis. Sentiuntur hæc non obscure, & si ratio, cur fiant, non perspicitur, sed harmonicum quiddam est anima, & natura percipiens atq; amans numeros atq; harmoniam: ex quibus duobus existit ordinis cognitio, quo nihil est in omnibus rebus & in moribus pulchrius, quo animaduerso, mens traducitur ad agnitionem Dei. Verum ut hanc disputationem de causis omittamus, illud minime dubium est, Musicen in sacris ritibus semper adhibitam esse, ut uel tranquilliores redderet animos, et ad cogitationem rerum diuinarum aptiores, uel alios excitaret motus ijs sententijs,

quæ proponebantur, congruentes. Eaṁq; ad rem ueterum consuetudo maxime profuit, qui ad cantū, ad fides, adiungebant uerba, ut simul perferrentur ad aures atq; animos hominum sententiæ sonis conuenientes. Hæc harmonia ciet ardentes motus in animis. Vt igitur cætera Christi dicta, facta, aut beneficia cantu celebrare prodest, ita maxime ad historiam mortis eius adhibenda est Musica. Maxime laudatur in Ecclesia cogitatio de morte Christi, nec uero utilius quidquam est ad excitandam pietatem, quàm illius admirandi operis consideratio. In hac imagine cernimus infinitam esse misericordiam Dei erga nos, eò quod Filium pro nobis uictimam fieri uoluit. Testatur & illud, uere se & horribiliter irasci peccato, cum non alia uictima, non alijs officijs placari uoluerit, nisi Filij morte. Itaq; ad castigandam securitatem in mentibus hominum, hæc ipsa historia efficacissima est. Cuius est enim tam ferreus animus, ut non moueatur, si uideat tam horrendas pœnas solui pro peccato, si cogitet deum adeo execrari peccatum, ut nulla uictima, nisi sanguine Filij reconciliari potuerit? Deinde innumerabiles utilitates alias adfert cogitatio huius historiæ. Quid magis mirantur ac fremunt omnium hominum intimi sensus, quàm qui fiat, ut hæc imbecillis natura hominum tantis calamitatibus onerata sit?

Nec

Nec Philosophia, nec ulla sapientia inuenire causam potest: Casu, & contra ordinem ratio hoc accidere iudicat. Sed in hac imagine Christi, intelligimus causam, ac uidemus non temere, non casu, genus humanum tantis ærumnis obnoxium esse. Et cum in hac historia contemplati fuerimus ingentem iram Dei aduersus peccatum, misericordiam Dei erga nos, quos Filij morte placatus liberat ab æternis malis, tum considerabimus causam calamitatum humanarum. Deinde multa uirtutum exempla hic proponuntur, quæ recitare longum est. Quare optimo consilio in Ecclesia institutum est, ut et statis temporibus integra historia publice legatur, & aliàs crebro repetatur. Id exemplum imitari pij omnes in domesticis exercitijs debent. Hic igitur edidit uir optimus Georgius Rhau harmonias, iudicio delectas, ut interdum cantus adhibeatur ad excitandos animos. His ut studiosi, præsertim in hoc argumento ad pietatem utilissimo adhibeatur, utantur, magnopere eos adhortor. Quæ enim Musica pijs & bonis mentibus iucundior esse potest, quàm quæ non modo aures demulcet, sed simul pectoris fibras tangit, & motus ciet diuinos in animis, ac mentes ad agnitionem Dei rapit? Hic præcipuus initio fuit Musicæ usus, ad hunc finem cum diuinitus tradita sit, est piæ mentis libenter eam hoc

modo transferre, ut cantuum harmoniæ respondeat illa uiua in animis harmonia & piorum adfectuum concinnitas. Bene uale Christiane Lector.

ALIA MARTINI LVTHERI.

Salutem in Christo. Vellem certe ex animo laudatum, & omnibus commendatum esse donum illud diuinum & excellentißimum Musicam. Sed ita obruor multitudine & magnitudine uirtutis & bonitatis eius, ut neque initium, neq; finem, neq; modum orationis inuenire queam, & cogar in summa copia laudum, ieiunus et inops esse laudator. Quis enim omnia complectatur? Atq; si uelis omnia complecti, nihil complexus uideare. Primum si rem ipsam spectes, inuenies Musicam esse ab initio mundi inditã seu concretam creaturis uniuersis, singulis & omnibus. Nihil enim est sine sono, seu numero sonoro, ita ut & aër ipse per sese inuisibilis & inpalpabilis, omnibus sensibus imperceptibilis, minimeq; omnium Musicus, sed plane mutus & nihil reputatus, tamen motus sit sonorus & audibilis, tunc etiam palpabilis, mirabilia in

hoc

hoc significante spiritu mysteria, de quibus hic non est locus dicendi. Sed mirabilior est Musica in animantibus, præsertim uolucribus, ut musicissimus ille Rex & diuinus Psaltes Dauid cum ingenti stupore et exultante spiritu, prædicit mirabilem illam uolucrum peritiam et certitudinem canendi, dicens Psalmo centesimo tertio: Super ea uolucres cœli habitant, de medio ramorum dant uoces. Verum ad humanam uocem, omnia sunt prope immusica, tanta est optimi Creatoris in hac re supereffusa & incomprehensibilis munificentia & sapientia.

Sudarunt Philosophi, ut intelligerent hoc mirabile artificium uocis humanæ, quomodo tam leui motu linguæ, leuiorij; adhuc motu gutturis, pulsus aër, funderet illam infinitam uarietatem & articulationem uocis & uerborum pro arbitrio animæ gubernantis, tam potenter et uehementer, ut per tanta interualla locorũ circulariter ab omnibus distincte non solum audiri, sed intelligi possit. Sed sudant tantum, nunquam inueniunt, & cum admiratione desinunt in stuporem, quin nulli adhuc reperti sunt, qui definire & statuere potuerunt, quid sit ille sibilus & alphabetum quoddam uocis humanæ, seu materia prima, nempe, risus (de fletu nihil dicam) mirantur, sed non complectuntur. Verum hæc speculabilia de infinita sapientia Dei, in hac una

creatura

creatura relinquamus melioribus & ocioſioribus, nos uix guſtum attingimus.

De uſu tantæ rei dicere hic oportuit: Sed & ille ipſe ſua infinita uarietate & utilitate, longe ſuperat omnium eloquentiſſimorum eloquentiſſimam eloquentiam. Hoc unum poſſumus nunc afferre, quod experientia teſtis eſt, Muſicam eſſe unam, quæ poſt uerbum Dei merito celebrari debeat, domina & gubernatrix affectuum humanorum (de beſtijs nunc tacendum eſt) quibus tamen ipſi homines, ceu à ſuis dominis, gubernantur, & ſæpius rapiuntur. Hac laude Muſicæ nulla maior poteſt à nobis concipi. Si uel enim uelis triſtes erigere, ſiue lætos terrere, deſperantes animare, ſuperbos frangere, amantes ſedare, odientes mitigare, & quis omnes illos numeret dominos cordis humani, ſcilicet affectus & impetus ſeu ſpiritus, impulſores omnium uel uirtutum uel uitiorum? Quid inuenias efficacius, quàm ipſam Muſicam? Honorat eam ipſe Spiritus ſanctus, ceu ſui proprij officij organum, dum in ſcripturis ſuis ſanctis teſtatur, dona ſua per eam Prophetis illabi, id eſt, omnium uirtutum affectus, ut in Eliſeo uidere eſt: Rurſum per eandem expelli Satanam, id eſt, omnium uitiorum impulſorem, ut in Saule Rege Iſrael monſtratur. Vnde non fruſtra patres & Prophetæ, uerbo Dei nihil uoluerunt eſſe coniunctius, quàm

Muſicam.

Musicam: Inde enim tot cantica & Psalmi, in quibus simul agunt & sermo & uox in animos auditoris, dum in cæteris animantibus & corporibus sola Musica sine sermone gesticulatur. Deniq; homini soli præ cæteris, sermo uoci copulatus donatus est, ut sciret se Deum laudare oportere uerbo & Musica, scilicet sonora prædicatione, & mixtis uerbis suauis melodia. Iam si comparationem feceris inter ipsos homines, uidebis quàm multiplex & uarius sit Creator gloriosus in donis Musicæ dispertitis, quantum differat homo ab homine in uoce & uerbo, ut alius alium mirabiliter excellat: negant enim posse duos homines inueniri similis per omnia uocis & loquelæ, etiam si sæpius imitari alij alios uideantur, uelut alij aliorum simiæ.

Vbi autem tandem accesserit studium, quo naturalem corrigat, excolat, & explicet, hic tandem gustare cum stupore licet (sed non comprehendere) absolutam & perfectam sapientiam Dei, in opere suo mirabili Musicæ, in quo genere hoc excellit, quod una & eadem uoce canitur suo tenore pergente, pluribus interim uocibus circumcirca mirabiliter ludentibus, exultantibus, & iucundissimis gestibus eandem ornantibus, & uelut iuxta eam diuinam quandam choream ducentibus, ut ijs, qui saltem modice afficiuntur, nihil mirabilius hoc seculo extare

tare uideatur: qui uero non afficiuntur, næ illi uere amusi & digni sunt, qui aliquem Merdipoëtam interim audiant, uel porcorum Musicam.

Sed res est maior, quàm ut hac breuitate utilitates eius describi queant. Tu iuuenis optime, commenda tam hanc nobilem, salutarem, & lætam creaturam tibi habeas, qua & tuis affectibus interim medearis contra turpes libidines & prauas societates: Deinde assuescas in hac creatura, Creatorem agnoscere & laudare, & deprauatos animos, qui hac pulcherrima & natura & arte abutuntur, ceu impudici Poëtæ, ad suos insanos amores, & summo studio cauendo & uitato, certus quod diabolus eos rapiat contra naturam, ut quæ hoc dono uult, & debet Deum solum laudare autorem: isti adulterini filij, rapina ex dono Dei facta, colunt eadem hostem Dei & aduersarium naturæ & artis huius iucundissimæ. Bene in Domino uale.

Oratio

ORATIO DE VITA DIVI AVgustini, mense Septembri habita à Ioanne Saxone Holsatiensi, cum iterum decerneret quibusdam honestis & eruditis iuuenibus Magisterij titulum, in Academia Vuitebergensi.

Ideo morem esse scholæ, ut mihi quidem uidetur, laude dignum, ut in his congressibus, aliàs de artium aut uirtutum dignitate dicatur, aliàs historiæ clarorum uirorum recitentur, quæ multa monent iuuentutem uel de studijs uel de moribus. Cum autem de artibus alij sæpe luculenter dixerint, quorum cum sit oratio subtilis et arguta, magis idonea est illis materijs, quàm mea: Rursus delegi historiam, non eo tantum, quod exempla prodesse iuuentuti statuo, sed etiam ob hanc causam, quod hoc genus narrationum mihi quidem texere facilius est, quàm illas argutas de artibus disputationes. Ac me nuper dies Augustino dicatus, cogitantem de ipsius ingenio, pietate, scriptis, admonuit, de ipso ut maxime dicendum putarem. Opinor omnes pios ubique terrarum huius uiri recordatione delectari. Sed in hac schola præcipue gratam eius mentionem esse decet, in qua Augustinus quasi renatus

si renatus est, & eius doctrina, quæ iacuit obruta densissimis tenebris, nõ solum restituta est, sed etiam lumen accepit: quæ cum sit necessaria Ecclesiæ, merito Augustinum amare debemus, qui cœlestem illum thesaurum præcipue conseruauit. Et nonnihil historiæ cognitio momenti adfert, ad intelligendas controuersias, quæ ab eo tractantur. Si in talibus spectaculis cum quadam approbatione auditæ sunt historiæ Platonis, & Aristotelis, quanto magis conuenit fauere adferentibus pia exempla gubernatorum Ecclesiæ? Quæ cum ostendunt qualia fuerint doctrinæ certamina, formant studiosorum iudicia, nosq; de Ecclesiæ periculis admonent, & discendi curam exuscitant. Ac præcipue Augustini contentiones exemplo esse posunt, quanta doctrinæ uarietate & copia, quanta uigilantia opus sit ijs, qui in hoc munere uno omnium in terris maximo & difficilimo uersantur, uidelicet in dijudicatione & gubernatione doctrinæ Ecclesiasticæ. Lucent in illis certaminibus exempla harum cõmunium artiũ, quæ iuuentuti proponuntur, quare non est intempestiuum, cum de nostris artibus dici solet, decerpere aliquid ex Ecclesiasticis materijs, præsertim cum omnia studia nostra præcipue debeant eò spectare, ut nos instruamus, ut Ecclesiæ usui esse posimus. Hic finis, hic scopus omnibus bonis mentibus propositus

tus esse debet. Quare spero uos non improbare hoc genus argumentorũ. Quanquam autem uideo prolixiorem esse Augustini historiam, quàm ut hic recitari tota possit, etiamsi uelim eam nudam, & sine ullis ornamentis proponere. Verum in hac materia quoquo modo elaborare pium esse duco: quod si uos quoq; sentitis, ut arbitror, peto mihi ueniam dari, quod orationis sonum ac splendorem non adhibeo, quem uarietas argumenti postulat. Non solum pulcherrimæ uirtutes boni Doctoris & gubernatoris Ecclesiæ hic monstrandæ erant, & oratione illustrandæ, sed etiam magno motu animi deplorandæ Ecclesiæ calamitas, quod diu iam pro Augustinis regnant Pontifices, Caligulæ, & Nerones, & extincta ueteri doctrina, ac luce Euangelij, horrendæ tenebræ Ecclesiam oppresserunt. Doctrina de fide & uera inuocatione Christi deleta est, idolatria manifesta recepta, & in scholas & conciones inuectæ sunt impiæ persuasiones plurimæ, & nugacissimæ rixæ. Hæ querelæ addendæ erant his narrationibus de Augustino, quæ cum propter temporis breuitatem omittendæ sint, initio orationis breuiter admonui adolescentes, ut cum audient historiam, ipsi conferant exemplum apud sese ad alia tempora. Audiio ante annos duos & uiginti habitam esse orationem de Augustino, à reuerendo D. Doctore Marti

no Luthero, instauratore purioris doctrinæ Euangelij, præceptore nostro summa pietate et obseruantia colendo, in qua historiam Augustini contulit ad Psalmum: Beatus uir qui non abijt in consilio impiorum &c. In quo Psalmo pius Doctor describitur, qui ueræ Ecclesiæ sententiam contra impios Doctores propugnat. Eam orationem non dubito complexam esse & Augustini laudes, & uniuersam Ecclesiæ causam, quæ si extaret, iure uituperari posset, si idem argumentum retexere ausus essem. Sed quia desideratur, spero uos mihi æquiores fore. Amo studia sacrarum literarum, & propter hæc Augustinum admiror. Quare de eo potißimum libuit dicere, cum dies ei dicatus me nuper, ut de eius uita & certaminibus cogitarem diligentius, admonuisset. Venio igitur ad historiam.

Natus est Augustinus honesto loco in municipio Africano, quod ipse Tagastam uocat: Opinor autem Thebestam à Ptolemæo uocari, non procul distantem à Madauro. Parentes fuerunt Patricius & Monica, & Christianæ religioni addicti, & si pater sero matris pietate ad Christi agnitionem pertractus est, uir alioqui grauis, honestus, & in primis liberalis in fouendis filij studijs, ut Augustinus ipse prædicat. Matris uero magna pietas, & excellens in omni matronæ officio uirtus fuit. Omitto hic,

hic, quæ de suæ puericiæ moribus recitat ipse, quæ sunt communia omnibus etiam bonis ingenijs, & si uoluit his exemplis imbecillitatem humani generis depingere: Sed humani generis corruptio habet alios maiores morbos, quàm ibi recensentur. Dicam igitur, ut cœpi, de ijs studijs.

Postquam domi percepit Grammaticen, missus est ad Rhetorices professores in oppidum Madaurum, quod à Thebesta distat miliaribus nostris opinor septem. Præcipua tunc in Scholis cura erat adsuefacere Adolescentes ad declamandum, & ad extemporalem facundiam. In eo genere cum aliquandiu exercitatus esset, & fœliciter promouisset, Carthaginem mittitur, quæ à Madauro abest circiter decem nostra miliaria. Ibi cum & eloquentiæ, & Philosophiæ operam daret, magnæ, opulentæ, & ociosæ urbis illecebris, ac licentia narrat, & suos mores corruptos esse, ac nominatim queritur sibi spectacula, & praua sodalicia nocuisse, quæ sunt cõmunes corruptelæ iuuentutis: Nondum enim Baptismo initiatus erat, & si Christianam religionem amplexus erat. Fuit enim uitiosa consuetudo ijs, qui liberius uiuere cupiebant, differre Baptismum usq; ad senectam, ut postea semel deleret Baptismus omnes priores lapsus. Quanquam autem nonnihil laxauit frenum cupiditatibus, tamen

mores erant placidi, & non pugnabant cum legibus ciuitatis, nec prorsus abductus est animus à studijs. Ibi cum in Ciceronis Hortensium incidit, cum à natura impetus ad uirtutem & decus, ardentes haberet, cõmotus Ciceronis scripto, reuocat ipse sese, & maiore sæueritate regere mores incipit, licentiam priorem cohercet, seq; ad continentiam, ac ad pietatis studium excusitat, & componit. Praua ingenia, præsertim si absit metus, non facile emendantur literis & doctrina: Quare cum illius Ciceroni ani scripti lectione potuerit in uiam reuocari Augustinus, satis apparet indolem bonam fuisse, nec defuisse ei illa uirtutum semina atq; initia, quæ uocat Aristoteles φυσικὰς ἀρετὰς. Etsi autem Ciceronis Hortensius non extat, tamen quod fuerit argumentum libri, Cicero alicubi cõmemorat: Defensores est Philosophiæ aduersus eos, qui, ut nunc sunt iudicia aulica, contendebant nihil opus esse illa subtili eruditione. Hic Cicero ostendit, quæ sit uera Philosophia, ac ad eam colendam bona ingenia hortatur, declarat quas utilitates ad uitam adferat, in hac esse legum & omnium honestorum officiorum fontes, hac uocari & inuitari homines ad agnitionem Dei, ac æterni metum numinis: Ex hac doctrina descriptionem anni certam sumptam esse, qua remota, quanta essent in uita tenebræ? Deniq; complecti Philo-

sophiam

sophiam multas artes uitæ utiles. Hanc fuisse summam illius scripti Ciceroniani, & ex alijs locis Ciceronis, & ex Lactantio apparet, qui inde sententias quasdam excerpsit. Harum iucundißimarũ disputationum lectione ita motus uidetur Augustinus, ut qui natura Musica sunt, etiamsi adhuc rudes sunt artis, & aliud agunt, tamen dulci cantu mirabiliter ad Musices amorem ac studium extimulantur. Non dum autem legerat sacras literas, nec, ut uidetur, conciones magnifecerat, nec de doctrina pia multum disputauerat cum pijs & eruditis, ut iudicare posset, quid præcipue profiteretur Euangelium, & quæ esset pura & incorrupta doctrina. Fatetur etiam sibi lectionem sacrarum literarum insuauem fuisse, propter genus sermonis, alienũ à Latina consuetudine: Habebant enim uersiones admodum ineruditas. Verum ut mihi uidetur, omnes qui à sacris literis abhorrent, nulla enim ætas non habet prophanos homines, offenduntur non tam genere sermonis quàm inscitia rerum. Non uident genus doctrinæ dißimile esse Philosophiæ, non intelligunt disputationum consilia & seriem. Hæc inscitia reddit insuauem lectionem, ut dici solet: Ignoti nulla cupido. Cum igitur ignarus doctrinæ Christianæ non posset iudicio eligere Doctores, fecit quod solet uulgus facere: Vt statuas, ita Doctores æstimant ex ueſtitu,

toruitate frontis, barba. Erat enim Aphrica plena Manichæorum, qui magnam uitæ puritatem simulabant. Abstinebant à carnibus, improbabant coniugia, damnabant imperia, & alios mores politicos ut ab ambitione longissime abesse uiderentur. Prædicabant se habere adflatus diuinos, & enthusiasmos. Hæ præstigiæ offusæ oculis hominum, mirificè capiunt animos: Suspicimus enim eos, qui cum Deo putantur habere cõmercia, ut Orpheum, aut Numam homines admirati sunt: Denique naturaliter homines ad superstitionem propensi sunt. Significat etiam Augustinus se admiratione ac studio prodigiosarum disputationum inuitatum esse, potissimum ut Manichæis se adiungeret. Nam ardentia ingenia facile capiuntur nouis & inuolutis disputationibus. Talium plena erat secta Manichæa, quæ erat quædam confusio ex Stoicis deliramentis, et ex ueteribus hæresibus ac superstitionibus conflata. A Stoicis sumebant duos Deos, Lucem, & Hylen: defendebant fatum Stoicum, ineptias de astris contra artem de motibus cœlestibus docebant, prorsus tollebant libertatem humanæ uoluntatis. Reliqua ex hæresibus erant addita. Nec de Christo, nec de Spiritu sancto recte sentiebant, sceleratè fingebant, autorem suæ sectæ Manichæum, fuisse illũ ipsum Paracletum, quem Christus promisit: iactitabant se suis ritibus

ritibus consequi enthusiasmos. Hæc pestis late uagata est, præsertim in Aphrica. Tanta est Diaboli potentia, ut omnibus ætatibus horribiliter dilaceret Ecclesiam. Cum igitur Augustinus errore ætatis, tanquã uentis in has Syrtes Manichæorum delatus esset, paulatim, ut erat amans ueritatis, attentius considerare dogmata cœpit. Deprehendit igitur uanitatem sectæ in materijs Philosophicis, ut ipse inquit, quia Manichæi sine Arithmetica tradebãt motus & congressus syderum cõmenticios et fabulosos, ac pugnantes cũ uera computatione. Quare cum annos nouem in ea secta uersatus esset, et exercuisset doctores, ac nominatim Faustum, errores refutans, nõ ille quidem tunc eluctatus est, sed tamen probare & amare sectam desijt. Mater interea assiduis lachrymis à Deo petebat filij emendationem. Et ostendit Deus se pios gemitus & uera uota exaudire. Diuinitus enim accidit, ut Augustinus cum Romam traiecisset, mitteretur à Præfecto Romano Mediolanum ut exerceret ibi adolescentes in dicendo. Quanquã autem animo iam erat alieniore à Manichæis, tamẽ portum tenere nullum adhuc poterat. Et ex dubitatione illa, ut fit, in Academicas opiniones incidit, diu nihil affirmans de religione. Quàm multi nunc quoq;, cum se euoluere ex disputationibus non possunt, prorsus fiunt ἄθεοι? Sed diuinitus ex hoc

naufragio Augustinus ereptus est, quod & matris lachrimæ pro eo interpellabant, & ipse, quanquam in dubitatione uersabatur, audire tamen bonos Doctores, ac legere sacras literas non destitit. Narrat se tunc in Plotini libros incidisse, in quibus fuerint quædam de natura Dei, & de uerbo æterno, quæ imitati sunt Philosophi, & astute transtulerunt ad sese, ut Christianæ doctrinæ autoritas extenuaretur. Sed tamen Augustinus ait se deprehensa fraude, eos libros abiecisse. Mirum certamen in hac historia conspicitur animi inquieti, omnia exquirentis & explorantis, ut ueritatem inueniat. Multa monet hoc exemplum, uidelicet, doctrina & meditatione opus esse, & ad agnoscendam, & ad retinendam ueritatem. Audiens igitur Ambrosium attente ac diu, cum unà esset etiam mater, tandem Manichæam sectam aperte relinquit, & sententiam Euangelij amplectitur. Cogitat etiam de ducenda uxore, ablegata concubina. Aliquanto post relicta artis professione, totum se dedit sacrarum literarum studijs, & ueris lachrymis deplorat priores suas tenebras. Tam diu mater unà manet, donec Baptismo initiari filium uidit. Postea cum redire in patriam cuperet, nõ uoluit ipse ab ea diuelli. Cumq; mater in itinere mortua esset, multa prius cum filio de immortalitate, de doctrina Christiana, de Ecclesiæ æru-

siæ ærumnis collocuta, ipse susceptum iter non omisit, rediensq; in Africam cum suis sodalibus, in patria aliquandiu tanquam in secessu uixit. Inde propter doctrinæ famam euocatus est ab Episcopo Hipponensi Valerio, ad munus presbyterij: in qua functione cum scholæ eius Ecclesiæ præesset, dicitur sodalitio illam regulam morum & exercitiorum præscripsisse, quæ extat. Nec aliud tunc fuit illud Collegium, nisi cœtus scholasticus, ex quo liberum erat discedere omnibus, qui aliud uitæ genus appetebant. Etsi autem soli Episcopi concionabantur cum aderant, tamen Valerius iussit Augustinum, se præsente, concionari: quod quanquam grauatim faciebat Augustinus, ne Episcopi existimationem minueret, tamen postquam uidit serio hoc petere Episcopum, obtemperat. Ibi cum Manichæos & Donatistas ita refutasset, ut plerique redirent ad sanitatem, reliqui uero oppido excederent, constituta tranquillitate eius Ecclesiæ. Valerius se uiuo curat hunc eligi Episcopum, ut prospiceret huius Ecclesiæ incolumitati etiam in posterum. Id munus administrauit circiter quadraginta annos, quo tempore uaria ei cum multis hæreticis certamina fuerunt. Magnam multitudinem ex Ethnicis etiam ad Euangelium pertraxit, quos facilius flexit, cum uiderent eius doctrinam diuinitus comprobari miraculis. Deleuit reliquias

Arrianorum in tota uicinia, publice reuincens Fe-
licem Arrianum coram Magistratu. Profligauit &
Manichæos: Sed omnium durissimum certamen ei
fuit cum Donatistis, qui non tantum concionibus
& scriptis turbabant Ecclesias, sed manifesta ui
grassabantur. Erat factio Circumcellionum, qui
per illam oram Africæ passim seditiose uagaban-
tur, & à se dissentientes alios interficiebant, aut ma
le mulctabant. Hi tumultus edictis & sæueritate
Imperatorum, uix tandem sedati sunt. Maxime au-
tem Augustino infesti erant Donatistæ, & quia ab
ipso acerrime refutabantur, & quia eius diligentia
perfectum erat, ut Imperator sæuitiam eorum co-
herceret, & facultates quas Ecclesiæ ipsorum tene-
bant, transferrentur ad pias Ecclesias, ne impij Do-
ctores & eorum satellites, qui in prouincia grassa-
bantur, illis fruerentur. Cum autem sæpe cum illis
congressus sit Augustinus, disputando in publicis
Synodis, & coram Magistratibus, cum sæpe insidijs
uita eius petita sit, hæc negocia & pericula duriter
eum exercuerunt. Quare non existimemus fuisse o-
ciosum Episcopum, aut tantum ceremonijs suis oc-
cupatum. Longe aliter de eo uiro sentiendu est, qui
tunc ferè solus in excubijs fuit pro Ecclesia Christi,
qui puritatem doctrinæ contra tot impias factio-
nes, quæ multitudine & potentia instructæ erant, et

cum

cum pijs assiduum & ἀπονόητον bellum gerebant, defendit, qui consilia ducum & Imperatorum in multis rebus, quæ ad publicam pacem pertinebant, gubernauit. Extant enim multæ eius ad præsides epistolæ grauiter scriptæ: Cuius iudicium & Italicos Episcopos reueritos esse uidemus. Vt igitur Homerus boni Principis officia cõplexus est hoc uersiculo

Ἀμφότερον βασιλεύς τε ἀγαθὸς κρατερός τε αἰχμητής.

Sic de bono Episcopo dici potest: Ἀμφότερον σωφρονιστὴς κοσμήτωρ ἠδ' ἀγορητής. Vtraq; arte opus est ei uiro, qui præest Ecclesiæ, ut sit ad docendum idoneus, ac prudens in iudicandis negocijs, in cauendis insidijs aduersariorum, in tuenda tranquillitate Ecclesiæ. Hæc cum præstiterit Augustinus, fateri necesse est, bene meritum esse de Ecclesia Christi: Lucent enim eius fides, constantia, prudentia, uigilantia, in illis turbulentis negocijs omnibus, eius temporis.

Sed incidit tunc quædam causa, in qua maxime eminet eius eruditio spiritualis, & ad quam reliqua certamina uidentur quasi quædam rudimenta fuisse. In hac peculiare beneficiũ Dei conspicitur, quod per Augustinum Deus Ecclesiæ præstitit. Fuit quispiam Pelagius Philosophiæ, ut arbitror, studiosus, qui dum accommodare Christianam doctrinam

ad

ad Philosophiam conatur, astute corrupit piam doctrinam. Docuit legem Dei posse impleri: gratiam Euangelij, tantum esse legis cognitionem: naturam hominis integram esse ac sine peccato: homines iustos & beatos esse legis impletione, & hac mereri remissionem peccatorum. Hæc, quia uidebatur Euangelium pulchre congruere cum Philosophia & iudicio rationis, magno cum plausu excipiebantur in Italia, Gallia, & Africa. Posidonius narrat, Innocentium Romanum Episcopum initio etiam non iniquum fuisse Pelagio. Sunt enim ex eo genere, quæ uocat Paulus πιθανὰ, quæ blandiuntur rationi. Sed unus Augustinus non solum uidit quid esset mali, sed etiam magno studio refutare errorem cœpit. Coëgit Synodos, edidit plurima scripta, in quibus penè sepultam doctrinam de gratia Christi renouauit, ac restituit illam peculiarem Ecclesiæ sapientiam, de iustitia fidei, ignotam mundo. De peccato originis clarius scripsit, quàm ante ipsum scriptores omnes. Origenes inuexerat pernicioſas interpretationes in Ecclesiam de lege: Ex lege non iustificabitur omnis caro, id est ex ceremonijs. Item litera id est, historica interpretatio, occidit: Spiritus, id est, allegoria de moribus uiuificat. Hos lapsus Origenis tunc quoq; magnum periculum erat reprehendere: Erant enim hæ interpretationes paſsim receptæ, &

ptæ, & mordicus tenebantur. Quare plane Prophetici spiritus fuit, unum uirum et uidere hos errores, & Paulo reddere genuinam sententiam, & audere à iudicijs superiorum dissentire: Sicut plurimi ei obiecerunt, cur unus auderet refragari superiorum sententijs, magno consensu confirmatis.

Ornatus est Augustinus miraculis quibusdam, expulit Dæmones, & quosdam ægrotos sanauit. Sed hæc sunt longe præstantiora miracula, successus in gubernatione, & hæc iudicij rectitudo, & fidei constantia, quod uidit Pauli sententiam de lege, de peccato, de iustitia fidei, et magno animi robore contra receptas persuasiones defendit. Tanta fuerat caligo, ut nec sermonis genus in sacris literis intelligeretur. Hæc ipsa uocabula, quæ sunt præcipua in Ecclesia, quas res proprie significarent, ignorabatur, Lex, Euangelium, peccatum, gratia, fides, litera, spiritus. Hæ tantæ tenebræ depulsæ sunt Augustini opera, qui quidem illas tantas res perspicere & iudicare non potuisset, nisi exercitia peculiaria spiritus degustasset. Cum autem maxime opus sit Ecclesiæ, uera illorum locorum explicatione, decet nos omnes agnoscere Dei beneficium, cuius donum erat, doctrinæ renouatio. Debetur & ipsi Augustino gratia, qui literis mandauit ueram interpretationem, ut posteritatem admoneret. Dixi de præcipuo

cipuo Augustini merito, sed breuius quàm magnitudo rei postulabat. Quod autem in tam difficilibus disputationibus interdum improprie aut incommode loquitur, uenia ei danda est: Temporum ista errant. Nam ætas illa magis ad declamatoriam rationem dicendi, quàm ad accuratas disputationes assuefacta erat, Et difficile erat ex tãtis tenebris materias illas euoluere. Rebus uero haud dubie prorsus congruit, cum sententia, quæ Dei beneficio rursus illuxit in hac schola, et quidem ipso monstrante. Omitto quàm multa prudenter & dextre responderit de uarijs negocijs: Reprehendit superstitiosas opiniones de traditionibus humanis, monet non esse cultus Dei, & sine peccato omitti posse. Apparet tunc quoq; dubitasse multos, quid de militia & ciuilibus officijs sentiendum esset: Interrogatus igitur Augustinus recte & dextre respondit.

Hactenus tantum ut Doctorem laudaui, etsi hæc quidem præcipua Episcopi laus est, Non de cæteris uirtutibus dixi, quæ in gubernatione necessariæ sunt, nondum de priuatis moribus: De utrisq; breuissime dicam. In gubernatione præcipua laus est iustitiæ, quæ uel sæueritate utitur cum causa postulat, uel lenitate, cum hæc est utilior. Etsi autẽ nihil fuit in Augustini natura tyrannicum, tamen ita lenis fuit, ut non nimis esset indulgens aut lentus, ut satis decla-

declarauit in multis causis. Calamensibus qui seditiose impetum fecerant in Ecclesiam, non remittit omnino pœnam, etiamsi pro eis deprecabatur Nectarius. Et quidem inquit loquens de Ethnicis, se nolle ab ijs rogari, à quibus Christus non rogetur. Bonifacium Comitem sæuere obiurgat, quod duxit Ethnicam coniugem. Rursus multa leniter fecit. Non uult interfici militem, qui templum uiolauerat, sed iubet eum admoneri & ad pœnitentiam inuitari. Quidam donauerat certum fundum Ecclesiæ, post annum mutata uoluntate, repetit tabulas: Augustinus ne cum homine perfidioso litigaret, tabulas reddit. Fuit & priuata uita plena optimorum exemplorum, pudicitiæ & temperantiæ. Odit maledicos, ut eius uersiculi testantur. Fuisse amantem ueritatis, indicant libri retractationum, quod suos errores ingenue fatetur & recantat. Egressus septuagesimum annum ætatis suæ, mortuus est, cum præfuisset Ecclesiæ annos quadraginta fœliciter. Accessit illa calamitas in ultima senecta: Vidit à Vandalis uastari Africam, qui cum passim omnia populati essent, cinxerunt obsidione urbem Hipponensem, in qua erat Augustinus, qui tunc luculentum illud opus scribebat, cui titulum fecit, contra Iulianũ. Rogauit autem Deũ, ut uel depelleret hostes, uel se ex his miserijs euocaret ad immortalitatem,

quia

quia non posset esse spectator expugnationis. Decessit igitur Augustinus Anno Domini quadringentesimo tertio durante obsidione, ante captam urbem: Nec excusit ei fidem illa calamitas publica. Cum enim consuluisset eum uicinus Episcopus de fuga, an quærendæ essent latebræ, iussit eum Augustinus non deserere Ecclesiam: Etsi enim ruebat imperium, tamen Deo Ecclesiam curæ futurã esse. Atq; ita accidit. Nam preces Augustini & aliorum piorum non erant irritæ. Quanquam enim urbs Hipponensis capta est, tamen paulo post, hoc bellum sedatum est, cum Vandalis datæ essent sedes in Africa, ac durarunt ibi Ecclesiæ annos ferè ducẽtos post Augustinum. Alij solent addere comparationes in epilogis laudationum, quorum consilium non admodum probo, nisi docendi causa fiat collatio. Prodest considerari, quid cuiusq; scripta nobis conducant. Augustini lectio prodest in illis materijs, quas tractauit, nec uero quisquam tractauit plures materias. Scripsit diligenter de Trinitate, refutauit Manichæos, & Arrianos. Docet nos de gratia, & de iustitia fidei in refutatione Pelagij. Docet de Ecclesia in refutatione Donatistarum. Tantum de dogmatibus, & tam utilia, nec Hieronymus, nec quisquam alius scripsit: Cæterum alij sancti uiri alijs uirtutibus excelluerunt. Sed tamen anteferendi sunt illi

illi, qui in administratione, in periculis, in acie uersati sunt, cum cæteri essent ociosi. Recitaui historiã Augustini propter Adolescentes: Quod enim exemplum magis hortarinos ad discendi curam potest, quam hæc ipsa historia? Videmus qui fluctus excipiant eos, qui Ecclesijs præfuturi sunt, nec posse gubernatores tantam molem sustinere, sine magna doctrinæ copia & uarietate. Tot ac tam uarias controuersias tractauit Augustinus, quibus nullo modo par esse potuisset, nisi & multiplici eruditione instructus fuisset, & assiduum studium adhibuisset, ut promoueret. Docet pia pectora Spiritus sanctus, sed dona Dei discendo excitanda & cumulanda sunt, sicut Paulus hortatur Timotheum, ut sit assiduus in lectione, & addit: Non negligas donum Dei. Ignauis dona Dei effluunt, sicut ostendit parabola de talento. Tempora etiam nos moueant, ut in omnes bonas disciplinas, quæ sunt Ecclesiæ necessariæ, maiore impetu incumbamus: Videtis enim non posse sine acerrimis dimicationibus puritatem doctrinæ retineri, conantur eam aduersarij multiplici Sophistica obruere. Nec desinit diabolus subinde falsas opiniones serere, ut offundat incautis aliquid erroris, ut fecit in Paradiso. Quare subinde exoriuntur nouæ discordiæ, ac planè fit, ut in ueteri Comœdia dicitur:

ἄτερος πρὸς ἄτερον ἀλείφεται χεῖρε τε ὑπονίεται.

Est igitur opus Ecclesiæ bonis & doctis uiris, quorum uoce & scriptis propugnari gloria Dei possit. Ad hæc certamina uos præparate, nec uos iudicia indoctorum deterreant, Midæ, Centauri, & uulgus partim contemnunt, partim oderunt literas. Verũ eò maiore diligentia ab omnibus pijs et amantibus Ecclesiam, tuendæ & ornandæ sunt. Quare intueamur in exempla piorum, Pauli, Augustini, Ambrosij, & aliorum, qui cum fuerint studiosissimi, excitemus nos quoq; ad discendi curam, quam quidem præcipit Spiritus sanctus, inquiens: Verbum Dei inter uos abundet.

DIXI.

Oratio

ORATIO DE DIVO AMBROsio, Habita à Magistro Marcello.

M. D. XLI.

Voties hos publicos Scholasticorum congressus intueor, subit animum cogitatio, cum de alijs uitæ partibus, tum uero maxime de Ecclesia, cui studia nostra præcipue seruiunt. Cumq; mecum tacitus repeto, quantis inde usq; ab initio motibus quassata sit, propter doctrinæ corruptelas, ac pericula, quæ impendent posteritati prospicio, cohorresco toto corpore, ac uota facio, ut filius Dei conseruet ad posteros Ecclesiam, & hæc studia tueatur & gubernet.

Nunc ad reliquas solicitudines, post cladem in uicina Pannonia acceptam, & trucidatum à Turcis exercitum, etiam hic metus accedit, ut uerear longius grassaturam rabiem Turcicam, & aliquando, quod Deus prohibeat, deletis his gentibus & funditus eversis ciuitatibus, atq; Ecclesijs Germanicis, nullam posteritatem fore.

Audio bellicosissimum Ducem Regem Pannoniæ Matthiam, cum Legati ad conuentus Germanicos missi, renunciarent nulla à Germanis expectanda esse

da esse auxilia, frementem & longe prospicientem futuras clades, uel diuinantem potius, dixisse. Dolere se uicem Christianarum gentium, quæ in Europa reliquæ sunt, se uiuo Pannoniam fore murum, qui crudelissimam gentem Turcicam ab illis arceat. Postea Germaniam tum ingratitudinis, tum ignauiæ pœnas daturam esse. Etsi autem hæc oratio huic loco & huic pompæ minus conuenire uidetur: Tamen in hoc communi luctu, qua de re potius dicendum est?

Non possum non deplorare fortissimi exercitus interitum, non possum non angi de nobis ipsis, de familijs nostris, de posteritate, de Ecclesia. Et seuissimam tempestatem impendentem nos omnes prospicere conuenit, tum ut iram Dei placare serio, & toto pectore studeamus, tum uero etiam, ut nostra uoce, si quos possumus, ad comparanda præsidia hortemur.

Antea uirtute Huniadæ patris, & Matthiæ filij, & sanguine bellicosissimæ gentis Hungaricæ defensi sumus. Postea cum uicissim à Germanis auxilia, & defensionem debitam Hungaria peteret, nec ueterum beneficiorum memoria, nostros, nec ciuicinitatis, nec nostrum periculum excitauit. Sedimus ociosi uelut in theatro spectantes ueterem Troiam, cum ex propinquo uideremus expugnari arces,

arces, quæ nos texerunt, trucidari Regem deuinctum Germaniæ multis honestis uinculis, deniq; totam ardere & conflagrare uiciniam. Ac nunc cum pergit hostis immanissimus & recentibus ferociens uictorijs, quid agimus?

Sed ne usitato more, alijs concionemur, ad nostra uicia conniueamus. Nos ipsi primos excitemus ad placandum Deum, oremus ne Ecclesias, ne uerã Christi noticiam, ne doctrinam uitæ salutarem deleri sinat. Emendemus etiam mores nostros, & in hac literaria militia simus strennui.

Deinde, si qui possunt, Duces hortentur ut suum officium faciant, nec desint patriæ, ac uoluntatibus tot bonorum ciuium, qui fortunas & corpora ad societatem belli necessarij et glorioſi pro communi salute offerunt, & dimicari cupiunt. Est enim opus ductoribus ut constat, quia multorum coniunctis uiribus res agenda est. μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀνδρὸς μάχη, ut ille in Tragœdia dicit.

Quo irrumpunt Turci, non dimicant de gloria, ut Cyrus, Pyrrhus, nec de imperio, ut Alexander, cuius legibus prouinciæ fiebant cultiores & humaniores, ne quidem ut iracundiæ morem gerant, quæ in Heroicis naturis accensa interdum ingentia bella ciet, ut Hannibal iratus bellum Italiæ intulit. Non humano impetu, sed furialibus stimulis aguntur

Turci ad delendum nomen Christi, ad faciendam ui-
stitatem orbis terrarũ. Estq; in adpellatione omen,
Nam Turca uastatorem significat, hæc enim tyran-
nis Turcica postremus Diaboli furor est, quo acer-
rime exerit odium suum aduersus nomen Christi,
& aduersus humanum genus.

Itaq; nec ut cæteri bellatores, parcunt impuberi-
bus puellis, mulieribus ac senibus. Sed abijciuntur
dissecti infantes, trucidantur senes, puellæ & mu-
lieres adfectæ contumelia iugulantur. Capta Con-
stantinopoli regiæ uirgines à militibus per ludibri-
um stupratæ, postea interfectæ sunt. Tam seuum ho-
stem, si negligendum putant nostri Duces, quid ali-
ud cogitandum est, nisi fatalem esse amentiam.

Sed quia non dubium est, Deum reliquias ali-
quas Ecclesiæ seruaturum esse, hac spe cœleste auxi-
lium imploremus, & patriæ opem feramus suo
quisq; loco. Hac spe & Augustinus, iam agens ani-
mam se sustentabat, cum impius hostis obsidione cin-
xisset Hipponem.

Hæc in his congressibus, qui nos de Ecclesia, &
de tota Repub. admonent cogitanda sunt. Non e-
nim ad ludos tantum conuenimus, sed si recte iudi-
camus, hi congressus ad illam uocem Christi referen-
di sunt, in qua dicit: Vbi duo aut tres conueniunt in
nomine meo, in medio eorum sum. Et hanc ob cau-
sam

sam habentur orationes, ut admoniti de maximi rebus in omni officio diligentiores simus.

Porrò cum iam de argumento deliberarem, ne tamen abduci animus quasi à conspectu Pannoniæ posset, in qua uideor mihi assidue intueri passim strata fortissimorum uirorum corpora, simulq; recordarer tempora magnorum uirorum, qui similes uiderunt regnorum casus, ut, Ieremiæ, Ioannis Apostoli, Augustini: Venit etiam in mentem Acholij, quem narrat Ambrosius pijs precibus deleuisse Gothicos exercitus in Macedonia. Eam historiam dum cogito, institui orationem de ipso Ambrosio, cuius & uitæ cursum & studia & res gestas nosse adolescentibus utile est, & ut mihi uidetur his temporibus non alienum.

Natus est Ambrosius, patre senatore Romano et præside partis Galliarum, tempore, ut ratiocinor, Constantij Imperatoris. Narrantur miracula, quæ in ipsius infantia futurã claritatem significarunt. Etsi sæpe magnæ res nouis et inusitatis euẽtibus portenduntur, ut Eliam scribunt infantẽ ac lambentem matris ubera conspectũ esse non lac, sed flammas ab uberibus rapere. Quare illa acerrimi spiritus in eo flamma, quæ reges et pontifices sine metu corripuit significata est, tamẽ in præsentia properans ad grauiorẽ historiæ partem, cunas Ambrosij relinquam.

Florebant adhuc mediocriter Romæ studia literarum, & nobilis iuuentus præcipue in Eloquentia Latina & Græca exercebatur, ut ad forum, & curiam ac Imperij gubernationem præpararetur. In primis autem nobiles Christiani tunc ut prouehe-rent liberos ad Reipublicæ administrationem, ne ab Ethnicis Magistratibus Ecclesiæ opprimerentur, curabant suos optimis artibus institui, ut Ethnicos non solum grauitate morum & iusticia, sed etiam doctrina & industria uincerent. Vt præcepit Paulus, cum ad Titum inquit, Cap. iij. Discant & nostri honestis officijs præesse ad necessarios usus, ne sint inutiles: Vult enim Christianos non defugere communis uitæ gubernationem, ut Epicurei incertia, monachi superstitione faciebant: Sed suscipere partem communium ærumnarum, ut in his negocijs inclarescat uera Dei noticia, & uirtus nostrorum, in arduo posita loco, conspici possit, & ut nostri exercitia fidei & dilectionis habeant, ac discant diuinitus circumdari autoritatem pijs, & regi eventus: Sicut Ioseph, Daniel, Esdras, Nehemias, in magnis imperijs diuinitus euecti, res maximas sapienter & fœliciter gubernarunt.

Ac fuisse eximiam Christianorũ in gubernatione moderationem, inde adparet, quod cum Ambrosius in Liguriam mitteretur, abeunti Probus præ-

fectus

fectus prætorio dixit, Vade ac age, non ut iudex, sed ut Episcopus. Quæ uox significat cum Episcoporum, tum uero cæterorum Christianorum Magistratuum administrationem fuisse æquiorem. Cũ igitur præstantißimi quiq; suos liberos propter eã causam quam recensui, doctrina excoli uoluerunt, consentaneum est patrem Ambrosij non defuisse filijs, præsertim ingenioſis.

Fratres duo fuerunt Ambrosius & Satyrus, quorũ alter Satyrus in foro magna cum laude consenuit, maior natu Ambrosius, cito è foro ad gubernationem Liguriæ traductus est. Satyri eloquentiam & in causis prudentiam, & dexteritatem prædicat frater.

Sed Ambrosij eruditio comparet in scriptis ipsius, in quibus etsi formam orationis forensem in Ecclesiasticis materijs, ut ipse narrat, mutauit, tamen multa sunt oratoria ornamenta, præsertim in Epistolis. Nec rudem Philosophiæ fuisse testatur commentarius de Creatione, in quo & Physica multa sunt & anatomica, non à uulgo sumpta, sed ex uera doctrina, cuius rei multa sunt indicia. Erudite enim discernit uenas, arterias, & neruos, ac origenes diuersas tradit ex Galeni doctrina, Neruos ex cerebro extruit, Arterias educit ex corde, uenas ex epate. Etsi autem in eo libro magna ex parte Basilij

commentariũ latina paraphrasi reddidit, cum quo ei amicitia fuit, tamen multa addidit, sumpta ex græcis qui de rerum natura scripserunt, cum enim linguam græcam calluerit, facile fuit homini studioso etiam magnam Philosophiæ partem & Historiarum cognoscere.

Præclare igitur adolescentia acta est in literis, in exercitijs eloquentiæ, in discenda Philosophia, & doctrina Christiana. Ad hæc ornamenta accessit honesta disciplina, digna nomine Christiano, quæ fuit morum custos.

Quare cum ingenio, doctrina, morum grauitate excelleret, missus est iuuenis adhuc, ex urbe Roma ad regendam Liguriam, hoc est bonam partem regionis, quam nunc uocamus Longobardiam, tempore Valentiniani, qui cum fratre Valente Imperium Romanum tenuit. In hoc munere hoc illustre argumentum est iustitiæ ipsius, quod pariter & Imperatori & populo probatus fuit. Nam cum posset Episcopi functio ei mandata esset, Valẽtinianus rei pub. gratulatus est eam electionem, & gauisus tam esse pietatem in præside & custode corporum, ut Deus censuerit animas ei commendandas esse. Idem testatus est libertatem eius in decretis aulicis & Magistratuum inferiorum actis reprehendendis se comperisse & probare. Populus uero sic eum dilexit,

xit, ut cũ fuisset antea de electione magna certamina hunc cõmuni consensu ad Episcopi munus uocarit.

Peruaserant in Italiam contagia labis Arianæ, & Auxentius Mediolani Episcopus, cum faueret Arianis sparserat eorum uenenum in populum. Hinc orta discordia durauit post mortem Auxentij. Flagitabant igitur pij Episcopum recte sentientem, cæteri uero infecti Arij ueneno quærebant sui erroris propugnatorem. Durauit certamen per aliquot dies: Nam præses Ambrosius initio se non admiscuit, ne suffragationem populi præter morem impedire uideretur. Tandem cum incensis animis, seditiones et cædes impenderent, uenit in templum, & hortatur utranq; partem ad tranquillitatem, commemorat diuinitus dari bonos pastores, ut Paulus scribit, & Deum rogandum esse, ut suffragationem regat, & mentes flectat ad eligendum idoneum Episcopum, ac omissa ambitione, & depositis iniustis cupiditatibus, quærendum esse uirum bonum, cui recte commendari functio posit.

Tanta erat in oratione Præsidis pietas, mox ut conclamarit utraq; pars, huius uiri orationem & pietatem conuenire Episcopo. Ita Ambrosius, qui cum fascibus erat in Prouincia, & præter suam opinionem & præter morem consentientibus omnium suffragijs eligitur Episcopus. Reclamat ipse, secq;

seq; excusat, quod nondum Baptismo initiatus sit; quod gerat Magistratum ciuilem, quod in ea doctrina quæ in Episcopo requiritur, non satis uersatus sit: Sed uincitur populi consensu & Imperatoris adprobatione.

Multa studiosos hæc electio monere potest. Primum uidemus bonos pastores non humanis consilijs inueniri, Sed singulari Dei ope Ecclesijs præfici, ut ad Ephesios scriptum est: Ascendisse Christum in cœlos, ut det dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, ut subinde propter noua certamina Deus excellentes ministros excitauit, uidelicet Eliam, Eliseum, Esaiam, & alios. Postea Apostolos, deinde Athanasium, Ambrosium, Augustinum, & similes quosdam.

Est & hoc admiratione dignum, talem uirum qui unus ibi turbulento tempore idoneus gubernator futurus erat, non ex collegio Sacerdotum, Sed ex forensi turba ad tantum munus accersitum esse. Sed ut in castris & in acie locus est pietati, ac in illa rerum magnitudine præcipuè lucet fides, ut in Dauide & similibus: Ita in togata gubernatione ac in foro multos esse pios, non dubitandum est, ac præcipuè tunc erant, cum disciplina Christianorum seuerior esset. Fratrem Satyrũ cui tota uita in foro acta est, ita prædicat Ambrosius, ut sibi etiam anteferat.

Et

Et cum omnis gubernatio plurimum habeat periculorum, multæ se in curia pijs occasiones exercendæ fidei offerunt. Deinde Forensis disputatio uiro bono eximia quædam Philosophia est. Hic discit legum causas, quibus animaduersis, leges, imperia, iustitiam, uidet res diuinas esse & magis ueneratur. Acuit etiam ingenia subtilitas disputationum, & uarietas prudentiam adfert. Quid quod ibi introspiciuntur hominum mores & naturæ, quarum cognitio gubernatori, ad cauendas malorum insidias, & ad flectendos moderatos magnopere conducit. Non potest igitur negari futuro gubernatori forum, palestram esse utilissimam, præsertim si accedat Euangelij cognitio. Nec fuerit inutile tales uiros, qui coniunctam habẽt pietatem & eruditionem Christianã cũ ciuili prudẽtia ad regendas Ecclesias prouehere.

Extat autem Epistola Basilij, scripta ad Ambrosium recens uocatum ad Episcopi functionem, ex qua intelligi potest, tunc quoq; in Asia Ambrosij nomen propter eximiam uirtutem clarum fuisse. Sic enim ait Basilius: Magnũ Dei munus esse, quod uirum natum in urbe domina Imperij, qui magistratum gesit, excellentem consilio, generis et uitæ splendore, eloquentia & clarum rebus gestis traxerit ad pascendum gregem Christi. Hæc sunt uerba Basilij ex græco sermone expressa.

Cum

Cum autem Episcopum nomino in hac historia, uetera Ecclesiæ tempora uelim uos animo intueri. Non erat ocium, ut nunc, Episcopi munus, aut quædam tantum ceremoniarum tractatio, militia erat omnium difficilima: Nec tantum acerrime dimicationes cum aduersarijs, sed etiam sæpe potentũ odia, & omnis generis pericula suscipienda erant.

Ac Ambrosij administratio præcipue incidit in difficilima tempora, uidit florentes Imperatores quinq;, et quidem bonos principes, Valentinianum maiorem, Gratianum, Valentinianum minorem Theodosium, & Honorium. His omnibus cum penè familiaris esset, tamen aula satis duriter interdum eum exercuit. Sed tamen hæc amicitia Ambrosij cum his principibus Ecclesiæ utilis erat. Adiutus ab his facilius repreßit hostes Christi. Ethnicos, Iudæos & Hæreticos. Nam cum his omnibus belligeratus est.

Sed ut sunt humana omnia fragilia, hæ principum amicitiæ magnas curas, magnos luctus uiro attulerunt, ut merito interdum exclamare potuerit: Seuum præluſtri fulmen ab arce uenit. Nam & aulæ habuerunt suas pestes, ut ita dicam, et cum ethnici, extincta familia Constantini, rursus spẽ concepissent Imperij ad se retrahendi ac opprimendi nomen Christianum, grauißimæ seditiones aduersus ado-

adolescentes duos Valentiniani filios, Gratianum & Valentinianum motæ sunt. Ita tunc quoq; propter ueram religionem magna pericula ipsis principibus subeunda fuerunt.

Lætissima fuerunt auspicia principatus Gratiani, nam uirtutes in eo, ut ita dicam domesticæ erant eximiæ, iustitia, continentia, eruditio, eloquentia, & ueræ religionis amor, de qua Ambrosium doctorem studiose audiebat. Et extant uolumina accurate scripta de filio Dei & de Spiritu sancto, quæ flagitauit ab Ambrosio Gratianus, qui quidem recte confirmatus Arianos ab occidente arceri iussit. Ad hæc decora accessit fœlix tyrocinium, quod iuuenem autoritate augebat. Apud Argentinam magno prelio Alemanos profligauit. Vtili etiam & salutari consilio collegam sibi adiunxit Theodosium propter uirtutis præstantiam, qui & ipse Gotthos per id tempus à Thracia depulit.

Hanc crescentem Christianorum principum gloriam cum ægre ferrent ethnici, Maximum Gratiani Ducem impulerunt, ut iuuenem principem interficeret. Quanto in luctu putatis Ambrosium fuisse, non solum propterea quod patronum amisisset: Sed etiam quod motis ciuilibus armis, magnam perturbationũ orbis terrarum secuturam esse uidebat. Et ut fit turbulentis temporibus, facilius etiam

in

in Eccleſias penetrant malarum opinionum autores, ut dicitur. οἳ δὲ διχοστασίαν καὶ πάγκακον ἐμπορεῖται μῆς. Hæc mala concurrerunt.

Valens in oriente furenter defendens Arij peſtiferum dogma ſeuiciam exercuerat in pios, id uidit magno cum dolore Ambroſius, & cauit ne ea peſtis in occidentem irrumperet. Sed extincto Gratiano, Iuſtina mater Valentiniani, cum Arianis ſentiens, templum eis Mediolani tradi poſtulat. Ingenti animo hæc iniuſta Imperia detrectat Ambroſius ac in ſtatione manet: Et quamuis inſidijs Iuſtinæ petere-tur, tamen interim & cæteris prouincijs conſuluit, contendit in ultimam Pannoniam, & contra Iuſtinæ uoluntatem Syrmio pium Epiſcopum præficit.

Vide autem mulieris ingratitudinem, molitur exitium Ambroſio illo ipſo tempore, cum ipſe graui ſſimos labores & pericula adit pro filio Valentiniano, quem recens ex Gallia Tyrannus Maximus expulerat. Ad hunc enim legatus ad Treuirorum urbem profectus eſt, & cum eo acerrime contendit, ne adoleſcentem iuſta imperij poſſeſſione pelleret. Paulò poſt ſecutus Maximus, Mediolanum uenit. Hic fugiente in Macedoniam adoleſcente Valentiniano, cum Maximus in Italia dominaretur, Romæ etiam edicta propoſuiſſet, Ambroſius magno animo ei interdicit communione. Cumq; necem ipſi Maximus

ximus minaretur, seceßit Aquileiam. Hos tantos agones, has ærumnas habuerunt auſpicia Epiſcopatus Ambroſij, luctum ex Gratiani interitu, dolorem ex ciuili bello, odia & pericula à Iuſtina, legationes ad Tyrannum, deniq; exilium. Hæc ſunt uera Epiſcopi ornamenta, non purpura, aut regij adparatus.

Tandem uenit in Italiam Theodoſius, ac bellum Maximo infert, eumq; captum interficit. Cum Tyrannus pœnas dediſſet, reſtituitur Italiæ tranquillitas, & reuocatus Mediolanum Ambroſius, & ſuam Eccleſiam & uicinas belli ciuilis tempore dißipatas, inſtaurat. Nec diuturna fuit hæc trãquillitas: Cum Theodoſius in Aſiã rediiſſet, et Valentinianus Occidentem regeret, Romani petunt reſtitui aram Victoriæ & impia ſacrificia, diſſuadet id concedi Ambroſius. Quare adoleſcens ethnicorum inſidijs petitur, et ſeditionem mouent Arbogaſtus, Francus, & Eugenius: Paulo poſt moritur adoleſcens fraude Eugenij extinctus.

Duo ſeditionis Duces nihil Maximi exitu deterriti, potituros ſe imperio ſperant, Romæ proponunt edicta: Iubent reſtitui ethnicorum ſacrificia, exercitum ex ferociſſimis nationibus Francorum, & Alemannorum collectum, in Italiam adducunt: Veniunt Mediolanum ubi Arbogaſtus ſatis barba-

rice minatur se templa mutaturum esse in equorum stabula.

Rursus est in luctu Ambrosius, extincto Imperatore, uidet rursus impendere maius bellum ciuile. Rursus exulat, & in Ethruriam secedit: Nec tamen frangitur animo, sed Theodosium accersit, & commonefacit officij, ut depellat has à Repub. furias, quæ & ipsum opprimere, & delere Christi nomen conentur. Interim & Deum precatur, ut Theodosium adiuuet. Vicit igitur Theodosius ingenti prælio seditiosos, quorum alter Arbogastus inclinata acie, in fuga sibi mortem consciuit, uelut Saul, alter Eugenius captus, iussus est interfici & legibus pœnas dare.

Post hanc uictoriam Italia tranquilla fuit, donec Theodosius uixit, qui quidem postea in pace multa utiliter constituit, ut res Christianas confirmaret, non solũ claudi templa iußit, ut olim Constantinus, sed prorsus demoliri. Viderat enim sub Iuliano, quia templa manserant, restituta esse Ethnica sacrificia. Quare ipse funditus deleri templa curauit.

Hunc cœpit uitæ & laborum fructum Ambrosius, quod uidit tandem florentem gloria bonum, pium, & sapientem Principem, quod uidit orbem terrarum pacatum, oppressas hæreses, confirmari Christia-

Christianos. Nulla tamen est tam fœlix aula, in qua non accidant insignes offensiones. Multum rixarũ fuit Ambrosio etiam cum hoc ipso Principe, quamuis bono & sapiente. Sed ipse ad eum scribit: Nihil esse popularius & amabilius in Principe, quàm libertatem dicendæ sententiæ amare: Nihil in sacerdote turpius, quàm non audere quod sentiat dicere. Ac longum esset recitare, de quibus rebus cum Imperatore expostulet.

Mores etiam Ducum Ruffini & Stilliconis non probauit, per quos uidit acui Imperatoris iracundiam. Et Ruffinum fuisse parum fidum exitus ostendit. De Stillicone nihil adfirmo, cuius scribam propter falsi crimen, Ambrosius magna seueritate excommunicauit: Ac ne putetis hoc fulmen in uera Ecclesia inane terriculamentum esse, sed re ipsa cruciatus & erinnyes sequi sciatis, ut Paulus ait, tradendum esse incestum Satanæ, ut corpus excrucietur, & spiritus saluus fiat: Idem accidit huic Scribæ, statim post Ambrosij uocem, furere cepit exagitatus à Diabolo, sed post aliquot dies, rursus eum liberauit Ambrosius, & ad pœnitentiam reuocauit. Qualiscunq; autem fuit Stillico, tamen de Ambrosio uere est uaticinatus, eo uiro extincto, Italiam futuram esse miserrimam: Iudicauit opinor Deum reprimere barbarorum impetus propter huncui-

rum. Et uidit labi ciuitatum disciplinam, corrumpi mores, fractam esse militum uirtutem, deniq; impendere fatalem mutationem, ut nunc diuinare possumus, extinctis pijs, quæ calamitates secuturæ sint.

Multæ fuerunt autem in Theodosio, ut in uiro Heroico, magnæ uirtutes, inter quas, ut debet, eminebat bonitas, seu clementia. Sed tamen interdum hanc anteuertit ira: Et naturæ pugnaces sunt interdum acriores. Erat igitur ὀξύχολος, seu ut Horatius inquit, Irasci facilis: Sic ut placabilis esset. Et aliquoties his incendijs subitis animi peccauit. Cum in urbe Thessalonica quodam subito paucorum tumultu, interfecti essent pauci milites, Imperator iratus, mandata dedit, promiscuè multitudinem trucidandi: Et dicuntur interfecta septem millia hominum. Fama atrocissimi facti non solum Ambrosio, sed etiam cæteris Episcopis magnum dolorem attulit, qui Synodo conuocata horrentur Ambrosium, ne Imperatorem sine pœnitentia ad communionem admittat. Primum igitur Ambrosius priuatam Epistolam mittit ad Imperatorem reuerenter scriptam, in qua dolorem suum exponit, eumq; ad pœnitentiam hortatur. Sed extenuat rem fortassis aulica turba, & Imperator non præbet pœnitentiæ significationem. Cum igitur

igitur rediſſet Mediolanum, & ſuo more in templum ueniturus eſſet, ſignificat ei Ambroſius ne ueniat, niſi ſuum dolorem & pœnitentiam oſtendat propter multitudinem promiſcue trucidatam: Et præſcribit tempus. Etſi autem hæc noſtra ætas, inimica diſciplinæ reprehendit Ambroſium, ut dicunt nonnulli cum Imperatore fuiſſe ciuilius agendum, fuiſſe mox admittendum ad Synaxin, cum agnoſceret erratum. Tamen ſi legas Epiſtolam, in qua primum arcana admonitio præſcripta eſt, uidebis Ambroſium nihil iracunde, aut irreuerenter egiſſe. Teſtatur ſe & alios ingenti dolore adfici, propter hanc notam tanti uiri. Orat uerecunde, ut delictum agnoſcat, ut eximat hominibus opinionem, qui iam non ſui, ſed malorum Principum ſimilem fore arbitrentur.

Hæc Epiſtola cum nihil profeciſſet, grauiorem habuit cauſam Ambroſius, ut publice declararet ſuum iudicium: Facinus non erat excuſabile. Quare cum nullam oſtendiſſet ſignificationem pœnitentiæ, fuit hac utendum ſeueritate. Vtinam nunc qui præſunt Eccleſijs, utrunq; Ambroſij exemplu imitarentur. Primum diligentiam, & candorem in priuata admonitione, deinde ſeueritatem in publica cenſura. Profuit autem Reipu. hæc Ambroſij grauitas. Nam poſtea Theodoſius, ut iracundiæ

cundiæ quasi frenum injceret, legem tulit quæ extat in Codice de pœnis, ut post mandata Principis, per triginta dies differantur supplicia. Hæc lex seruauit deinde Antiochenam multitudinem, quam simili modo iusserat Imperator trucidari, propter statuam Flacillæ coniugis euersam. Hic cum ueniret quispiam post edita mandata ad præfectos, ac iuberet dici Imperatori, ne propter mortuæ coniugis imaginem, uiuas Dei imagines uiolaret. Imperator, quia iam deflagrauerat ira, mandata retractauit.

Hactenus exposui, quomodo Ambrosius cum Principibus conflictatus sit, nunc recensenda erant prælia cum hæreticis, quæ extant in scriptis. Obstitit uelut murus Ariano furori grassanti in Oriente, ne penetraret in Occidentem, semina impietatis sparsa ab Auxentio, qui se Constantij tempore, ut fit, ad uoluntatem Principis inflexerat, oppreßit. Dimicat & cum Marcionitis, ac Nouatianis.

Refutat Symmachum senatorem hortantem Romanos Principes, ut ueterem εἰδωλομανίαν restituant, & callide disputantem uetustißimas religiones uerißimas esse. Cum enim quædam Dei noticia humanis animis innascatur, necesse est priscos homines, quasi propiore cognatione conditoré

Deum

Deum attingentes, & sapientia excellentes, hac luce excitatos esse ad Deum inquirendum, & inuocandum.

Deinde cum Imperiorum constitutio, pœnæ iniustarum cædium, deniq; uox conscientiæ in singulis hominibus testentur Deo semper curæ fuisse genus humanum. Symmachus contenderat prorsus deliraré eos, qui ueram religionem uniuerso generi humano, ac præsertim ijs gentibus, quibus Deus Imperia tradidit, tot millibus annorum antea ignotam fuisse, ac nunc demum per paucos obscuros homines & errones diuinitus monstrari.

Quid, quod mirandis euentibus, ueritate diuinationum pœnis impiorum, fœlicitate piorum, uetustæ religiones confirmatæ uiderentur. Rexerunt exercitus & consilia Regum ueris prædictionibus, Amphiaraus Argiuos profectos ad oppugnationem Thebarum: Chalcas classem, quæ nauigauit ad Troiam: Aristander ducem Alexandrum. Et fuerunt res secundæ ijs, qui Vatum monitis parebant, & religiones uenerabantur. Creuit hæc urbs Roma, dum iusta bella gereret, ac domi disciplinam, bonos & castos mores, & ueteres religiones tueretur. Nunc ruentibus moribus, & religione mutata, urbs unà concidit.

Hæc oratio popularibus, & plausibilibus argumentis instructa, & confirmabat impios, & perturbabat imbecilles inter pios. Quare necesse fuit opponere ueram, luculentam, grauem, & eruditam Apologiam.

Erant similes defensiones & antea scriptæ à Iustino, Athenagora, Tertulliano, Lactantio. His Ambrosius suam adiecit. Et quia utile est bonis in conspectu habere argumenta, quæ pietatem in animis confirmant, capita rerum, de quibus disserit Ambrosius, breuiter recensebo, eamq; commemorationem, & propter res ipsas gratam fore auditoribus existimo, & ad laudes Ambrosij pertinere iudico, hinc enim intelligetis multiplici eruditione, & antiquitatis cognitione præclare instructum fuisse. Et studiosis exemplum prodest, ut eruditione ac literis in Ecclesia opus esse cogitent.

Vtraq; manu Hypothesis accipienda est, Solam eam religionem ueram esse, quæ prima est. Ideo enim condidit Deus humanum genus, ut esset aliqua Ecclesia, in qua uera ipsius noticia luceret, eoq; se patefecit non uno modo, impressit omnium mentibus nascentes nobiscum noticias, de æterna mente opifice rerum, & gubernatrice humani generis, de discrimine honestorum & turpium, & alias multas. Addidit & uoce sua doctrinam, qua ostendit quomo-

quomodo inuocari uelit. Nihil igitur dubium est, inde usq; ab initio generis humani, ueras aliquas religiones fuisse. Hoc teneamus in causa tanquam καθολικὸν δόγμα.

Sed illud quærendum est, quæ fuerint, & an apud omnes incorruptæ manserint? Quomodo uera & cœlestis doctrina propagata, conseruata, & restituta sit? Erit igitur hoc κρινόμενον, Apostolicæne, an Romanæ, græcæ aut similes opiniones de dijs uetustiores sint? Nec difficilis est dijudicatio.

Primum monstrosa absurditas quæ fingit multos deos, testatur hanc opinionem non esse primam, pugnat enim cum illa ipsa naturali noticia, quæ haud dubie, cum nobiscum nata sit, diuinitus in nos transfusa, certa & immutabilis est. Etiamsi se rumpant patroni superstitionum Ethnicarum, tamen huius argumenti tanta est perspicuitas, ut ne mutire quidem contra possint.

Longum hic esset recensere, quàm copiose nostri fabulas poëmatum de connubijs, adulterijs & discordijs deorum reprehenderint et exagitarint. Sed has ne ipse quidem Symmachus, Cicero & similes probabant. Aut ludere Poëtas, aut allegorias tradere arbitrabantur. Interim tamen fons errorum ab illis patronis retinetur, uolunt usitatas religiones conseruari, inuocari Iouem, Martem, Apollinem,

Mercurium, Iunonem, Palladem: Hoc quid est aliud, quàm multa æterna numina comminisci, & ut in ci uitate diuersa munera singulis attribuere?

Iam cum constet hæc deliria non esse primam religionem, quærenda est alia uetustior & purior. Hic conferenda est antiquitas. Series Imperiorum ita statur res Græcas et Romanas recentiores esse Chaldæorum & Phœnicum historijs.

Deinde in Græcis aut Romanis monumentis non ostenditur, unde religiones earum Gentium traditæ, aut quomodo propagatæ sint, multæ subitis causis ortæ sunt, quarum aliquæ & dissentiunt interse, & cum natura pugnant, fuit enim usitatum ferè omnibus gentibus ignaris Dei, mactare humanas hostias, deniq; prorsus nulla sunt monumenta Græcorum aut Latinorum, quæ ostendant origenes suorum sacrorum.

Vnum autem extat scriptum Moisi, quod primum temporis uetustas nobis commendat, deinde doctrinæ series. Nullum est enim scriptũ antiquius. Deinde, nullum exordia mundi & tempora certo distincta numero annorum, origenes gentium, & migrationes, initia religionum & deprauationes certa serie describit, ut hæc Moisi Historia. Cum igitur græca monumenta recentiora sint, cum nihil de ortu aut propagatione religionum certi dicant, deniq;

denique cum absurdam opinionem de multitudine Deorum contineant, necesse est anteferri Moisen.

Sed fingi hæc potuisse impij dicunt, ut poëmatum fabulas: Imò certa autoritate hi libri asseruati sunt, in gente non obscura, quam Deus ideo tot miris euentibus ornauit, ut testimonium de libris et doctrina diceret. Eduxit ex Aegypto sic, ut adpareret rem geri, non humanis uiribus.

Ita miris exemplis, in ea sede in quam collocarat, eos defendit, annos circiter nongentos, donec Babylonem abducti sunt. Inde reduxit, & seruauit eos usq; ad Apostolos, annos ferè quingentos.

Non igitur hæc doctrina poëma est, acceptum ab obscuris aut ignotis autoribus. Omnia gesta sunt in luce & spectantibus uicinis Regibus Babylonicis, Assyrijs, Aegyptijs, et deinde Macedonum posteris. Ac multi Reges summi ex his, cum huius gentis doctrinam cognouissent, diuinis moti testimonijs adsensi sunt & ipsi, ac Idolomanias abiecerunt.

Dauid, Salomo uicinos Reges uocarunt ad ueram pietatem. Audiuerunt Assyrij Ionam, Danielem Nabugdonosor uictor, & deinde Cyrus. Esdram, Nehemiam, Artaxerxes. Hi cum uiderint diuina exempla, & doctrinæ adsensi sint, certe testantur libros non esse commenticios.

Deinde multæ narrationes aliarum Gentium

suffra-

ſuffragantur hiſtorijs Moyſi: Manſit diluuij memoria apud Græcos, manſerunt nomina Iapeti, Ionis, Cithim, Elam & alia quædam. Sed quomodo ſeruatum ſit genus humanum, unde ortus ſit Iapetus, quis fuerit Ion Græcæ gentis pater, quis Cithim, unde Macedon eſt, quis Elam, à quo propagati ſunt Perſæ, nemo integra narrat, niſi Moiſes.

Celebratiſsimum eſt nomen Hammonis, quem Arabes & Aegyptij errore coluerunt. At ex Moiſi libris facile iudicari poteſt, eas Gentes ortas ab Hamo filio Nohæ, retinuiſſe nominis memoriam.

Manethon deſcribit profectionem Ebræorum ex Aegypto, Et ſecutus priſcas narrationes Strabo, ait Moiſen ducem fuiſſe, qui magnæ multitudini perſuaſerit, non recte coli Deum ab Aegyptijs, ac ſimulachra execratus ſit, & docuerit quomodo Deus inuocandus ſit. Hæc Strabo qui Aegyptum perluſtrauit, ex eius gentis monumentis haud dubie accepit, quæ teſtantur Ebræorum hiſtorias uetuſtiores eſſe Græcis.

Nec leue teſtimonium eſt antiquitatis, quod literæ, ut fatetur Herodotus, à Phœnicibus in Græciam primum allatæ ſunt.

Et quanquam Herodotus Reges Aegyptios recenſet, tamen ingenue fatetur uetuſtiores à ſe præteritos eſſe. Nominat eos qui paululum antecesſerunt

runt Persicam Monarchiam, quorum nomina extant & in Prophetis recentioribus.

Ieremias ait Regem Babylonicum conflixisse cum Neco. Herodotus mentionem facit belli Syriaci, quod gessit Necus.

Deinde Ieremias uaticinatur de Aprie, qui regnauit post deletam à Chaldæis Ierosolymam. Et ut Propheticæ narrationes de rebus peregrinis sunt breues, non recenset Ieremias quàm fuerit truculentus Tyrannus, & quomodo regnum amiserit. Et cum Apries dicatur regnasse quinq; & uiginti annos, arbitror Ieremiam interfectum siue ab ipso, siue à popularibus, non uixisse, cum Apries regno exutus & strangulatus est. Hæc postea recitat Herodotus, quasi inchoans historiam in eo ipso articulo, ubi nostri desinunt. Tantam uerò superbiam ait Aprijs fuisse, ut dixerit sibi nec deorum nec hominum quenquam regnum eripere posse. Fuit igitur grauis causa, cur ei Propheta supplicium minatus est.

Sed redeo ad Symmachum: Hunc primum refutat antiquitas. Manifestum est doctrinam nostræ religionis uetustiorem esse aliarũ gentium opinionibus. Contra hæc Symmachus ne mutire quidẽ potest.

Accedit secundum Argumentũ, quod doctrina nostra diuinis testimonijs manifestis confirmata est.

Alle-

Allegant et Ethnici quosdam inusitatos euentus, habuerunt etiam uates, Tiresiam, Chalcantem, Aristandrum & alios. Satis adparet multos homines horum autoritate motos, eas religiones probasse, quas illi profitebantur.

Prius de euentibus inusitatis dicam. Fatemur quædam etiam diuinitus accidere ignaris Dei, Vt in imperijs sæpe accidit, quæ Deus uariè distribuit, ut postea dicendum erit, Sit ita, Herculem in cunis serpentem tenellis adhuc digitis strangulasse. Neque hoc maius miraculum est, quàm ille ipse heroicus impetus animi, qualis in Hercule, in Alexandro, in Scipione fuit, quem motum esse Dei opus nihil dubium est. Deinde fuerũt alia miracula apud ethnicos, quæ tantum fuerunt dæmonum præstigiæ, ut siquando simulachra uoces humanas ediderunt.

Nec euentus ipsi tantum spectandi sunt, sed uidendum est, an sint communes pijs & impijs, ut Poëtarum, seu Musicorũ motus communes sunt. Caussæ etiam spectandæ sunt, an euentus eò exhibeantur, ut Deus innotescat. Porrò multa sunt miracula communia, ut motus Heroici, uictoriæ, constitutio Regnorum ac Politiarum. Sicut opes & artes communes sunt.

Symmachus confirmari religiones Romanas iudicat, quia Marcellus cepit Syracusas. Agnosco fuisse Dei

Dei opus punientis Tyrannides & luxum Siculorum: Sed hæ uictoriæ sunt communes pijs et impijs, Nec minus Dei opus fuit, Archimedis geometræ excellens industria, quam Marcelli uictoria. Sed tamen commune pijs & impijs. Deinde ethnicorum signa, aut fortuita esse ab ipsis putantur, aut referuntur ad confirmandas manifestas εἰδωλομανίας, ut Latini illius de præsultore somnium, quid petebat, nisi inanium ludorum instaurationem?

Sed Ecclesia proprios quosdam euentus habet, qui de doctrina testimonium dicunt, & quidem eo exhibentur, ut per ea signa Deus innotescat ac celebretur, uidelicet, liberationem à morte, ac resuscitationem mortuorũ. Talia exempla nulla sunt usquam, nisi in Ecclesia.

In exordio mundi, Enoch, deinde Elias adhuc indutí corporibus, uiui discesserunt ad Deum, ut testarentur hunc unũ Deum, de quo populos docebant, autorem esse uitæ immortalis, & hominum facta iudicaturum.

Postea multi à Prophetis, Christo & Apostolis mortui in uitam reuocati sunt, ut eadem docerent. Cedunt huic generi mirandorum euentuum, omnia ethnicorum miracula. Quare Symmachus & hac parte uincitur.

Sed uaticinia magni facit. Hæc est longa & eru-

dita

dita disputatio apud nostros. Multa sunt enim genera uaticiniorum, quædam Physica, quædam prestigiæ dæmonum, quædam diuina. Cicero somniauit exilium & reditum suum. Xenophon somniauit exitum militiæ suæ, credo, & est usitatum multis hominibus præuidere in somnijs, suos & amicorum casus. Hæc Physica cum sint communia pijs et impijs, non confirmant Ethnicas religiones: Multo minus fanaticæ prædictiones furentium, ut Rhodius nauta in bello Cæsaris & Pompeij dixerat. Post triginta dies futuram fugam Principum, & finem Rhodiæ militiæ. Multis & in febri erumpunt fatidicæ uoces de ignotis suorum casibus, aut etiam de Repub. Et quærunt Philosophi causas physicas. Nam aliæ naturæ alijs magis sunt præsagiētes. Nec ego negarim aliquid efficere συμπάθειαν inter cognatos. Sed furentum, ut Pythiarum uaticinia omnia oriri à dæmonibus adfirmo, de quorum ambiguitate, & uanitate non dicam, adsentior enim posse multa prospici & prædici à dæmonibus, quæ ipsorum consilijs gubernantur.

Fines autem prædictionum etiam indicant autorem, Tiresias promittit Thebis uictoriam, sed ita, si Creontis filius mactatus, uictima fiat pro patria. Calchas diuinat de excidio Troiæ, Sed simul iubet Regis filiam immolari. Cum Alexandrum in aditu Syriæ

Syriæ subita Eclipsis Lunæ excepisset, Mense Octobri, & nonnulli prodigio mouerentur, uaticinatus est Aristander eo Mense Babylonem, profligato Dario uenturam in potestatem Alexandri: Et quia periculosum certamen futurum erat, iussit humana hostia litari. Multa extant similia exempla in Græcis, Latinis & barbaricis historijs, quæ nuper etiam inquit Ambrosius, renouata audimus à Iuliano, qui se Alexandrum alterum perhiberi uolebat. Cum enim uenisset in eadem loca Syriæ, memor sacrificij, & rerum ibi ab Alexandro gestarum, & ipse mactauit humanas hostias, ac astitit homo Philosophus, scilicet, quem Pallas ipsa ad imperium & instaurandas ueteres religiones uocarat, fibras dissecti corporis inspexit, & digitis suis discerpsit, & omina cladis secuturæ captauit.

Recte ait Euripides: εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρόν, οὐκ εἰσὶν θεοί. Toties autem uestri uates, Symmache, iusserunt mactari humanas hostias, confirmauerunt item absurdam illam opinionem de Deorum multitudine.

Hæc flagitia non ab illa æterna & iusta mente conditrice rerum, sed ab alijs autoribus oriebantur, qui odio ueri Dei, seuiciam in genus humanum exercent. Horresco referens, cum illa superstitionum portenta cogito, quæ peruagata sunt omnes gentes.

Cum unus sit Deus, qui se patefecit sua uoce, & misit ueros testes inde usq; ab initio, interim tamen superbißimi spiritus abiecti à Deo offuderunt hominibus alias opiniones, quibus fascinatæ mentes miram audacia luserunt in religionibus, & polluerunt se omni scelere. Non miror autem te Symmache moueri tot gentium, tot seculorum, tot Regum, ac summorum hominum exemplis. Miramur & ipsi tantam esse dæmonum potentiam, tantũ præstigiarum, tantos errores in mundum peruasisse. Nec dubito, quin multos Ethnicos illæ ipsæ turpitudines superstitionum mouerint, ut cogitarint, aliud quiddam esse, ueram religionem. Recte igitur fontes ueritatis quærimus in prima doctrina confirmata certis testimonijs cœlestibus.

Habuistis mirandos euentus: Sed habet Ecclesia longe alios ac supra dæmonum uires positos, Resuscitationem mortuorum, natam sobolem ex effœtis, repressum solis cursum.

Habuistis uaticinia qualiacunq;, aut ambigua, aut rerum earum, quæ erant notæ dæmonibus. Sed habet Ecclesia longe alia uaticinia, de uolũtate Dei, de fatalibus seu diuinis uniuersi mũdi mutationibus de ordine imperiorum perpetuo. Hæc fata & ignorabant & formidant dæmones. Initio Deus prædixit se missurum humano generi Liberatorem, qui

possit

posit tollere mortem. Postea Vates nostri de tempore dixerunt, & ijs mutationibus, quæ interim euenturæ erant. Daniel clare ait, quatuor futuras monarchias, & in quarta uenturum dominum, & penè ipsum articulum constituit: Omnia congruunt, uenit Dominus, qui multis exemplis testatus est, se posse reddere uitam mortuis.

Et uenit eo tempore, quod extat in uaticinijs. Nobe prædixit, totam terrã diluuio perituram, euentus respondit. Esaias nomine Cyrum compellat, quã longo tempore post natus est: Post hunc adducit in Asiam Alexandrũ. Sed illustrior est Danielis prædictio, quæ penè historia est multorum regnorum. Nec ulla gens alia habuit similia uaticinia, quæ totam mundi historiam, quam præuidere dæmones non poterant complecterentur.

Quare cum non dubium sit, hæc à Deo orta esse, testantur & reliquam doctrinam nostrorũ uatum diuinam esse. Vtinam hic recitari integra refutatio Symmachi posset. Sed capita recensui, quæ cogitare, studiosis utile est, ut erroribus Ethnicis & dæmonum præstigijs opponere grauia, & firma argumenta possint.

Dictum est de antiquitate, & de miraculis. Tertium argumentum sumitur ab ipso genere doctrinæ. Nam Celsus, Iulianus, Symmachus, disserebant

uniuersam uirtutis doctrinam, comprehensam esse legibus Atticis & Romanis, aut Hesiodi & Phocylidis præceptis, aut Philosophorum literis, nec Christianos noua aut meliora præcepta recte uiuendi inuenisse, quædam etiam miscuisse inutilia imperijs.

Hic certamen cum Symmacho multo longius instituitur. Genera doctrinarum discernuntur: Vt lumen in oculis natura fulget, ita mentibus humanis inditæ sunt noticiæ, quæ discernunt honesta & turpia. Itaq; ut de numeris ac mensuris sani omnes etiam barbari consentiunt, ita officia honesta in hac cõmuni societate intelligunt ac dijudicant. Et quod multo gloriosius est, cum homo sit imago Dei, quædam etiam conditoris noticia mentibus insita est. Tota natura docet, esse Deum mentem æternam, unicam, immensæ potentiæ, omnia prospicientem, iustam, beneficam, rerum omnium conditricem, & ut grauissime dixit Plato: τὸ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτίαν.

Nec Cyclopum aut Epicureorum immanitas delere hanc naturæ uocem potest, etiam si aggestis montibus bellum cœlo inferant. Sed reuincuntur suæ conscientiæ testimonijs, & multis perspicuis argumentis.

Quo magis mirandũ est Ethnicos, cum hanc in animis noticiam circumferrent, deseruisse ducem natu-

naturam, & prodigiosas fabulas de dijs, & obscœna ac crudelia sacrificia excogitasse, deinde & in communibus moribus, reclamante iudicio naturæ, uagas & flagitiosas libidines approbasse. Sed hanc querelam omittamus, ac ad genera doctrinarum redeamus.

Laudo Phocyliden, adsentior leges Romanas honeste scriptas esse. Probo synceram Philosophiam, uidelicet, doctrinam, quæ constat demonstrationibus, non corruptelas admixtas ab artificibus. Est enim una quædam uera Philosophia, quæ suas metas habet, hæc ipsa constituit hanc sententiam, esse Deũ, nec ociosum esse, sed curare humana, quod monet sa nos ipsa terræ fœcunditas, & ad hanc utilitatem distributæ uices temporum. Deinde cum & hoc constituat à Deo ortũ esse in mentibus nostris discrimen uirtutum & uitiorum, agnoscit Deo placere iustos, econtra pollutos periurijs, crudelitate aut libidinibus, displicere. Cumq; uideat in hac uita non semper uirtuti præmia, & sceleribus pœnas reddi, hic queritur, oculos mentemq; densissimis tenebris, & subita nocte opprimi, & flagitat aliud doctrinæ genus, in quo de immortalitate, deq; futuro iudicio certa tradantur.

Præterea cum agnoscat genus humanum conditum esse ad inuocandum & celebrandum Deum,

& tamen iudicet non exaudiri à Deo indignos, & contaminat uicijs, magis etiam dubitat de uoluntate Dei, cum deprehendat in uniuersum omnes uitiosos esse. Quos igitur exaudit Deus? quomodo placatur eius ira? An totum genus humanum ad æternum exitium nascitur? Postremo unde sunt hæc in humano genere mala? Supra dictum est Deū esse mentem æternam, τὸ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτίαν. Vnde igitur existit hæc non leuis sarcina uiciorum? unde tam fœdæ cupiditates repugnātes iudicio mentis? Vnde tantum calamitatum in hac uita? Cur cum cæteræ res cœlum, terra, plantæ, animantia, suis quæq; legibus obtemperent: Solus homo à se ipso dissidet, solus oppressus est tantis ærumnis, ut eas nullæ Tragœdiæ satis deplorare possint. Cernit Philosophia hanc labem humani generis: Sed nec unde sit, nec quæ sint remedia ostendit.

Vna est autem Ecclesiæ doctrina, tradita inde usq; ab initio, & propagata certis testimonijs, & certa serie omnium temporum mandata literis per Prophetas & Apostolos, quæ & causas horum malorum patefacit, & monstrat remedia, docet certo de uoluntate Dei placatam esse iram, per unicum filium, quem misit in terras, propter hunc Pontificē exaudiri inuocantes, iuuari & donari inenarrabili lætitia in uita perpetua. Hæc arcana sapientia longe po-

ge posita extra conspectum humanæ rationis discernenda est à legibus ciuilium officiorum, & à Philosophia. Ideoq; Apostoli suam doctrinam Euangelium uocarunt, ut nominis nouitas de discrimine auditores admoneret.

Quare cum Philosophia fateatur suas tenebras, & tamen agnoscat aliqua certa doctrina opus esse, de immortalitate hominum, de Deo placando, de inuocatione Dei, de præsentia Dei in omnibus ærumnis, de uita æterna, cur hanc Symmache non amplecteris, quæ sola res tantas tradit & patefacit. Sola ostendit causas humanæ infirmitatis. Sola igitur prima est, et profecta ab ijs, qui norunt humani generis initia, & causas perspexerunt. Sola adfirmat uitam reliquã esse, postquam hinc discessimus. Sola de futuro iudicio totius humani generis certo concionatur, ac certos testes nominat, qui spectatores fuerunt multorum, qui mortui reuixerũt. Sola adfirmat iram Dei placatam esse, & docet quo modo Deus inuocandus sit. Sola proponit consolationem firmam in ærumnis, & causas indicat, cur boni, cur Ecclesia ingentibus ærumnis conflictetur. Harum rerum cognitionem necessariam esse fatendum est. Quæ est igitur amentia Symmache, explodere doctrinã de rebus tantis necessariam, cum nulla usquam alia reperiri possit, ac Philosophia toties

deploret humanam caliginem, & aliud genus doctrinæ desideret.

Fuerunt omnibus seculis, & sunt inter Ethnicos seu ignaros uerę religionis, multi excellentes ingenijs, doctrina, iustitia, fortitudine, & alijs uirtutibus, quales fuisse accepimus Palamedem, Aristidem, Socraten, Fabium, Scipionem. Quia enim Deus politias & artes uitæ utiles conseruat, interdum addit tum gubernatoribus, tum artificibus heroicos motus: Nec inusitatum est, tales uiros certis uirtutibus antecellere pijs. Sed eò magis dolendum est, tanta ui ingeniorum præditos, non agnoscere, non inuocare, non celebrare autorem Deum. Summa est miseria uiuere hominem sine Deo, hoc est, non inuocare Deum, non habere custodem aduersus Diabolum non iuuari à filio Dei, manere hostem Dei, & ab eo abijci.

Recte hoc Stoici, omnia nasci hominum causa, homines uero ut Deum celebrent. Fuerunt magni uiri & utiles patriæ, Fabius & Scipio: Sed quanto fuissent præstantiores, si in illis tantis rebus gerendis Deum inuocassent, & sensissent adesse Ducem, & gubernatorem tantorum certaminum, ac uictorias contulissent ad propagandã doctrinam de Deo, de Dei inuocatione, de uita æterna. Quid attinet uincere, si pacem tantum luxus, libidines, auaricia, superbia,

superbia comitentur. Iure igitur anteferimus his bellatoribus nostros, Dauidem, Macabeum & similes, qui in ipsis prælijs Deum inuocabant, & religionis uerę tuendę causa dimicabant.

Prętereą excellentem uirtutem destitutam excubijs & custodia filij Dei, plerunq; Diabolus de statu deturbat. Ideo uides in historijs summos uiros ferè omnes insignibus quibusdam probris deformatos esse. Meministi Symmache res gestas Themistoclis, & quæ de eo præconia fecerit tota græcia, uidelicet huius unius uiri consilijs, uictos esse Persas, & seruatam græciam. Quid homini potest tribui gloriosius ac maius? Et tamen cumulat has laudes scriptor historiæ Thucydides, qui tantam in Themistocle uim ingenij, tantam sagacitatem ac prudentiam fuisse dicit, ut in subitis periculis celerrime consilium reperire posset, & de futuris coniecturas haberet certissimas, & in rebus obscuris maxime uideret, quid prodesset.

Hic diuinus uir post uictoriam sibi adeo indulsit, ut aliquando sedens in uehiculo, à quatuor nudis mulieribus in forum traheretur. O petulantiam tanta ingenij prætantia, tantis rebus gestis, tanta gloria indignissimam. Quid huic uiro profuit excellens sapientia ac uirtus, excusso rectore Deo, quæ quam sit infirma & fugax, maxime ostendunt hæc

Heroica exempla. Vt in Hercule, Alexandro, & alijs multis, quam ardentes initio impetus ad uirtutem fuerunt, quibus aliquanto post in ocio languefactis, quæ dedecora secuta sunt. Nam sine filio Dei ipse inquit: Sine me nihil potestis facere, etiam cœlestia dona non sunt durabilia.

Sed dicet Symmachus, cur igitur tam fœdi lapsus sunt, Samsonis, Dauidis & aliorum, qui amplexi fuerunt Prophetarum doctrinam? Eadem causa est, quod nostri sæpe rectorem filium Dei excutiunt, ut Saul, & alij innumerabiles. Nulla enim est hominis perfecta uirtus. Sed multi recte sentientes redeunt ad Deum, agnito placatore, ut Samson, Dauid, Manasses. Hic magis etiam deplorandæ sunt ethnicorum tenebræ. Hercules in rebus secundis Deum non inuocat, nec cernit armatum se esse hoc robore animi diuinitus. Ideo paulo post tantum decus amittit, deinde in ærumnis iacet sine Deo, sine opitulatore. Nec ei quidquam ethnicæ religiones prosunt. At Samsoni, Dauidi prodest Euangelij noticia, quod testatur diuinitus respici adflictos, ut sæpe canit Dauid, ut in Psalmis dicitur. Inuoca me in calamitate, & eripiam te.

Audisti Symmache distincta doctrinæ genera, quæ cum ambo natis ad immortalitatem necessaria sunt,

sint, fateri necesse est mutilam esse uestram doctrinam, quæ prorsus ignorat, quomodo Deus placatus sit, nihil adfirmat de futuro iudicio, nihil de uoluntate Dei erga adflictos. Hæc in solo Euangelio traduntur quod Ecclesia omnium temporum profitetur. Agnosce igitur tenebras esse, ethnicorum religiones, & obtempera uoci Dei de cœlo sonanti ac præcipienti, ut Filium audiamus, cum ait æternus Pater de Christo. Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Hanc uocem Dei testes Apostoli toti orbi tradiderunt, confirmatam multis cœlestibus signis.

Hactenus ex doctrinarum generibus grauissime ostensum est necessariam, ueram, & salutarem esse Ecclesiæ doctrinam. Quarto accedunt εἰκεῖα, quæ tamen non sunt leuia aut infirma testimonia nostræ religionis, uidelicet perpetua cõseruatio Ecclesiæ, & autoritas testium, qui inde usq; ab initio acerrimis dimicationibus propagauerunt Euangelium. Vestræ Symmache religiones, aut recens inuentæ sunt, aut incertos habent autores, & quotidie aliæ nascuntur, aliæ exolescentes intereunt. Et infinita dissimilitudo est non solum rituum, sed multo magis opinionum & sententiæ. Chaldei ignem colunt: Aegyptij bouem, feles, serpentes: Lampsaceni Priapum: Thebani Bacchum, Vos Romani penè

ni penè obliti ueterum sacrorum, urbem barbaricis ritibus impleuistis. At in Ecclesia nostra sonat una & eadem Euangelij uox à primis parentibus perpetua serie, certis testimonijs propagata: Et ut testimonia essent illustriora, ritus additi sunt alias alij, qui temporum articulos discernerent, & tanquam Symbola de doctrina spectatores admonerent. Et discendi causa instituti sunt frequentes & honesti cœtus ac panegyres. Sed doctrina fuit una eadēq; semper, quā in tam crebris rerum humanarum & omnium imperiorum mutationibus, in tot bellis, uastationibus, excidijs etiam earum gentium, quæ præbebunt hospitium Ecclesiæ, deinde in tantis periculis recte sentientium, conseruatam esse profecto mirandum est.

Deinde & ipsa doctorum series testatur singulare Dei beneficium esse, huius doctrinæ conseruationem. Vt in acie dispositi sunt certo ordine milites, ut in præliando alij alijs succedant: Ita in Ecclesia diuino consilio doctores & testes uera autoritate præditi alij alijs successerunt. Viuentem Adam audierunt aliquot seculis Seth, Enos, & Henoch. Viuentem Enos audiuit Noha, hunc post diluuium posteri annos trecentos & quinquaginta audierunt, cui Sem filius qui principes Ecclesiæ ante diluuium, & postea nouā rerum naturam uidit, successit Abrahæ magister. Nam & uicinas sedes habuerunt, & uete-

res

res Ebræorum historiæ docent Sem fuisse eum Pontificem, cui nomen est Melchizedech. Nec dubiũ est Iaphet paternæ doctrinæ custodẽ diu fuisse. Mansit igitur aliquot seculis, etiã in dissitis gentibus Ecclesia, etsi paulatim hos magistros multi deseruerunt, uenitq; deterior ætas, qua passim fugêre pudor, uerumq; fides q;.

Inq; horum subiere locum fraudes q; doli q;, Insidiæ q; & uis & amor sceleratus habendi.

Magna est diaboli potentia, insidiantis humano generi, magna hominum infirmitas. Ideo semper ruunt mores in deterius, ac mirum est in Sodomis tantum exarsisse furorem, cum haberent uicinos doctores Sem & Abraham, ac ciuem Loth. Testis illis erat diluuij Sem, Abraham liberauerat Sodomeos profligato hostili exercitu. Sed nec exemplum diluuij, nec metus ullarum pœnarum, nec autoritas horum uirorum, nec beneficia diuina, quæ per hos contigerant flectere ad meliores mores hanc multitudinem potuerunt. Sed redeo ad nostram disputationem. Quanquam obliuio cœlestis doctrinæ post Noæ filios inter gentes secuta est, tamen mansit Ecclesia, & doctrina subinde certos testes & custodes habuit. Grauissimas causas habuit Sem cur patri crederet: Hunc audiuit Abraham, cuius posteri doctrinam, et conseruarunt & latius sparserunt. Nam Io

seph

seph eam Aegyptijs tradidit, postea per Moisen renouata est, quam Iosue, Phinees & alij audierunt. Et constitutum est collegium Sacerdotum ad tuendam doctrinam, & libri certi commendati sunt. Subinde tamẽ excitauit Deus instauratores doctrinæ, ut Samuelem, cuius auditores fuere Nathan, Gad, Dauid. Hos statim secutus Abias Silonites: Deinde Elias, Eliseus, Esaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Esdras, Nehemias, Machabæi, Simeon, Ioannes Baptista non longis interuallis in eandem stationem successerunt, hos secuti Christus, Apostoli & horum discipuli Euangelium sparserunt inter gentes, magnis certaminibus.

Multa sunt, quæ bonam mentem delectare possunt, si seriem consideret doctorum nostrorum inde usq; ab Adam, ad Apostolorũ discipulos. Primum conspicitur Dei prouidentia in tuenda doctrina, qui, etsi magna in Israël & Iuda, Regum ac Sacerdotum, tum negligentia, tum impietas fuit, & magnæ clades acceptæ sunt, tamen excellentes gubernatores pijs quadam continua serie dedit. Hoc modo usq; ad mundi finem Deus Ecclesiam gubernaturus est, in qua etsi erunt, ut iam exempla Ariana uidimus, magni tumultus, tamen Deus aliquos subinde defensores & instauratores ueræ doctrinæ excitabit. Deinde quid est iucundius, quàm uidere talem

Senatum

Senatum summorum uirorum, qui Ecclesiæ duces fuerunt, & antecelluerunt toti generi humano sapientia, iustitia, doctrina, magnitudine animi, sancti tate morum, gloria rerum gestarum, deniq; per quos uiros Deus se humano generi patefecit? Quod spectaculum cogitari iucundius potest, quàm uidere talem cœtum?

Quam tu mihi seriem Symmache uestrorum doctorum recitare potes? Minoëm dices Iouis familiaritate & colloquio usum annos nouem. Numam etiam recensebis Egeriæ monitis leges & ceremonias proponentem. Etsi sunt absurda quædam in græcis legibus, præsertim de connubijs & sodalitijs, tamen adsentior fuisse aliquoties magnos gubernatores, qui ciuiles mores emendauerunt, ac disciplinam ad naturæ leges, quantum potuerunt reuocarunt. Voluit enim Deus conseruari politias, ut rursus generi humano accenderet Euangelium. Sed & Minos & Numa, multò sunt recentiores nostris. Minos paulo ante bellum Troianum uixit, qui quidem rapuisse Ganymedem Trois filium dicitur. Numæ ætas multo est recentior.

Fuit ergo uterq; seculis aliquot post Moisen, cum iam grassaretur inter gentes εἰδωλομανία. Et hæc erroribus hominum & dæmonum præstigijs creuerat. Ferebantur & sermones in

Creta

Creta, ubi Minos regnauit, de Iouis sepulchro. Quos etsi refutant Epimenides & Callimachus, qui ait:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· τάφον σὸν ἄνα σεῦ
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δὲ οὐθάνες, ἔσσι γὰρ ἀεί:

tamen plena tunc omnia fuerunt Idolorum. In Italia uero Tuscia longe uincebat superstitione cæteras nationes: Et à Tuscis Numa mutuatus est auguria, et ritus alios multos, qui etsi erant cõmenticij, tamẽ & ipsi temporibus mutati sunt. Quæ enim peregrinarum gentium colluuies Romã occupauit post bella ciuilia, post gladiatores illos, qui ante Constantinum regnarunt. Sed sint Numæ instituta ciuilia mediocria, cui etiam gratiam habeo, quod nostris ciuibus annum in duodecim Menses non inepte distribuit, & Epactas congessit in mensem Intercalarem. Etsi Iulius instituit postea rationem meliorem, tamẽ diligentia Numæ illis rudibus seculis profuit. De Minoe uero quid dices? Quid nequius hoc Iouis discipulo fuit, si legibus suis aut confirmauit, aut nõ sustulit sodalicia Cretensia, quæ in historijs commemorantur? Desine igitur Symmache conferre Minoem aut Numam cum nostris doctoribus multo inferiores ætate, & fascinatos deliramentis de multitudine deorum. Præterea quas illorum literas, quã doctrinam

doctrinam profers? Extant uersiculi pauci Rhadamanthi, quem Plato arbitratur ante Minoem gubernasse Cretam. Sed & huius uersiculi, etsi sunt honesti, tamen de ciuilibus pœnis tantum loquuntur, nihil docent de ira Dei placanda.

Cum igitur & prima sit Ecclesiæ nostræ doctrina, & diuinis testimonijs plurimis, & resuscitatione mortuorum confirmata, & de rebus necessarijs, de immortalitate, de ira Dei placanda, de causis humanarum ærumnarum, de miranda instauratione naturæ nostræ, genus humanum doceat: deniq; cum mirandis modis conseruata sit, cumq; sapientissimi, & modestissimi homines omnes cruciatus perferre maluerint, quàm eam abijcere, non dubitemus Ecclesiam Christi recte de Deo sentire, uere Deum inuocare, uere exaudiri, & habituram præmia, contra uero opiniones omnes seu Aegyptias, seu Græcas, seu Romanas, seu quascunq; pugnantes cum doctrina Prophetarum & Apostolorum nostrorum recentiores & fabulosas esse, & aduersus Deum contumelioſas & exitiales.

His luculentis & firmis argumentis cum refutatus esset Symmachus ab Ambrosio, piorum animi passim confirmabantur, frangebantur aduersarij, nonnulli etiam ueritate uicti, amplecti Christi doctrinam ceperunt. Recitaui autem hoc loco capita

argumentorum, & quia rerum ipsarum cogitatio pietatem in nobis confirmat, & quia Scholasticis hæc exempla cognoscere prodest, quæ ostendunt controuersias religionum sine multiplici eruditione explicari non posse.

Sed redeo ad Symmachum, qui cum ueris argumentis premi, & uinci se sentiret, ut sæpe fit in ferro, confugit ad Tragœdias quasdam, quæ incurrunt in oculos, & non leuiter perturbant animos propter ueri speciem, tametsi non cohærentia contexuntur. Vicerunt Chaldæi Iudæos, Danielem & similes in seruitutem abduxerunt, deleuerunt templi, ac Dei sedem: Postea seruiuit Romanis Iudæa. Aut igitur Deus suos negligit, aut Chaldæas & Romanas religiones magis probat. Tot iam seculis à Romanis Imperatoribus Christiani trucidati sunt, quasi conniuente eorum duce Christo, cui se dicunt esse curæ. Mouent animos hominum hæc terriculamenta: Nam multæ causæ ex euentibus iudicantur, ut dici solet, Exitus acta probat. Et iusticiæ Dei cõgruere uidetur, ne desit suis, deniq; multa in hanc sententiam plausibiliter dici possunt.

Hic Ambrosius grauissimam querelam de calamitatibus Ecclesiæ instituit. Multa inquit uim adferunt oculis ac mentibus hominum, ne facile agnosci possit cœtus Deo dicatus. Ingens multitudo est ignã-

ignara Euangelij, quam tamen ad æternum exitium nasci, uidetur absurdum, præsertim cum in hac ipsa parte generis humani sint imperia, floreant ingenia studijs uirtutis atq; artium, & quidem seruiant communi uitæ. Et adesse gubernatoribus Deum, testantur Heroici motus, uictoriæ admirabiles, constitutiones imperiorum.

Confer animo Senatum Romanum, regnante Augusto, ad Apostolorum cœtum: Vtri magis uidentur aut seruire Deo, aut Deo curæ esse? Multa signa indicant Augustum diuinitus ad hoc fastigiũ orbis terrarum euectum esse, nec is tantum autoritate antecellit, sed etiam sapientia, consilio, uigilantia, assiduitate, & in gubernatione imperij inuicto animo perfert labores, quibus humana natura, sine Dei ope, par esse non potest: Hunc ducem publici consilij intuentur senatus, & prouinciarũ rectores toto orbe terrarum. In his multi sunt uiri excellentes uirtute, & utiliter, imò diuinitus cum in toga, tum in armis humanæ societati seruientes, tuentes disciplinam, pudicitiam, iusticiam, pacem. Quid hoc collegio pulchrius, quid his laboribus diuinius cogitari potest?

Iam è regione intuere Apostolos, qui passim uagantur, uelut ociosi Errones, nec ullam habent certam sedem scholæ suæ, quam tantopere prædicãt,

distrahunt hominum uoluntates, deniq; confecto aliquo curriculo, tanquam deserti à Deo interficiuntur. Nec tantum potentia huic cœtui deest, sed etiã illa, quæ maxime diuina existimantur, autoritas, ordo, consensus, quia desunt duces, non sunt gradus gubernatorum, socij ipsi distracti non locis tantum, sed etiam opinionibus.

Cum igitur longe pulchrior sit forma Romani senatus, quàm Ecclesiæ, multi dubitant, uter cœtus Deo proprie dicatus sit. Sed nobis, qui ueram & perpetuam de Deo doctrinam tenemus, hæc dijudicatio non difficilis est. Scimus Deum pro sua immensa bonitate, ut conseruetur genus humanum, constituere imperia, & hoc decus aliàs alijs gentibus tradere, ut in hac ipsa imperiorum mutatione ostendat se bonum & iustum esse, consulere uitæ hominum, & tyrannides ac libidines punire.

Ecclesiam uero quæ ipsum uerè inuocat, mirabili consilio ult ingentibus ærumnis premi atq; exerceri. Et multæ sunt causæ. Nouit Ecclesia quare genus humanum morti & alijs calamitatibus subiectum sit, agnoscit iram Dei aduersus uitia: Et ut agnoscat admonetur duriore disciplina. Deinde hæ ipsæ ærumnæ sunt euidens testimonium de immortalitate: Videt Paulus Tiberij pœnas differri, uidet Petrum, quem Deo curæ esse certo compererat, interfe-

interfici. Statuit igitur haud dubie restare aliam uitam, in qua bonis dabuntur præmia, impij afficientur iustis pœnis. Statuit item genus humanum non ad hanc breuem et fugacem uitam conditum esse, sed ad æternitatem, ubi fruetur Dei conspectu, quem præcipue bona mens appetit.

Sed hæc disputatio, cur maior moles ærumnarum Ecclesiæ posita sit, quàm cæteris, tota hic recitari non potest. Estq; arcana & propria solius ueræ Ecclesiæ sapientia, ignota cæteris, ut supra dictum est. Non igitur Symmache desciscimus à Deo, non abijcimus hoc doctrinæ genus, etiamsi maior est multitudo, quæ dissentit, etiamsi magis florent alij gloria imperij, & opibus. Hæ non sunt notæ propriæ populi Dei: Ex alijs testimonijs iudicium faciendum est.

Dum Senatus Romanus multos Deos coli iubet, dum ignorat unius æterni Dei doctrinam ab initio traditam generi humano, dum ridet filium Dei, non potest esse populus Dei. Id ut olim cœlestibus signis Babylonici Reges, & Persici compererunt, qui etiam opulenta regna tenebant: Ita nuper compererunt pij Principes Constantinus, & Theodosius. Hi nobis testes sunt multitudinem illam ignaram Euangelij, & contemptricem filij Dei, non esse populum Dei.

Propria uero Ecclesiæ gloria est in hac uitâ, uera Dei agnitio, inuocatio, professio uerè doctrinæ, conseruatio perpetua Ecclesiæ, etiam si in aliqua membra seuitur, magnitudo animorum in uincendis omnibus illecebris, & terriculamentis impijs: Virtutum multarum decus, in quibus præsentia Dei cernitur.

Hæc ferè sunt, quæ ad Symmachi calumnias respondentur, quæ recensui, quia ad bonas opiniones confirmandas in animis huius disputationis cogitatio multum conducit. Reliquum nunc est, ut de Ambrosij morte dicamus.

Defleuit Ambrosius Theodosij Imperatoris mortem acerbissimis lachrymis, non quod arbitraretur cum illo male actum esse, sed quod præsagiebat extincto illo custode publicæ pacis, barbaricas gentes fato quodam excitas è suis sedibus dilaceraturas esse Romanum imperium. Hinc Franci Gallijs signa intulerant. Isthinc Gotthi, & Heneti peruastarant Pannonias, Thraciam, Macedoniam.

Lugebat igitur uir optimus & Rempub. & Ecclesias, uidebat magnam uastitatem fore Ecclesiarum, interitura esse studia literarum, deniq; secuturam infinitam barbariem, & confusiones nouas religionum, quod barbaricæ illæ gentes partim odissent nomen Christi, partim infectæ essent Hæreticorum

ticorum delirijs. Multa igitur quotidie suos monebat, hortabatur ut pietate flecterent Deum, ad mitigandas calamitates publicas. Idem precabatur & ipse ardentibus uotis, publice & priuatim, confirmabat suos, ne fracti Ethnicorum, aut Hæreticorum crudelitate, ueram doctrinam abijcerent. Funiq; ei extrema lucubratio ante mortem, enarratio Psalmi quadragesimi quarti, cuius initium est: Deus auribus nostris audiuimus. Ac ferunt in hac ipsa lucubratione supra caput Ambrosij flammam conspectam esse figura clypei, quæ postea delabens fulgorem inusitatum in facie sparserit, & ore hausta sit.

Cum autem eo ipso tempore non solum pertexeret enarrationem, sed etiam gemens, ac lachrymans, uota faceret pro Ecclesia, deq; uenturis calamitatibus uaticinaretur, non dubium est pectus eius diuino spiritu incensum fuisse, qui se in ea flamma ostendit, ut cum Apostolorũ cœtui publice exhibitus est. Erat autem admonitus uoce Psalmi, ut de uenturæ mutatione Ecclesiæ multa prædiceret. Psalmus narrat Ecclesiam non humanis uiribus, sed mirandis Dei factis glorioſe constitutam & ornatam esse. Extremis uero temporibus non fore similem gloriam, magisq; grassaturam esse Tyrannorum seuitiam, quàm antea.

Hæc enarrauit Ambrosius copiosius, Extincto Theodosio inquit, ruet hæc Romana Monarchia. Videtis enim iam barbaras nationes utrinq; pene obsidione cinxisse Italiam. Harum armis cum dilacerabitur Imperium, passim toto orbe terrarum Ecclesiæ duriter quassabuntur. Alibi nomen Christi delebitur, alibi confusiones religionum erunt. Vt in Aphrica, Vandali tanta immanitate propagabant Arianum uirus, ut nudatas matronas ac uirgines in conspectu populi urerent. Hic uere sonabat uox illa huius Psalmi. Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.

Deinde ait Ambrosius hanc imperij ruinam maior alia clades secutura est. Daniel futurum testatur, ut quarta Monarchia dissipata, in aliqua parte nouum regnũ exoriatur, quod bellum geret cum sanctis, & sermones blasphemos contra Deum æternum impudentissime effundet. Vidit igitur Mahometi regnum mox secuturum esse, à quo postea in magna parte orbis terrarum Ecclesiæ funditus deletæ sunt. Alibi uero ubi nomen Christi retinebitur, lucem Euangelij densa & tetra caligo obruet, colentur Ethnico more Heroes, Episcopi barbaricis nationibus gratificaturi, statuis templa complebunt. Conferent in quæstum Sacramenta diuinitus tradita: Et ut barbaræ gentes superstitione magis deuin-

deuinciantur, affingentur nouæ opiniones. Vt Persarum Reges ignẽ coluerunt, ac adorari uoluerunt, quem Orimasdam appellabant. Ita spectacula, tum statuarum, tum aliarum rerum inter barbaros posteri instituent. Toto igitur orbe terrarum, aut iacebunt deletæ Ecclesiæ, aut stabunt squalentes & pollutæ magnis & pestiferis erroribus.

Interim Episcopi tyrannico more dominabuntur, abiectis studijs doctrinæ Christianæ, neglectis Ecclesijs sequentur Regum aulas, regent mundi imperia, habebunt deuinctos sibi Principes, quorum muniti præsidijs, suos errores defendẽt magna seuitia. Erunt reliqui pauci, pij, & docti, qui hanc querelam Psalmi sonabunt: Nunc autem repulisti & confudisti nos.

Neque tamen funditus interibit Ecclesia uera: Nam hic ipse Psalmus inquit: Hæc omnia uenerunt super nos, nec obliti sumus te. Erit igitur exiguus cœtus, qui Euangelium filij Dei discet, amabit, proponet cæteris, propagabit ad posteros, etiamsi subeunda erunt uaria certamina & supplicia. Sed duris ut ilex tonsa bipennibus, ita & hic cœtus, per damna, per neces, ab ipso ducet opes, animumq; ferro. Hæc inquit præmonuit Deus, ne cum uidebimus quassari orbem terrarum, & fieri dißipationes, quarum exitum non prospicimus, existimemus peni

tus interituram esse Ecclesiam. Sed statuamus uere Ecclesiam esse, quæ retinet puram Euangelij doctrinam, Et huic cœtui, his studijs Deum aliquam in terris sedem attributurum esse. Retinenda est igitur doctrina, & constanti animo propaganda, ut sint qui recte Deum inuocent.

Vicißim Deus aliquas politias seruabit, quæ præbeant hospitium in terris, huic Ecclesiæ. Hæc fuit Ambrosij postrema concio, exposito Psalmi illius argumento, quam eo recitaui, quia & nobis hoc ipso tempore necessariam hanc commonefactionem, & cohortationem esse duco. Res ostendit nimis ueram esse prædictionem, de qua Ambrosius concionatus est, collapso imperio Romano, secuta est Tyrannis Mahometi, quæ Ecclesias funditus deleuit in Africa, et magna Asiæ atq; Europæ parte. Et nunc late grassatur in uicina Pannonia, & penè obsidet Germaniam.

Etsi autem paucæ quædam in Græcia & Illyrico reliquæ sunt Ecclesiæ, tamen quia ærumnosißima seruitute oppressæ sunt, paulatim et hæ deseruntur. Exiguus est numerus eorum, qui memores huius Psalmi, dicere uelint: Hæc omnia acciderunt nobis, neq; tamen te obliti sumus. Quæ est regnorum in reliqua Europa perturbatio? ubi polliceri nobis possumus certam Ecclesiæ sedem mansuram esse?

Ad

Ad hæc mala accedunt morbi multi & magni Ecclesiæ ueteres & recentes. Defendunt εἰδωλομανίαν Pontifices, proponunt passim decreta sanguine scripta, aduersus Professores puræ doctrinæ Euangelij, & regum iracundiam accendunt. Multi pij totis tam uiginti annis passim in Europa necati sunt, aut pulsi suis sedibus. Vt autem certa quædam tempestatum signa sunt, ita diuinare licet, his odijs et hac seuicia portendi magnam rerum humanarum mutationem.

Tali tempore cum cæteris pijs, tum maxime nobis scholasticis qui præcipuum Ecclesiæ agmen sumus, hac consolatione & doctrina opus est, quæ in hoc Psalmo proponitur, quem Ambrosius moriens suis commendauit. Etsi passim regna & politiæ conculcentur, tamen non prorsus defuturam esse Ecclesiæ sedem, eamq; ibi fore, ubi uera & recta studia doctrinæ durabunt. Sed interim singulorum animos ad hanc militiam & propagationem ueræ doctrinæ debere paratos esse, & exitus Deo commendare, ut in hoc Psalmo dicitur: Exurge Domine, adiuua & libera nos propter nomen tuum.

Cum autem post huius Psalmi enarrationẽ paucos dies Ambrosius decubuisset, & subinde repetitis uotis Ecclesiã, et sese Deo commẽdasset, anima eius extinctis corporis uiribus, ex hoc fragili domicilio

in

in æternam sedem à Deo ad Christum, Prophetas, & Apostolos euocata est.

Recensui curriculum uitæ Episcopi, optime meriti de Ecclesia Christi, et de multis gentibus. Nec adijciam comparationem, ut fit interdum in hoc genere, sed suo loco, & quasi in statione sua prædicamus eum utiliter Ecclesiæ seruijsse. Hæc magna laus est, & maior omnibus Alexandri, aut Scipionis triumphis. Ac ut suum munus tueri posset, instructus fuit eruditione & multis uirtutibus dignis uiro politico. In his præcipue fulsit pietas & uera Dei inuocatio. Etsi autem hi Panegyrici olim de magnis uiris proponebantur ipsorum causa magis, quàm auditorum, tamen nos alio consilio hanc historiam & similes commemoramus.

Considerare auditores miram Ecclesiæ gubernationem uolumus, admonemus etiam, ut Deo gratias agant, quod idoneos gubernatores subinde excusitat, pars quædam laudis etiam propria est Ambrosij, quod cœlestibus donis pie usus est, quod scandala uitauit, ne dolore adficeretur spiritus sanctus. Postremo multa nos de rebus maximis hæ historiæ monent. Nec tantum exempla actionum nos inuitant ad uirtutis studium, ad constantiam, ad pudicitiam. Hæc à multis sumi possunt: Sed singulorum controuersiæ eruduunt posteritatem, & uox piorum quorum

rum iudicia comprobata sunt testimonijs diuinis, ualde confirmat imbecilliores.

Agitauit autem Ambrosius multas graues controuersias, ut dixi, de quibus quid senserit, ostendunt & actiones & scripta eius. Ipsa etiam magnitudo causarum nos commonefacit, ut cogitemus Ecclesiæ gubernatoribus multarum rerum doctrina opus esse, & ad tanta certamina magno studio, magna exercitatione in omnibus disciplinis ingenia præparanda esse. Quare adolescentes & pietatem & studia Ambrosij imitamini, uosq; singulari Dei benignitate ab impijs & damnatis segregatos esse, & Ecclesiæ insertos, ut in uobis fulgeat cœlestis doctrina, & ut eam conseruetis ac propagetis, mementote: Ad hanc tantam functionem, eruditione uos instruite, & omnibus animorum atq; ingeniorum neruis contendite, ut hanc uestram Spartam, id est, Ecclesiam filij Dei ornetis.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE POLYCARPO Episcopo Smyrneo habita à D. Casparo Crucigero. Anno. M. D. XLII. IIII. IVL.

Metus est Ecclesiæ Christi consuetudo & historiarum, & canonum monumentis confirmata, ne sine publico testimonio piorum & probatorum doctorum ulli ad docendum admittantur. Nec dubito hunc morem à Patribus et Prophetis per manus traditum esse.

Hoc consilio nos quoq; hanc publicam nostri iudicij renunciationem retinemus, quam siue gradum, siue aliter adpellare alij uolent, non repugnabo, modo constet ipsum morem, si accedit explorátio doctrinæ, & in iudicando grauitas, ac in testimonio fides, Ecclesiæ utilem esse. Vt enim Paulus caueri iussit, ne quibus libet sine delectu manus imponantur. Ita præstandum erat, non solum ut explorarenturingenia, uoluntates, studia, mores eorum qui ad doctrinæ gubernationem accessuri sunt, sed etiam ut longa assuefactione erudirentur & excolerentur. Hanc ob causam initio, scholæ adiunctæ fuerunt Ecclesijs, & utile est hunc morem conseruari. Quare Deum precor ut ipse & studia re-

gat,

gat, & hos scholasticos conuentus & Ecclesias tuea tur: Hoc ueris & ardentibus uotis à Deo petere om nes uos decet.

Ego quidem dum intuens hunc cœtum de publi cis periculis cogito, ac repeto memoria omnium ætatum superiorum exempla, metuoq; similes Ec clesiæ dissipationes uenturas, undique quassata Re publica, penè exanimor, nec consolationem ullam humanã reperio. Sed ad hanc unam confugio, quod filius Dei inquit, se mansurum nobiscũ usq; ad mun di finem: Nusq; autem nisi inter Euãgelij discipulos manebit. Quare manseras esse relliquias Ecclesiæ speremus, & ut ipsi, cœtus ille simus, studia Euãgelij amemus & retineamus, & pijs moribus ornemus.

Porro ut redeam ad institutũ meum, cum dixerim hanc renunciationẽ publici testimonij graues causas habere, fauere uos his cõgressibus decet: Et quoniam hic uel de doctrina, uel de bonis moribus aliquid di ci solet, ad commonefaciendã iuuentutem, ego quia longam disputationem nunc quidem instituere non potui, historiam hic recitare malui.

Nec obscurum est plurimum conducere pijs ad iudicandum de doctrina et ad regendos mores, histo riarum & antiquitatis cognitionem. Vtile est enim quærere animo, quid illa prima ætas Apostolis pro xima senserit. Hãc ob causam succesio illustriũ uiro

rum

rum quondam ualde celebrata est: Quæsitum qui fuerint coætanei, quibus testibus scripta Apostolorum ad posteros transmissa sint, à quibus autoribus suas quisq; sententias accepisset.

Ac arbitror eo uitam prorogatam esse aliquibus præstantibus uiris, ut diutius conseruaretur doctrinæ puritas, & ætas posterior haberet certos & fidos testes sententiæ apostolicæ. Me quidem ualde confirmãt horum dicta, cum Irenæus toties testatur se Polycarpi uestigia sequi, & Polycarpum adfirmat auditorem fuisse Ioannis Apostoli, ipsum Ioannem audire uideor, Polycarpi aut Irenæi testimonia audiens.

Quare etsi literæ Apostolorum satis perspicue nos de Dei filio, & de Spiritu Sancto docent, tamen talium uirorum suffragatione adiuuor, & confirmor. Nunc uero Episcopi allegant successionem ordinariam, tanquam neruum suæ potentiæ, doctrinæ uero studia multis iam seculis contemnunt, dum imperia appetunt & Regum more dominantur. Nos autem antiquitatem propter diuina testimonia requiramus, ita tamen ut delectus adhibeatur.

Non eadem puritas est omnium ætatum, ac ne quidem unius ætatis omnium scriptorum. Quam multa enim absurda leguntur in Origenicis libris. Ac profecto temporis illius audaciam miror, quo licebat

cebat in Ecclesia tam monstrosas opiniones publice spargere, siue ipse est autor, siue impostores aliqui suppositicia quædam libris eius admiscuerunt. Sed quoquo modo hæc acciderunt, deplorauit ipse suam seu negligentiam, seu temeritatem iam grandior natu.

Forte enim cum in Ecclesia lectionem inchoaturus esset, sedit diu gemens ac lachrymans, ac tandem exclamat. Peccatori autem dixit Deus: Quare enarras iusticias meas? Hanc uocem sæpe repetens, questus est se multa inconsiderate disputasse, ac ueniam erratorum non solum à Deo, sed etiam ab Ecclesia petiuit, quæ assidens seni, lachrymis declarabat se luctu ipsius adfici. Non enim aliæ Erinnyes, non alius dolor in bona mente acrior existere potest, quàm qui ex conscientia contaminatæ cœlestis doctrinæ oritur. Ergo & ille non sine causa lachrymabat, & nos exemplo moniti simus circumspectiores, & audaciam fingendi opiniones, & cauillandi rectas sententias fugiamus, & execremur.

Adhibeatur etiam in lectione ueterum prudentia, & quædam censura. Nec ut quidam ueterum statuarum admiratores, rudera etiam magno emunt: Ita nos amplectamur omnes omnium nenias, modo commendationem habeant antiquitatis.

Non solum uetustas admirationem scriptoribus pa-
riat, sed fides, in explicatione diligentia, consensus
cum Prophetis & Apostolis, super quos, ut ait Pau-
lus, extructa est Ecclesia.

Venio igitur ad Polycarpi historiam. Nam
hunc potissimum eò delegi, quia cum toties citetur
testis Apostolicæ doctrinæ, prodest eum quantum
fieri potest notum esse studiosis & pijs. Atq; uti-
nam non tantum hanc breuem historiolam, quam
recitabo, adferre possem, sed ipsius etiam exhibere
monumenta, in quibus complexus dicitur summam
doctrinæ Christianæ, quæ adhuc Hieronymi ætate
in manibus piorum fuerunt, ut ipse commemorat.
Postea secuta est ætas inerudita, quæ occupata am-
bitione, literas neglexit, & uetera monumenta tur
piter amisit.

Primum autem tempora consideremus: Anno
centesimo septuagesimo post Christi natalem, scri-
bit Eusebius Polycarpum interfectum esse, uidelicet
Imperantibus Marco & Vero fratribus. Porro à
Traiani initio ad mortem Polycarpi sunt anni se-
ptuaginta. Audierat igitur Iohannem Polycarpus
ante annos septuaginta: Nam Iohannes aliquan-
to post Traiani initium decessit. Adolescens igitur
Polycarpus penè ad uicesimum annum usq; Iohan-
nis auditor fuit, quæ ætas in bonis ingenijs, cum ac-
cedit

cedit recta institutio, iam doctrinam Euangelij puram intelligere, & de dogmatibus contrarijs censuram agere potest.

Fuerunt eodem tempore auditores Iohannis, Ignatius, qui postea præfuit Ecclesiæ Antiochenæ, & adfirmat se Christum post resurrectionem uidisse: Et Papias, qui rexit Ecclesiam in Hierapoli, ac dicitur præfari suis scriptis, se mandare literis ea, quæ ab Apostolis uiua uoce acceperit.

Iam cogitato quale fuerit sodalitium, quæ studia doctrinæ & uirtutis in hac schola Ephesina, ex qua tanta lumina prodierunt. Narrat Irenæus Polycarpum solitum multa narrare Iohannis dicta & facta, multa item quæ Iohannes commemorauerat de Christi dictis & factis, quo ex sermone intelligi potest dulcissimam fuisse horum uirorum consuetudinem.

Hæc primum initia fuerunt collegiorum, in quibus nũc pro Ignatijs, Polycarpis, sunt Cyclopes, & centauri ignari non modo religionis, sed etiam ciuilium officiorum, studia scholis commendata sunt, sed in his quoq; disciplinæ nerui nimium laxati sunt. Pios tamen & studiosos adhortor, ut cogitent illos ueteres cœtus Iohannis & successorum, & ad illam imaginem suos mores componant.

Dixi de rudimentis, & tyrocinio Polycarpi, quod quantam uim habeat, non ignoratis. Nunc igitur de ipsius militia & rebus gestis dicam ea, quæ reperio. Quantos labores, quæ certamina & pericula annis septuaginta in gubernatione sustinuerit, non difficile est existimare ijs, qui sciunt quantum onus sit Ecclesiæ gubernatio.

Seuicia in Christianos à Nerone orta, etsi interdum habuit interualla, & quasi inducias, tamen subinde renouata est. Sub Domitiano cum alij multi interfecti essent, Iohannes in quandã solitudinem, & scopulos insulæ Pathmi deportatus est. Sub Traiano Ignatius laceratus est à bestijs. Vidit igitur Polycarpus & doctores, & commilitonum ærumnas, quæ etiamsi ipsis gloriosæ erant, tamen amicorum animis magnum dolorẽ adferebant, qui orbitatem, & suam & Ecclesiæ talibus uiris amissis, deplorabant.

Ac ipsum quidem exceperunt acriora certamina cum Hæreticis, cum iam Smyrnæam Ecclesiam regeret: Delyrium Marcionis late grassabatur non solum in Asia, sed etiam in ipsa urbe Roma, & magnum chaos erat fanaticarum opinionũ, ac diu quidem hæsit in Ecclesia. Nam ex hoc fonte Manichæi orti sunt, & aliæ superstitiones: Hi Deos fingebãt duos, inter se pugnantes pariter æternos, lumen & tenebras

tenebras. A lumine dicebant conditas esse bonas creaturas & beatas. A malo dicebant hylen esse, & hominum damnandorum naturas, quæ flecti ad bonum non possent: Item Imperia, connubia, cibos immundos. Deniq; mira erat opinionum confusio: Fecitq; Marcion, quod solent facere multi, diu dubitauit, sparsit erroris semina, postea redijt ad Ecclesiam, confessus est errorem, & ostendit se mutasse sententiam. Aliquanto post eadem deliria renouat. Hæ dubitationes & fluctuationes animi sæpe nocent etiam mediocribus.

Venit igitur Romam Polycarpus, ut grassanti malo mederetur: Refutauitq; Marcionem, & scripturæ testimonijs, & autoritate allegata Iohannis, cuius sententiam sibi probe notam esse adfirmabat. Quare Marcionem magna pars sectatorum deseruit, oratione & autoritate talis uiri ad saniorem sententiam reuocata.

Aliquando & ipse Marcion insinuare se in amicitiam Polycarpi uolens, ad eum accessit, benigne salutans. Cumq; interrogasset: Num agnoscis me Polycarpe, respondit senex iratus impostori & simulatori. Ego uero te agnosco fœtum præcipuum Diaboli. Hac uoce declarauit quo animo ergà eos esse debeamus, qui corruptelas piæ doctrinæ struunt.

Irenæus etiam inquit, solitum aures obstruere Polycarpum, si quando impias hæreticorum uoces audiebat, loca etiam uitare, quasi polluta, in quibus illæ dictæ erant. Tantum fuit studium retinendæ ueritatis, ne gloria Dei læderetur. Iuuit Ecclesiam & scriptis, quæ utinam extarent.

Porro hæc merita recte docentium & reprimentium errores, non ducantur esse leuia: Nam ita uere conseruatur pignus uitæ æternæ, uidelicet doctrina cœlestis, retinetur agnitio uera Dei, ornatur gloria Dei, propagatur Ecclesia, multi uocantur ad uitam æternam, liberati à tyrannide Diaboli. Hæc non sunt minora rebus gestis Scipionis, aut similium bonorum ducum. Ornauit ille urbem Romam acceßione Imperij, legibus, opibus, consuluit utilitati ciuium. Fateor hæc esse magna & diuina: Sed ea, quæ in Ecclesia geruntur maiora sunt, & à Deo aliter gubernantur. Belligeratur filius Dei aduersus diabolum mirabili modo per membra sua, quæ admodum uidentur imbecilla.

Reliquum est, ut de morte dicam. Cum iam ferè nonagesimum ageret annũ, & Ecclesias diu magno labore rexisset, tandem rapitur ad suppliciũ. Multæ sunt enim causæ, quare Deus Ecclesiã cruci subiecerit. Sed quod in publicis spectaculis tã fœde suos à tyrannis lacerari sinit, duæ sunt præcipuæ causæ. Altera

Altera, quod uult conſpici teſtimonia doctrinæ. Sic adparet uere nos ſentire Euangelium diuinitus eſſe traditum, cum uitæ anteferimus.

Altera eſt, quod uult hos ſummos uiros teſtes eſſe de immortalitate. Quia enim ſcelerati & polluti omni turpitudine nunc ſeuiunt in ſanctos, quibus antea uidimus adeſſe Deum, neceſſe eſt iudicari, aliam reſtare uitam, in qua Deus ijs, quos palam complexus eſt, præmia redditurus eſt, & impijs pœnas. Cum uides Paulum, qui mortuos excitauerat, interfici à Tyranno omnium impurißimo, non ſenties Paulum à Deo abiectum eſſe: Sed reſtare aliud iudicium poſt hanc uitam. Ergo hæc exempla in Eccleſia ſunt uſitata, Præcipua lumina uult Deus, in his ſpectaculis, teſtes fieri doctrinæ.

Raptus igitur ad ſupplicium Polycarpus imponitur rogo ardenti, ut corpus uſtulatum igni torreatur, & longo cruciatu conſumatur. Hic cum ſtat inter flammas incipit his uerbis precationem, quæ ſic recitabo, ut extant in hiſtoria, ut cogitetis quomodo ueteres, & direxerint orationem ad Deum, & in ipſa morte confeßionem declarauerint.

Deus pater dilecti filij tui Ieſu Chriſti, per quem agnitionẽ tui accepimus, conditor uniuerſæ creaturæ, te inuoco, te confiteor uerum eſſe Deum, te glo-

rifico per Pontificem dilectum filium tuum, cum Spiritu sancto: Suscipe me & fac me socium resurrectionis sanctorum tuorum, Amen.

Hæc dum clara uoce clamitat, interim flamma se pandit & cedit corpori. Stat senex integer, & lacris, non sentiens flammas, ut olim in Chaldea seruati sunt in incendio tres uiri. Conspicitur fulgens candida luce, & exauditur, celebrans hunc Deum patrem Iesu Christi conditorem omnium rerum.

Valde cuperem de ipsa precationis forma copiosius dicere. Sed uos ipsi expendite, cur referat sic describi Deum, patrem Iesu Christi. Sicut plerumq; & Paulus loquitur, ut multa moneat, uidelicet exaudiri nos propter filium, item cæteras gentes maledicas in Christum, non inuocare Deum, tametsi profiteantur se inuocare conditorem rerum, ut nunc Iudæi & Mahometistæ. Sed hæc alias.

Nunc de Polycarpo: Stabant Magistratus & carnifices stupefacti re inusitata, cum uiderent Senem illæsum uiuere. Tandem iubet Tyrannus eum gladio transfodi. Hac nece minus seua permisit Deus Senem extingui, post auditam in rogo publicam confessionem.

Recensui breuem de Polycarpo historiam, in qua hoc præcipue meminerimus, hunc auditorem

Iohannis

Iohannis, testem nos habere doctrinæ, quam Ecclesiæ nostræ profitentur. Deinde & exempla admoneant, nos ad certamina & pericula uocari, ac Deum nobis etiam inter flammas adfuturum esse.

Dixi.

ORATIO DE PLATONE, HABITA à Cunrado Lago, cum decerneret titulum Magisterij quibusdam studiosis, Anno 1538.

IN deliberatione grauissima apud Thucydiden inquit rex Spartanus Archidamus, hanc esse patriæ disciplinam, ut ciues non studeant calliditate, leges aut uincere aut labefactare, sed sine tergiuersatione obtemperent. Existimo autem non tantum Lacedæmonijs, sed omnibus ciuitatibus ubiq; terrarum, legum reuerentiam salutarem esse. Quod cum ita sit, & mihi & uobis honestum est tueri gradus in scholis constitutos, ut legibus, quæ non sine graui causa nobis à maioribus traditæ sunt, pareamus. Quare et uestrum officium laudo, quod publici moris conseruandi causa huc conue

nistis & peto, ut meam orationem æquo animo au-
diatis, præsertim cum non sumpserim mihi has par-
tes ingenij fiducia, sed necessitatem dicendi hoc lo-
co nobis imponat officij ratio. Nescio quomodo alij
sint affecti, sed de meo animo hoc prædicare possum,
hos cœtus scholasticos & congressus nostros mihi
multis de causis iucundissimos esse. Iuuat enim vi-
dere hæc quasi præsidia Reipublicæ, uidelicet cum
maiores natu, qui iam consilio & autoritate sua re
gunt Rempub. tum hunc florem iuuentutis, quæ po-
steritatem gubernatura est: cui in his congressibus be
ne precari debemus, ac uota facere, ut Deus hæc or-
namenta uitæ, literas, leges, religionem conseruet.
Venit etiam in mentem, cum omnium disciplina-
rum professores intueor, quantum uitæ decus sit,
integer artium chorus. Quare hos cœtus ita cele-
brandos esse meminerimus, ut nos de cœlestibus do-
nis, de Repub. de nostro officio admoneant. Quid
autem magis decet in frequentia doctorum, quam de
bonis rebus dicere ac audire aliquid? qua in re, quia
mei muneris ratio postulat, ut hic orationem habe-
am, ualde optarim me posse uobis satisfacere. Sed
æquum est, uos dare ueniam dicentibus, si tamen
dent operam ut probetur uobis ipsorum studium,
& ut argumenta adferant honesta ac scholasticis uti
lia. Porro magnopere prodest doctorum & excel-
lentium

lentium uirorum historias tenere, nam & exempla eorum, ac pericula & uarij euentus multa nos monent, de uita & moribus, & opiniones eorum formant iudicia discentium. Probo igitur consilium illorum, qui antea hic doctissimorum hominum historias recitarunt. Et ut hos imitarer, orationem de Platone instituí, cuius studia, peregrinationes, consilia in Republica nosse & aliquo modo uidere, quale sit genus Philosophiæ quod tractat, & quid utilitatis adferat discentibus, profecto multum prodest. Omittam autem illa uulgaria encomia, quæ à generis nobilitate, aut à patriæ charitate sumuntur. Nam cum hæc oratio habeatur ad utilitatem discentium, de doctrinæ genere prolixius dicendum erit.

Sed uitam antea breuiter exponã: Natus est Plato Athenis, mense Martio, eo anno, quo uir eloquẽtissimus Pericles mortuus est, ac fuit is annus tertius funestissimi belli, quod inter se Græcæ ciuitates gerebant, quod Peloponesiacũ dicitur. Materno genere à Solone ortus est. Patrimoniũ habuit amplũ, quare liberaliter institutus est, ac literas, Arithmeticẽ, et Geometriã adolescens didicit: Nã hæ artes Athenis tradebantur initio pueris. Et quia ingenio ualebat, scripsit Poëmata et Tragœdias, Euripidis admiratione excitatus, cui erat familiaris: Incidit enim adole-

adoleſcentia Platonis in tempus ciuitatis, non quidem tranquillum, ſed tamen non triſte. Quanquam enim initia belli fuerant inauſpicata, & magnæ clades erant acceptæ, tamen poſtea annos circiter uiginti, multæ res ſecundæ conſecutæ iterum erexerunt ciuitatem. Poſtea cũ ætas Platonis penè matura eſſet, uel militiæ, uel ciuilibus muneribus, fortuna ciuitatis mutata obſtitit, quo minus ad Rempublicam accederet: Erant enim domi ortæ inter ciues perniciosæ diſſenſiones, has ſecuta eſt clades foris, ubi à Lyſandro uicti ſunt Athenienſes: Deinde capta ciuitas, quo anno Plato fuit natus annos uiginti tres. Tunc patria triſti ſeruitute oppreſſa à Lacedemoniis, & à triginta tyrannis, Plato cum haberet ingenium abhorrens à ciuilibus diſcordijs, & ab armis, & doctrinæ amans, ſecedendum ſibi eſſe duxit, quia neq; opem adferre ruenti & deflagranti patriæ poterat, neq; in tam immani ſæuitia triginta Tyrannorum & aſſiduis tumultibus, futurus erat in tuto. Dicitur tamen ante patriæ excidium, & ante ciuiles diſcordias militaſſe: ſed quia breue tyrocinium fuit, commemorare nihil opus eſt. In ſeceſſu audiuit Euclidem Megaris, eum opinor, cuius Geometria extat. Deinde cum eo tempore in Italia floreret doctrina Pythagoreorum, & magna in admiratione eſſet Architas Tarentinus, nauigauit in Italiam, ubi Archi-

tam &

tam & Timæum audiuit, de naturæ initijs, & opificio, & alia quædam Physica disputantes: quæ qualia fuerint, ex libro quem inscripsit Timæum, æstimari potest: Sunt enim quædam Physices initia, de ortu mundi, de duplici motu cœlesti, qui efficit, ut ipse inquit, literam X. de ordine Planetarum, de serie elementorum, de hominis generatione, de natura humorum, de humani corporis membris, de anima, de Deo opifice naturæ. Hæc breuiter in Timæo complexus est, ubi & si sunt quædam ænigmata Arithmetica, tamen reliqua Physica iudicat Galenus ab Hippocrate sumpta esse, & hæ disputationes apud Platonẽ inchoatæ magis sunt quàm absolutæ: Nam nec motuum cœlestium ratio explicatur, nec Anatomia est integra. Sed initia tamen laudo, & hoc genus Physices utile esse censeo, quod humorum naturas, & membra humani corporis describit. Itaq; sæpe Galenus Platonicas descriptiones mutuatur. In Italia uero tantisper hæsit, donec patriam recuperat Thrasybulus, et Conon adflictam rursus erexit, concussa potentia Lacedæmoniorum.

Reuersus igitur Plato, audire Socratem cœpit, captus, ut uidetur, eius sermonibus politicis. Viderat enim Socrates horribiles mutationes Atticæ ciuitatis, quæ hominem ingeniosum & cogitantem de hominum moribus, & de mirabilibus uitæ casibus, multa

multa monent. Vixit autem Socrates post restitutam patriæ libertatem, ac Thrasybuli uictoriam, annos circiter triginta, ac de futura Platonis magnitudine non obscure uaticinatus est Socrates, qui ait, se pridie quàm ad ipsum uenisset Plato, somniasse, cygnum se in gremio tenere, qui deinde euolans in altum, dulcissimos cantus ederit: Hunc cygnum ait Græcis Platonem futurum esse. Cum igitur Socratem aliquandiu audisset, nec contentus esset illis popularibus disputationibus de uita et moribus, sed adiungendam esse censeret doctrinam de rerum natura, petiuit Aegyptũ, habuitq; comites peregrinationis Eudoxum, & Poëtam Euripidem. Nec uero dubito, quin diuinitus hæc acciderint, ut hoc modo latius propagaretur uetus & erudita Philosophia de motibus cœlestibus. Etsi enim Thales antea particulam quandam eius doctrinæ Græcis tradiderat, tamen hæc rursus extincta erat. Quare optime meriti sunt Plato & Eudoxus, qui eam non modo ex Aegypto in Græciam rursus aduexerunt, sed etiam ut propagarent, auditoribus tradiderunt. Eudoxus uero reliquit etiam tabulas motuum, & anni ordinationem. Ita excitata hæc doctrina, diu Græcorum studijs conseruata est, cuius dignitatem atq; utilitatem, si, ut debemus, magnificamus, his primis autoribus profecto habenda est gratia. Digna est etiam admira-

admiratione eorum uirtus, quod non dubitauerunt tam longinquas peregrinationes magno cum labore & periculo suscipere, ueritatis quærendæ causa. Quàm acres in illorum animis stimuli, qualis enthusiasmus fuit ad inuestigandas res cognitione dignas? Nos contra pudeat nostræ ignauiæ, qui diuinitus donatas, & magno labore repertas artes negligimus, & interire sinimus. Excitemur ergo Platonis exemplo, primum, ut artes honestas uere amemus, & pericula laboresq; ad eas comparandas suscipere non recusemus: deinde consilium imitemur. Adiungamus, ut ipse fecit, ad morales disputationes, illam arcanam de motibus cœlestibus doctrinam: Ac uidete ad quem finem has artes expetiuerit. Vtilitates publicas ipse colligit alicubi, opus esse in hac ciuili uita temporum serie, & anni descriptione, sed proprium discenti finem hunc constituit, ut inuestigatio naturæ ducat nos ad agnitionẽ Dei, & ostendat humanis mentibus inditum esse lumen quoddam diuinitus, quo uita regatur, ut Deo obediat, & eorum animos, qui Deum agnoscentes, ei obtemperent, postquam ex hac uita discesserint, in luce admiranda atque æterna apud Deum uicturos esse. Hæc sunt Platonis uerba in Epinomide. Hæc, Adolescentes, an non grauissime dicuntur? Nec ego tamen has sententias Euangelio

misceri

miſceri uolo, ſed teneant ſuum locum. Doctrinarationis eſt, quæ cum recte philoſophatur, cum ueſtigia diuinitatis in rebus quærit, cum conſiderat humanæ mentis naturam, peruenit ad has metas diuinitus propoſitas. Nam Epicuri deliramenta procul à uia decerrant, & tollunt principia Phyſica, & obruunt noticiam de Deo impreſſam humanis mentibus: Sed redeo ad hiſtoriam.

Ex Aegypto reuerſus Plato, adfuit Socrati in iudicio: cumq; publice pro eo dicere cœpiſſet, clamore factionis aduerſariorum impeditus eſt: quare cum non audiretur, deſinere coactus, præſtitit in cæteris officijs Socrati fidem & conſtantiam, dignam uiro bono. Et quanta cum grauitate Socratem defenſurus fuerit, ſi licuiſſet, indicat Apologia, quæ adhuc extat, in qua multa ſapientiſſime dicuntur, contra arrogantiam hominũ, qui Deum contemnunt, qui negant prouidentiam eſſe. Deinde addit multa de immortalitate: ſapienti gratiſſimum eſſe, diſcedere ex hac uita, ad illos uiros, ubi de ſummis rebus certius doceri poſſit. Interfecto Socrate, cum accuſatores ipſius inſidiarentur amicis illius, Plato rurſus ſecedendum ſibi eſſe cenſuit. Profectus igitur in Siciliam, uenit ad Dionyſium Tyrannum, patrem iunioris Dionyſij, pulſi aliquanto poſt ex regno: Nam Siculis erant crebra cum Athenienſibus commertia, horum

horum leges, studia, Siculi imitabantur. Et Tyrannus ipse ingenio pollebat, & Græcis studijs delectabatur. Sed erat ciuis Siracusanus summæ authoritatis Dion: Is Platonem hospitio excepit, ut eum differentem de natura, & de Repub. audiret, sed sicut naturale dissidium est multarum rerum, atq; animantium inter se, uini & cicutæ, cygni & aquilæ: Ita natiuum & implacabile odium est inter se tyrannicarum naturarum & philosophicarũ. Ideo cum Plato liberius reprehendisset in quibusdam rebus Dionysij uiolentiam, Tyrannus eum interfecturus erat: Sed exoratus à Dione, uitam ei concessit, sed ita, ut in seruitutem addiceret cuidam Lacedæmonio, iuberetq; eum uendi. Auectus igitur Plato in Aegina, redemptus est à Dione minis tringinta, hoc est, trecentis coronatis, ut nunc loquimur. Mortuo patre cum succederet adolescens Dionysius, & præcipue consilio Dionis regeretur, ac Dion iuuenile ingenium Dionysij ad uirtutem, iusticiam, & moderationem flectere, doctrina, & autoritate sapientis uiri uellet, censuit uocandum esse Platonem. Etsi priore exemplo erat admonitus Plato, non posse coire amicitiam inter Philosophos & Tyrannos, uictus tamen adhortatione Dionis, in Siciliam rediit. Erant auspicia aulicæ consuetudinis læta, cunes omnes aureum quoddam seculum sibi promitte

bant, postquam gubernari adolescens à Platone cœpit. Audiebat enim Philosophum magno studio de Deo, deq; immortalitate differentem, ut Epistolæ testantur, quæ adhuc extant. Porro hæc fundamenta sunt ueræ uirtutis, tenere rectam de Deo, & de immortalitate animorum sententiam: Hæc Philosophia Regibus digna est. Tantum igitur promouit Plato, ut illa atrox tyrannidis species prorsus tolleretur, prodibat in publicum, uersabatur cum ciuibus Rex, non tyrannico satellitio stipatus, sed doctißimis & nobilißimis ciuibus. Domestica uita adolescentis non modo sine turpitudine erat, sed etiã in optimis studijs agebatur. In imperio nihil crudeliter, nihil iniuste, nihil sine consilio bonorum uirorum Dionis & Heraclide fiebat. Hæc tanta bona non tam Dionysij natura, quàm uulgaris aularum pestis inuidia corrupit. Improbi quidam, qui ut licentiam haberent scelerum, desiderabant statum tyrannicum, & ad se rerum habenas trahere conabantur, excusso Dione. Quantum autem ualeant calumniæ, non modo in aulis, sed etiam apud priuatos, non est obscurum. Et quia sororem Dionysij Dion habebat, instillabatur regi, non esse concedendam nimiam potentiam affini, ne regnum aliquando cupisceret. Cum igitur tandem uincerent sycophantiæ, pellitur ex regno Dion, frustra Platone omnibus

bus modis annitente, ne quid in talem ciuem summa uirtute & autoritate præditum, iniuste constitueretur. Eiecto Dione, paulatim improborum potentia creuit, & deprauari Regis animus cœpit. Fortè eo tempore Plato prædixit eclipsin futuram: ibi Aristippus, qui unà aderat, ait se de significatione diuinaturum, ac iocans, inquit, portendi inimicitiam inter Regem & Platonem. Hoc ioco facete aulæ mutationem Aristippus reprehendit, sed illud fuit addendum, Dionysium propter mutatos mores regnum amissurum fuisse. Etsi autem Tyrannus retinere Platonẽ arte conatur, tamen suspicans Plato, id quod erat, sibi propter Dionem nonnihil esse periculi, auellit se à Dionysio quibus potest modis: dimittitur ergo non sine munere: Scribunt enim octoginta talenta ei donata esse, hoc est, octo & quinquaginta millia coronatorum. Redit igitur Athenas, atq; ibi scholas habet, uersatur unà Dion, & multi nobiles adolescentes Syracusani, in quibus fuit Eudemus Aristotelis amicus. Postea excusso Platone, Tyrannus grassari omni scelere cœpit. Coniugem Dionis nubere alteri cogit: Hæc fuit causa Dioni mouendi belli, in quo egregie adiutus est à nobilibus ciuibus, Platonis auditoribus: Ita Platonis Scholæ de Tyranno iustas pœnas sumpsit. Nam, ut futurũ Plato prædixerat, Tyrannus regnum amisit. Con-

senuit deinde Plato non in ocio, sed quod est homi-
stissimum, docendo, ac scribendo excitauit optima-
rum artium studia.

Habetis historiam Philosophi, quæ continet ue-
re philosophicum uitæ curriculum. Cupiditate di-
scendi adijt multas regiones longinquas, inuexit in
patriam optimas artes, excitauit studia, conflictatus
est cum Tyrannis: Nam id quoq; ad Philosophum
pertinet. Reliquit non solum scripta, sed etiam di-
scipulos, qui posteritatem erudierunt, & conserua-
runt artes uitæ utiles. Quod uitæ genus huic ante-
ferendum est? aut quod munus in uita utilius est? so-
cietati hominum, quàm munus docendi? Itaq; recte
inquit, Philosophos, etsi non gerant Magistratus,
& abstineant à forensibus occupationibus, tamen eo
iustos esse, quia artes uitæ utiles inquirant & tra-
dant. Non profectò melius meretur de Repub. ae-
dilis, qui molem aliquam ædificat, quàm uir doctus,
qui regit religiones, qui ostendit, quid sit iustum, qui
naturam rerum patefacit, ac remedia necessaria ho-
minibus monstrat. Quare etsi Plato suo quodam
consilio non gessit Magistratus in patria, tamen de
ciuibus, imò de tota posteritate, genere officij præ-
stantiore optime meritus est. Ac commemorat ipse
causam, cur abstinuerit ab administratione ciuita-
tis, quia præsentem statum non probaret, & tamen
tolera-

tolerandum esse sentiret, quia ut parentum, ita patriæ mores etiam parum commodi ferendi sint. Sed arbitror, primum cladem patriæ & seruitutem in causa fuisse, quo minus accederet ad Rempu. deinde studia doctrinæ animum eius à cæteris occupationibus abduxerunt, qua in re multo meliorem operam Reipub. ac uniuersæ posteritati nauauit.

Nunc aliquid addendum est de eius scriptis: Primum eloquentia tanta est, ut longe antecedat omnes Græcos & Latinos oratores, quorũ extant literæ: Nullius est oratio uberior ac splendidior. In alijs laudamus præcipue proprietatem, in alijs nitorem, ac figurarũ dilicias. Plato quæ uult proprie efferre, ita signate dicit, ut nihil aptius cogitari possit. Rursus quibus uult addere splendorẽ & ornamenta, in his longe uincit uarietate amplificationum, et uenustate figurarũ, omnes oratores. Itaq; nonnulli dixerunt, Iouem, si Græce locuturus esset, Platonis usurum oratione. Fuerunt paulo superiores Platone Rhetores, Gorgias, Thrasymachus & alij quidã, qui adolescentes exercebant in dicendo: Nam ea disciplina præcipuè tunc existimabantur iuuenes ad Rempub. præparandi esse. Hos, quia nihil tradebant, nisi Rhetoricos libellos, & assuefaciebant iuuentutem ad inanem garrulitatem sine rerũ doctrina, passim Plato salsè exagitat. Nam cum nihil sit.

Reipu. pernicioſius, quàm aſſuefieri tenera ingenia ad Sophiſticen, Plato iure exarſit aduerſus eius ætatis Rhetores, quorũ paleſtræ tantum alebant Sophiſticen. Repreſſis igitur horum ſtudijs, etiam eos, qui Rhetoricen profitebantur poſtea, acuit & excitauit: primum, ut fugientes Sophiſticen, locos caufariũ uera quadã ratione conſtituerent, & argumenta ex negociorum fontibus ſumerent, non peregrina aut Poëtica, ſed apta & conſentanea rebus, de quibus dicendum erat. Hi ſunt orationis nerui, ſine quibus etiam ſi bella & uarie picta dicuntur, tamen oratio & inanis & inepta eſt. Ac hos neruos ſecutæ ſunt etiam in elocutione, multæ egregiæ uirtutes, grauitas & ſplendor: itaq; Demoſthenis oratio cũ rebus, tum elocutione longe præſtat ueterum ſcriptis. Habent quædam lenocinia, & floſculos Gorgiæ oratiunculæ ſine ueris argumentis, ſine ſplendore, ſine compoſitione: Lyſiæ uero argumenta etiam ſi ſunt apta, tamen ſunt exanguia, & ſine nitore.

Etſi autem compoſitio et ratio ornandi uidetur ab Iſocrate primum mutuata, qui paulo fuit maior natu, quàm Plato, tamen nonnihil & Platonis elocutionem profuiſſe poſterioribus apparet. Conſilia uero in inueniendo, nerui & amplificationes in Demoſthene, haud dubie Platonis doctrinam redolent. Nam Demoſthenes non procul accerſit argumenta

gumenta aliena ab instituto, ut faciunt Sophistæ, sed ex negociorum fontibus sumit proprias rationes, ut decet hominem eruditum, & has Dialecticè, penè ut fit in schola, magna arte contexit, ac plerunq; pugnans, sententias non populares, sed, ut ita dicam, scholasticas, id est, ex doctrina quadam grauissima erutas profert. Quid dubitemus igitur Demosthenem, non tantum Rhetoricis libellis, sed hac eruditiore doctrina expolitum fuisse? Ac significat ipse se Platonis auditorem fuisse, de cuius Philosophia sic scribit ad amicũ quendam: Video te disciplinam colere, & quidem Platonis, quæ uere detestatur turpia lucra, & impostura, & iubet finem omnium actionum constituere, uirtutem ipsam ac iusticiam: qua doctrina institutos, nefas est fraudes struere alijs, & non erga omnes esse iustos. Hæc sunt Demosthenis uerba, in quibus honorificum Platoni testimonium tribuit. Nec uero uulgaris prudentiæ fuit, uidere quid illa prior Sophistica Gorgiæ et similium, haberet uitij, & cursum studiorum totius sui seculi commutare. Magni ea res ingenij & heroici significatio fuit: Vidit arma dari iuuenibus ad mouendas Respu. cum nõ frenarentur ingenia grauiore doctrina, sed una laus esset, dicẽdo cõturbare, et concutere leges, et alias causas. Quare hortator græcis fuit ad aliud doctrinæ genus colen-

dū, utile moribus & paci. Hanc suam sententiā non obscure ostendit in interpretatione Delij oraculi. Fessæ enim Græcæ ciuitates diuturno & luctuoso bello, quod inter se gerebant, consuluerunt oraculum in Delo, quibus modis Deus placandus esset, ut Græciam præsentibus malis liberaret. Hic cum Deus respondisset, Aram in Delo totam, quæ erat figuræ cubicæ, duplicandam esse, Græci addunt aliam molem pari magnitudine, & efficiunt τετράγωνον, in quo longitudo uincebat latitudinem. Postea interrogant, an rite oraculo paruerint: Apollo negat. Quare perculsi, suspicantur aliquid arcani hoc inuolucro significatum esse, ac interpretem oraculi excellentem ingenio & doctrina quærendū esse censent. Deferunt igitur oraculum ad Platonem, qui ostendit eis erratū in duplicanda ara, quod pro cubica fecissent τετράγωνον, & docet, quomodo cubus duplicandus sit, quæsito diametro cubi. Monet autem Græcos, non molem aræ magnopere Deo curæ esse, nec placari Deum lapidum strue, sed recte significari alia meliora studia Græcis colenda esse, uidelicet, Philosophiam, profuturam ad flectendos animos, ad modestiam, iusticiam, & amorem publicæ tranquillitatis. His studijs excitandis nusquam Platonis opera defuit, & ut iuuenes eloquentiæ cupidos moneret, non ad populares tumultus ex-

tus exercendam esse facundiam, sed ad alium honestiorem usum, inquit, Eloquentiæ finem esse, non ut homines delectet, sed ut Deo grata dicat. Hoc præceptum utinã infigant animis adolescentes, ut cum cogitabunt, hunc tantum finem horum studiorum sibi propositum esse, ut oratione gloriam Dei illustrent, multo diligentius se ad tam præclarum opus præparent, deinde uideant etiam, quàm turpe sit conferre eloquentiam ad parasiticam, ad scurrilem maledicentiam, ad calumniandas honestas artes, ad inflammanda odia aduersus Christum. Hæc qui faciunt, ut re ipsa morem diabolicum imitantur, ita non eloquentes, sed diaboli iure uocandi sunt. Nec uero pauci sunt tales in his publicis discordijs: Est enim plus quam uerum quod ait Menander:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πρᾶγμ' ὁ κόλαξ ἄρισται παῦσαι, δεύτερος
ὁ συκοφάντης, ὁ δὲ κακοήθης τρίτατος.

Et alunt has pestes illi, qui cohercere maxime debebant. Verum hæc querela fortassis non est huius loci: Redeo igitur ad institutum. Vt Horatius Pindarum laudans, inquit:

Multa Dirceum leuat aura cygnum,
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus.

Ita profecto hic cygnus, Plato uidelicet, diuinum

quiddam canens, omnes Oratores eloquentia uicit. Passim in Cicerone, non modo in Philosophicis scriptis, sed etiam in forensibus actionibus comparent ornamenta ex Platone decerpta plurima. Et quidem Cicero prædicat se in Academia oratorem factum esse: poterimus igitur & nos ab eo multa ornamenta mutuari. Sed desino de eloquentia dicere, quæ summorum Oratorum testimonijs satis celebrata est. Ingens autem decus est in homine eloquentia.

De rebus ipsis & genere Philosophiæ magnæ sunt controuersiæ inter doctos. Primum illud constat, Platonem non scripsisse ordine integras artes, sed liberioribus disputationibus aliàs de alio loco quid probaret, aut quid non probaret, ostendisse. Multæ etiam sunt ut hominis ingenioſi & eloquentis, qui quidem & natura fuit σκωπτικὸς, ironicæ & figuratæ disputationes, qualis est, cum ludens disserit omnes magnos uiros bene meritos de Republica, iuste plecti à suis ciuibus, quia beneficijs suis, uulgi cupiditates & licentiam auxerint. Est et πολιτεία, in qua fingit communem rerum usum, prorsus ironica, uoluit enim falsæ & figurate infinitam rapacitatem potentum taxare. De Ideis quæ deliramenta finxerunt indocti, cum genus sermonis grandius in Platone non essent assecuti, nec uidissent Ideas ab ipso dici imagines ac noticias eruditorum,

rum, quas in mentibus concipiunt, hoc est, ipsas definitiones, aut demonstrationes. Cum igitur eam, quam toties prædicat methodum, non sæpe adhibeat, & euagetur aliquando liberius in disputando, quædam etiam figuris inuoluat, ac uolens occultet, denique cum raro pronunciet quid sit sentiendum, assentior adolescentibus potius proponendum esse Aristotelem, qui artes, quas tradit, explicat integras, & methodum simpliciorem, ceu filum, ad regendum lectorem adhibet, & quid sit sentiendum, plerunque pronunciat. Hæc in docentibus, ut requirantur multæ graues causæ sunt. Vt enim satis dentibus draconis à Cadmo, seges exorta est armatorum, qui inter se ipsi dimicarunt, ita si quis serat ambiguas opiniones, exoriuntur, inde uariæ ac pernicioſæ dissensiones.

Paulo ante hanc ætatem Bessarion et Trapezontius hostiliter inter se dissenserunt, cum hic Aristotelem, ille Platonem anteferret. Id certamen diremit Theodorus Gaza, inquiens suum cuiq; locũ tribuendum esse: Ita lectionem Platonis multum profuturã esse, si quis in Aristotele recte institutus, posteà Platonem legat. Nam cum afferet lector Aristotelicam methodum, facile quasi intra certas metas includet eas res, quæ apud Platonẽ late dissipatæ sunt. Et hanc fuisse Aristoteli causam arbitror, cur methodũ adeo

adeo exiliter consectaretur, ut ea quæ à Platone acceperat, collecta, & quadam œconomia atq; ordine distributa, posteris integre traderet. Etsi quædam limare etiam ac corrigere uoluit, rerum tamen in summa non magna est dissimilitudo. Nec difficile est prudētibus uidere, uter in qua parte præstet. Quamquam enim dicar ineptus, qui uelut Midas de Apolline & Pane sibi iudicium sumpsit, ita ego de duobus præstantissimis Philosophis iudicare ausim, tamen ostendere adolescentibus utile est, quid autores, qui proponi solent, profiteantur.

Vberiora sunt ea, quæ de ciuitatum administratione Plato scribit, & sunt ornata mirifico splendore orationis. Et cum dissimiles libros scripserit, Politician, & librum de legibus: in altero liberius lusit, sed in libro de legibus simpliciter & sine ænigmatibus suam sententiam exposuit, & præcepta collegit utilia ad gubernationem ciuitatum, ex quibus tanquam ex fontibus multa Iurisconsulti Romani hauserunt. Apparet enim in multis legibus autores penè uerba Platonis describere. De stupro ui facto, sanxit Plato, ut stupratorem interfici liceat, non solum ab illis quibus uis infertur, sed etiam à patre, fratribus aut filijs: Id lex imitata de raptoribus, non tantum patri, sed etiam cæteris propinquis potestatem facit interficiendi raptoris. Sed exemplorum

commemoratio longior est, quàm ut conueniat huic tempori. Imò Iurisconsulti tantum huius scriptoris autoritati tribuerunt, ut eius uerba etiam legibus inseruerint, ut in titulo de Nundinis recitatur sententia, quæ adprobat honestam negociationẽ, quanquam καπηλευτικὴν. Cæterum plurimas sententias Cicero ex omnibus Platonis disputationibus de imperiorum uicibus & gubernatione recitat. Multa ornamenta & Aristoteles ex Platone decerpsit, quæ adhibita methodo explicat. Nam diuisiones iustitiæ, quæ sunt admodum utiles, sumpsit à Platone, eáq; magis includit dialecticis metis. Platonis etiam inuentum est, discrimen specierum iustitiæ, iuxta proportiones, Arithmeticam & Geometricam.

Verum in Aristotele dialectica integra est: Et Physica sunt eruditius inchoata ab ipsis laribus, ut ita dicam, hoc est à primis initijs & perducta ad descriptionem naturæ animalium: Ethica etiam simplicius traduntur. Amemus igitur utrunq;: & cum in Aristotele mediocriter uersati fuerimus, alterum etiam propter politicas materias, & propter eloquentiam legamus. Habet suos quosdam locos, propter quos eruditos delectare potest. Disputat enim satis grauiter de immortalitate animorum humanorum, & Philosophiæ finem ubiq; constituit agnitionem

nem Dei, sicut inquit in quadam epistola: Ita recte philosophabimur, si Deum agnoscemus uniuersæ naturæ patrem, causam & gubernatorem esse, eiq; iuste uiuentes obtemperabimus. Hanc unam ait, non ἄμεσον παιδαγωγὸν esse, & ueram philosophiam. Et quia uidebat hæc derideri ab atheis, confirmat lectores, inquiens non satis esse, sic sentire, sed etiam animos ita confirmandos & corroborandos esse, ut contemnere eos possimus, qui nos ita sentientes deridebunt. Vidit enim Philosopho hac fortitudine opus esse, ne se improborum iudicijs à recta sententia depelli sinat.

Etsi autem has Platonis cogitationes et ipse amo ac suspicio, tamen error illorum acerrime reprehendendus est, qui propterea confundunt Platonicam Philosophiam & Euangelium. Hæc confusio generum doctrinæ eruditis cauenda & detestanda est, ac uidendum, quis locus Philosophiæ tribuendus sit. Dei dona sunt omnes bonæ artes, sed suum singulæ locum teneant. Vera Philosophia, hoc est, non deerrans à ratione, & à demonstrationibus, est quædam noticia legis diuinæ, agnoscit esse Deum, & iudicat de moribus ciuilibus, uidet hoc discrimen honestarum & turpium diuinitus nobis insitum esse, iudicat puniri atrocia scelera à Deo, habet etiã quasi præsagium aliquod de immortalitate. Neq; tamen illa

illa uidet aut docet, quæ propria sunt Euangelij, uidelicet, remissionem peccatorum gratis donandam propter filium Dei. Hæc noticia non est orta ab humanis mentibus, imò procul extra conspectum rationis humanæ posita est, sed Filius Dei qui est in sinu Patris, eam patefecit, ut aliàs copiosè dicitur. Quare prudentia adhibenda est in discernendis doctrinarum generibus, et explodendi sunt inepti illi, qui offundunt caliginem Euangelio, imò obruunt ac delent Euangelium, cum transformant in Platonicam Philosophiam. Magis etiam taxandi sunt, qui ne Platonem quidem intelligentes, eius figuris deprauatis, monstrosas opiniones genuerunt, easq; in Ecclesiam sparserunt, ut Origenes, & post eum alij multi fecerunt: Flagitiosè enim contaminata est doctrina Christiana ueteribus illis temporibus, ineptè admixta Platonica Philosophia. Hæc breuiter adieci: Vt enim collatio doctrinarum aliquid lucis adfert studiosis, ita Ecclesiæ plurimum refert, cauere, ne doctrinarum genera confundantur. Dixi.

Oratio

ORATIO DE VITA ARISTOTELIS, dicta in promotione Magistrorum à Philippo Melanthone.

1537.

REquētia uestra in hac pompa promotionis mihi periucunda est, & cum officio uestro delector, tum uestro probo iudicium, quod significatis uos bene sentire de hoc publico more, in quo, etsi hæc pompa habet ludos quosdam pueriles, tamen scitis grauissimo consilio gradus ipsos institutos esse, ut ordo in discendo præscriberetur, & adolescentes ad certam studiorum rationem inuitarentur. Certe nobis in hac Schola usu uenit, ut hi qui gradū petunt, diligentius se Philosophiæ studijs dedant: Eam ob causam gradus libenter conseruamus. Deinde animi est non abhorrentis ab humanitate, hanc harmoniam ordinum, quæ quidem Reipub. etiam maximas utilitates affert, magnificere & amare. Postremo quid hac ipsa horum consessuum celebritate pulchrius est? in quibus homines ingenijs, doctrina & uirtute præstantes conueniunt, ut audiant in quibus studijs uersetur iuuentus, quos faciat processus: iuuentus admonetur de multis magnis rebus, quarum cognitio ad uitam utilissima est.

mâ est. Si ludi gladiatorij fierent, aut si peregrinæ merces, aut belluæ exhiberentur spectandæ, qui concursus hominum tota urbe fierent? At reuera nullum est pulchrius spectaculum, quàm bonorum & doctorum uirorum cœtus: Nullum enim habet Respublica maius ornamentum. Et cum uirtute nihil sit admirabilius, magna uoluptas est bonæ menti, tales intueri uiros, in quibus lucet egregia uirtus. Itaq; honestum est uobis à Cynicis illis opinionibus dissentire, quæ hos mores insulsissime reprehendunt. Nihil autem in congressu eruditorum magis decet, quàm de rebus bonis dicere, aut disputare aliquid.

Proinde cum hoc tempore publici officij ratio mihi has partes dicendi imposuerit, & si agnosco, quàm multa in me iure desiderentur, quæ ad elocutiæ laudem pertinent, tamen cum & me & cæteros hunc morem conseruare deceat, nolui meam operam deesse Reipublicæ. Vicissim erit uestræ humanitatis, orationem meam boni consulere: quod ut faciatis, uos etiam atq; etiam oro. Cumq; in hoc loco de artium ac cæterarum uirtutum dignitate sæpe dictum sit, ego historiam commemorandam esse putaui, uitæ, scilicet Aristotelis. Non solum quia plus uoluptatis ex historia percipitur, delectat enim animos uarietas negociorum & euentuum, sed

etiam quia multis de causis prodest nosse magnorum uirorum consilia, dicta, facta.

Accenditur enim animus ad uirtutem, intuens in illorum exempla: Deinde de multis rebus admonemur. Multa imitari Scipionis aut Cæsaris consilia Imperator potest, ita nos in his studijs nostris, cum consideramus doctißimorum hominum in inquirendis, & tradendis artibus prudentiam acrationem, multa rectius iudicare possumus. Multum collatio præstantium artificum ad acuenda, formandaq; iudicia conducit. Dicam igitur de Aristotele, non ut fit in Panegyricis, sed breuiter ea, quæ de uita eius comperimus, recensebo: Deinde de genere Philosophiæ, & de scriptis eius aliquid adjciam, ut admoneam adolescentes, quod Philosophiæ genus maxime probandum atq; expetendum sit, & ostendam, quantum prosit ad Aristotelicam rationē, ac methodum assuefactum esse. Ita enim statuo sine hoc neminem unquam fore artificem methodi ullo in genere. Nec uero fieri potest, quin multa falsa sophistice misceant hi, quibus ignota est uia illa docendi, quam monstrat Aristoteles. Porro hæc Sophistica quantum parit errorum ac tumultuum in Ecclesia, & in Repub.? In fabulis est, Ixioni cum appetisset Iunonem, obiectam esse nubem, Iunonis specie, ex qua nati dicuntur Centauri. Ita indocti ex

ex falsis opinionibus ac Sophisticis, gignunt factiones Ecclesiæ exitiosas. Sed hæc postea erunt dicenda: prius enim uita percurrenda est.

Natus est Aristoteles in Macedonia, patre Medico Regis Amyntæ. Constat multorum testimonijs genus eius ab Hippocrate ortum esse: Nam posteritas Hippocratis degit in Thessalia, ac diu possessionem Medicæ artis retinuit, cum parentes artem liberis ordine quasi per manus traderent. Ita & Aristoteles à teneris domestica consuetudine, optima & purissima Hippocratis doctrina imbutus est, quam quidem eius scripta multis in locis redolent. Interdum etiam non solum sententias, sed uerba quoq; ab Hippocrate mutuatur. Egoq; ita statuo, uniuersam Aristotelis doctrinam eo esse simpliciorem, & magis methodicam, quia puer ad Hippocratis Philosophiam assuefactus est. Erant enim eo tempore & alij Physici, Democritum autorem sequentes, quorum doctrina plena fuit prodigiosarum opinionum, & perplexarum disputationum. Hos si Aristoteles imitatus esset, nequaquã hoc elegantissimum methodi filum, & hanc proprietatem tenuisset. Quanta autem cura, ac solertia in illa domestica institutione usi sint Hippocratis posteri, ex eo licet conijcere, quod Galenus ait: Ideo primum non esse scriptas anatomias, quia domestica

institutione notæ fuerint: Solitos enim Hippocratis posteros domi secare corpora animantium atq; hominum, & singula membra liberis inde usq; ad ueneris spectanda proponere. Itaq; cum esset Aristoteles ab ipsis cunabulis assuefactus non ad inanes, & perplexas λογομαχίας, sed ad rerũ agnitionem, & ad quærendas causas: ex hac puerili consuetudine duas egregias uirtutes, & in primis dignas uiro docto consecutus est, uidelicet, diligentiam in quærenda methodo, & amorem ueritatis: Abeunt enim studia in mores. Quare diligentia euoluendi res obscuras ordine ac proprie, studium quoddam, & amorem ueritatis in omni uita parit. Postra natus annos 17. missus est Athenas ad Platonem audiendum, qui tunc summa ingenij & doctrinæ laude florebat. Cum natura contigisset Aristoteli omnium disciplinarum capax, magna hæc fœlicitas fuit, quod primum domestica institutione ingenium excitatum & præparatum est, deinde quod accesit ille præstantissimus Magister, qui naturam fœlicissimam perpoliret. Hæc, ut ego quidem arbitror, ita gubernauit Deus, ut perfectum artificem haberemus eius partis Philosophiæ, in qua elaborauit Aristoteles. Audiuit autem Platonem annos uiginti, hoc est, ferè ad quadragesimum usq; ætatis suæ annum. Nec interim scholas habuit, sed ipse sese exer-

exercuit in omnibus disciplinis. Inquisiuit, legit, excussit omnes autores, adeo, ut propter uarietatem lectionis ac doctrinæ, appellaretur à Platone Lector. Hoc in loco subit admirari prudentiam Aristotelis, qui tam diu hæserit apud magistrum, nec putarit subito eius doctrinam exhauriri posse. Est & grauitas digna laude, quod sero admodum docere cœpit: Nam Platone uiuo non habuit scholas. Multa autem extant honorifica testimonia Platonis, de huius ingenio: Vocabat enim Aristotelem Philosophũ ueritatis, & comparans eum cum Xenocrate, ait Aristoteli freno opus esse, Xenocrati calcaribus. Vicissim de Magistro nisi præclare sensisset Aristoteles, tam diu non putasset audiendum esse. Dicitur etiam Platoni aram posuisse, & Epigramma addidisse, quod extat, in quo amplissimis laudibus ornat Platonem. Nam uel hic unus uersus indicat quantum ei tribuerit, cum ait:

Nulla ferent talem secla futura uirum.

Quod uero homines imperiti simultatem quandam inter eos intercessisse putant, eò quod Aristoteles interdum à Magistro dissentit, inepta opinio est. Nam ut in Senatu in dicenda sententia sæpe amicissimi sine offensione animorum dissentiunt, ita boni & docti uiri sine acerbitate animorum dissimiles habent opiniones. Sed de hac opinionum dissimilitudine

paulo post dicam. Post Platonis mortem, cum iam celebraretur domus Aristotelis à nobilissimis hominibus, incensis discendi cupiditate, accersit eum Philippus Rex Macedonum, & tradit ei filium in disciplinam. Porro nisi & doctrinam & mores Aristotelis Rex Philippus, qui acutissime de ingenijs iudicare poterat, probasset, nequaquam ei filium tantæ spei, & generosissimæ indolis commendasset. Itaq; hoc testimonium Philippi, de Aristotele grauissimum est iudicandum. Ne ipse quidem alumnus, cum esset heroico & excelso ingenio, tantopere amasset Magistrum, nisi ille ad doctrinam adiunxisset morum sanctitatem, & suauitatem. Sæpe autem prædicauit Alexander, se non secus amare Aristotelem ac patrem. Mansit autem Aristoteles apud Alexandrum annos circiter octo, quo tempore cum alias Philosophiæ partes ei tradidit, tum uero etiam medendi artem. Atq; hac in re non tam fœlicitatem Aristotelis admirandam puto, quod ei contigerit erudire Regem, unum omnium longe ingeniosissimum, & quem fata ad imperium orbis terrarum uocabant, quàm prudentiam laudandã esse iudico, quod ea tradidit adolescenti, quæ uehementẽ naturam flexerunt ad suauitatem, quæq; ipse sensit regnanti magno usui, & magno ornamento esse. Sic enim ait Alexander, malle se doctrina

doctrina, quàm imperij magnitudine excellere. Postquam uero Alexander in Asiam traiecit, Aristoteles redijt Athenas, ac scholas habere cœpit. Cumq; uideret cum rerum scientia eloquentiam coniungendam esse, matutina studia, seu, ut ipse nominabat ἑῴδινα, tribuebat Philosophiæ, uespertina seu δείλινα Rhetoricis exercitijs. Vnus omnium maxime uidit cognationem artium: Nam Physicen instituit, & inchoat à Geometricis demonstrationibus. Ideo omnes artes tractabat, scribebat de natura rerum, de moribus, de immortalitate animorum, & rebus cœlestibus. Multa componebat ad Alexandrum, ut uictor Respub. legibus, iure, iudicijs, disciplina muniret. Hic scripsit aureos illos libros de historia animalium, qua in re non solũ Aristotelis diligentia mirifica, sed etiam Alexandri liberalitas laudanda est. Nam id quoq; regium est, Rempu. artibus & literis ornare. Cum enim priuatis sumptibus explorari naturæ animantium non possent, misit Alexander Aristoteli octingenta talenta, hoc est, quadringenta & octoginta millia coronatorum, ad conducendos uenatores, & alendas bestias, ut eorum naturæ considerari possent. Etsi autem quædam præclara scripta eius perierũt, tamen existimo ea, quæ reliqua sunt, quæ quidem scholis maxime apta sunt, diuinitus seruata esse, ut posteritas rectius

doceri posset. Postquam enim in Græcia, ut fit, recentiores Philosophi, Stoici, Epicurei, & Academici cœperunt in admiratione esse, cum quidem plerique sint ineptiarum ac Sophistices, doctrina ueteri ac eruditiore neglecta, scripta Aristotelis excutiebantur studiosis de manibus, & libri in bibliothecis paucorum, uetustate & carie consumebantur: Actantus thesaurus prorsus perijsset, nisi Syllæ fœlicitas nobis hæc quæ habemus, reliqua fecisset. Is enim bibliotheca in bello parta (nam olim Imperatores hanc prædam, ut bona scripta seruarent maxime captabant) cum essent ibi multa Aristotelis uoluamina, sed pene obliterata, curauit undiq; in Græcia eius autoris libros conquiri, & emendatos ab Andronico publicauit. Ita quemadmodum uiuo Aristoteli amicus fuit Regum summus, ita pene extinctum reuocauit in lucem summus & fœlicissimus Imperator Sylla. Extant tamen adhuc uestigia huius calamitatis, in his libris qui reliqui sunt, in quibus apparet alicubi mutilatas esse sententiolas. Porro renouato Aristotele, paulatim recentiores sectæ frigere cœperunt, cum se hi, qui plurimum ingenijs pollebant, ueteri doctrinæ dederent. Sed redeo ad historiam uitæ.

Docuit Athenis annos tredecim, nec solum doctrinæ laude urbem celebriorem reddidit, sed etiam ciuibus

ciuibus magna beneficia impetrauit ab Antipatro, qui Macedoniam gubernabat, & unice Aristotelem præceptorem diligebat. Cum autem certamina Athenienſium cum Antipatro poſtea creſcerent, ne ipſe quidem tutus fuit Athenis. Nam cum homines inuidi ſperarent eum facile poſſe opprimi, inuiſum iam propter Antipatri amicitiam, finxerunt aduerſus eum impietatis crimẽ, quòd fabuloſam Deorum multitudinem reprehendebat, & unam aliquam æternam atq; infinitam mentem, cauſam omnium rerum eſſe affirmabat, illud etiam Homericum citans:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Formidans igitur iniqua iudicia, conceſſit in Chalcidem, quæ erat in fide Antipatri. Neq; hæc calumnia, neq; hæc fuga, uiri Philoſophi gloriam obſcurant. Sed hoc genus periculorum, quod commune eſt omnibus bene merentibus de genere humano, potius magnum addit cumulum ad eius laudes. Primum enim ipſa ueritatis profeſſio honeſtiſſima eſt: Hanc autem in periculis retinere, nec ullis minis aut cruciatu ullo deterreri ac depelli à recta ſententia, hæc grauitas conſtantiaq; proprie digna eſt uiro Philoſopho. Glorioſum eſt igitur Ariſtoteli, numerari inter ſummos uiros, qui propter honeſtas opiniones & recta conſilia à Sycophantis uexati aut oppreſſi

sunt. Et quoniam omnibus ætatibus Sycophantæ bellum gerunt cum ueritate αὐτοψίᾳ, erigamus animos exemplis præstantiũ illorum uirorum, nec iniquitate hominum sinamus nos ab officio abduci. In secessu illo aliquanto post mortuus est, anno, ut ferunt, climacterico, sexagesimo tertio ætatis suæ. Mores eius et si in oratione ipsius perlucent, tamen iudicari possunt ex tot Regum ac Principum uirorum beneuolentia erga eum, quam, nisi fuisset in eo singularis grauitas, tueri non potuisset. Testamentum eius etiã declarat, quàm fuerit φιλόσοφος & diligentißime enim commendat uxorem & liberos Antipatro. Sunt & alia humanitatis plena in testamento, quæ ne sim prolixior omitto. Nunc quàm sit egregia imago nobis proposita uiri Philosophi, seu hominis uersantis in studijs, eaq; referentis ad communem utilitatem, ita intelligere poteritis, si animo totam historiam intuebimini, & considerabitis uim atq; impetus ingenij, primam eius institutionem, studiorum gradus, infinitam discendi auiditatem, fidem ac dexteritatem in docendo, laborem scribendi tot egregia monumenta, morum grauitatem & humanitatem: postremo etiam iniurias quas à Sycophantis accepit. Quem non delectet uidere et considerare in uno uiro, tam multas heroicas uirtutes? Cum enim in hoc genere perfectus artifex fuerit, satis

tis apparet diuinitus eum heroica natura præditum fuisse.

Hactenus de uita dixi, multa breuius quàm res poscebat: Nunc de eius Philosophia dicam. Erat autem hæc pars orationis multo longior futura, nisi angustia temporis uetaret. Conferendæ enim erant sectæ, quædam etiam de Platone dicenda erant, sed hæc breuiter perstringam. Tanta est eloquentia Platonis, ut haud dubie longe antecellat omnibus quorum extant literæ. Multæ etiam sapientissimæ cogitationes sparsæ sunt in eius monumentis, sed nullam artem integre, neque ordine tradidit. Deinde maxima pars operum ironica est, quæ figura ad deridendum accommodatior est, quàm ad docendum. Athenæus scribit quendã Platonis auditorem Cheronem consecutum tyrannidem in patria, imitatum esse absurdas illas disputationes de communi usu rerum & mulierum: Tulisse enim legem, ut domini & serui communiter omnibus fortunis et uxoribus uterẽtur. Ita male intellectæ Platonis ironiæ, ineptum hominem prorsus infatuarunt. Aristoteles, contra discentium utilitati consulere, & scholas iuuare uoluit: Hæc uoluntas etiam in Philosopho magnam laudem meretur. Integre complexus est artes, Dialecticen, Physicen, & Ethicen, & duas res adhibet, quæ lumen afferunt in docendo, methodum

dum, & proprietatem sermonis. Vtile est igitur adolescentes ad Aristotelicam consuetudinem assuefieri. Platonica illa licentia in disputando parit incertas & ambiguas opiniones, non secus ac pictores ludentes pingunt chimeras aut centauros. Quantum autem & rebus ipsis Aristoteles uincat alias sectas, ex eo intelligi potest, quod Dialectica nulla alia digna uisa est, quæ peruenire ad posteros, nisi Aristotelica, quod Physicen ex Geometricis initijs prudentissime ducit. Quàm uenustum est, quod unus uidit naturam uirtutis, esse affectuum mediocritatem? Quo consilio grauissime significat animos assuefaciendos esse in omni uita ad mediocritatem. Sed reprehenditur in Aristotele obscuritas, quam quidem ipse affectasse dicitur, quia dixerit libros suos editos esse, & non editos. Meo iudicio longe alio consilio hoc dictum est: Videbat prudentissimus uir hanc methodi rationem non animaduerti posse, nisi à liberaliter institutis. Ideo inquit, non esse editos, uidelicet, ineptis, qui non præparati alijs artibus, ista attingebant. Magna est elegantia & perspicuitas orationis multis libris. Alicubi propter rerum exilitatem, quam ille propter methodum consectatur, disputatio fit obscurior: sed animaduersa methodo, tenebræ illæ discutiuntur. Callimachus rogat Charites, ut manus delibutas fragrantibus succis la-

uent

uent in suis elegis, ut possint esse perpetui propter gratiam & uenustatem. Tanta est autem suauitas rerũ atq; orationis in Aristotele in plerisq; scriptis ut in libro de animalibus, in Politicis, in Ethicis, in Epistolis et alijs multis locis, ut iure existimari possit, Charites aliquid succi aspersisse de manibus, ut Callimachi uerbis utar. Quid quod eius libri pro bibliothecis esse possunt? Plurima enim ex ueteribus monumentis quæ interciderunt, citat, ac propter huiusmodi flosculos, arbitror Aristotelem à Cicerone flumen aureum uocari. Quàm multa interpretatur Platonis dicta, ut in quinto Ethicorum, cum quidem sumpserit collationem de proportionibus à Platone, tamen accommodat uenustius: Sed desino, nam omnia persequi nimis longum fuerit. Hæc eo dicenda putaui, non solum ut magis ametis Aristotelem, sed etiam ut cogitetis, cur sit amandus, & in manibus habendus: Planeq; ita sentio, magnam doctrinarum confusionem secuturam esse, si Aristoteles neglectus fuerit, qui unus ac solus est methodi artifex. Nec alia ratione ad methodum assuefieri quisquam potest, nisi in hoc genere Philosophiæ Aristotelicæ mediocriter exerceatur. Quare uos hortor, non solum uestra causa, sed etiam propter uniuersam posteritatem, ut hoc optimum doctrinæ genus diligenter colatis & conseruetis. Plato ait, igniculum illum à

lum à Promotheo de cœlo allatum, methodum esse. At hoc igniculo amisso, rursus homines transformarentur in beluas: profecto enim sublata uera docendi ratione, nihil distant homines à beluis. Vt igitur hunc igniculum retineamus, hoc doctrinæ genus, quod tradidit Aristoteles summo studio conseruandum est.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE HIPPOCRATIS VITA.

EXcusat me publica consuetudo, quod in hoc loco de nostra professione dico. Etsi arbitror uos eruditissimos homines, nulla de re libentius audire, quam de ea arte, quæ propter doctrinæ uarietatem, ac suauitatem longe princeps est omnium philosophiæ partium, & de humano genere optime meretur. Ego tamen ut quantum possem, leuarem fastidium, institui hoc tempore orationem, de principe nostræ artis Hippocrate, id eo feci, quod arbitrabar hoc argumentum non minus, uel ad delectandos eruditos, uel ad excitandos adolescentes, cum ad medicinæ, tum uero ad uniuersæ philosophiæ studium accommodatum esse, quam ipsius artis Encomia, quæ de more hic recitari solent. Delectat enim per sese historia, propter admirationem eximiæ uirtutis, & exuscitat recta ingenia, tum ad cognitionem, tum ad amorem summarum artium: multò etiam monet, quæ in ipsis artibus exercendis usum habent. Nam excellentium artificum exempla, multò illustriora sunt ipsis præceptis. Vtinam uero effigiem Hippocrate dignam, oratione fingere possem, sed quoniam id non

potest breuiter fieri, deumbrabimus imaginem hoc tempore, & quasi primas eius lineas ducemus, & pauca quædam illius summi uiri preconia colligemus, quæ quidem spero uos audituros esse libentius, si cogitabitis, uos plurimum huius artis autoribus debere. Omittam autem peruulgata illa de patria Hippocratis, quæ nota sunt omnibus. Sed quoniam perfectæ atq; heroicæ uirtutes existere non possunt, sine aliquo diuino afflatu, ut conuenit inter omnes doctos, & prudentes, non possum hoc loco præterire quod uerissimum esse res loquitur ipsa, à dijs ortum esse Hippocratem, hoc est peculiari quadam & Heroica ui diuinitus ad hanc infinitam naturarum uarietatem cognoscendam & patefaciendã, excitatum esse: aut si hoc magis placet, quemadmodum de Homero uenustissime dicunt, fuisse eum non hominem, sed deum quendam missum in terras ex superum concilio, ut hoc diuinum carmen ad homines perferret: ita uideri potest Hippocrates non tam homo, quàm deus quispiam missus in terras, ad ostendendam medendi artem salutis hominum causa. Neq; enim dubiũ est, quin hæc ars diuinitus ad homines peruenerit: nam tanta uarietas rerum in natura perspici ac deprehendi non potuisset, nisi monstrante deo. Quæ autem homini maior laus, quam diuinitatis cognatio tribui potest? quæ sine controuersia,

omnium

omnium præstantißimarum uirtutum semina continet: ac talis cognatio, in Heroicis naturis esse solet.

Cæterum historiæ testantur Hippocratem in familia Medica natum esse, in qua perpetua serie maiores ipsius hanc artem, & tractauerunt & exercuerunt. Itaq; quod plurimum refert, acceßit ad excellentem naturam institutio & doctrina, quanta potuit esse ante Hippocratis monumenta: Et qui dem inde usq; à prima pueritia uersatus est apud Medicos, & audiuit in hoc genere Principes, & in his etiam suum patrem. Postea peruagatus est uniuersam Græciam, regiones Græcis uicinas, primũ, ut ubiq; peritorum iudicia exploraret, deinde etiã, ut ægrotis opem ferret. In hac peregrinatione, cum errata empericorum plurima deprehenderet, ut ipse in Epidemijs significat, Medicinam ad rationem reuocauit, ac non solum seruauit singulos, sed sæpe etiam ciuitates uniuersas.

Cum in Illyrico & Peonia ingens pestilentia orta, grassari iam in uicinis regionibus cœpisset, remedia publicè proposuit, quibus contra id malum munijt Thessaliam, ac reliquam Græciam. Misit non solum discipulos, sed etiam filios ac generum passim ad ciuitates, ut monstrarent remedia & rationem arcendæ pestis, syluas etiam incendit, prudenter ob-

seruatis uentis, ut aërem flamma purgaret, incitata aduersus pestilentes regiones.

In bello Sociali, Athenis subito nouũ quoddam, & inusitatum morbi genus ortum est, qui contagione latissime uagari cepit. Thucydides maiorem fuisse morbũ inquit, quàm ut describi possit, & asperiorem quàm quantum humana natura tolerare potest: tantus enim in febri ardor fuit, ut plerisq; oculi, manus, aut pedes, uelut incendio quodam in cinerem redacti, perierint, intra octauũ diem, plerosq; omnes necauit. Tentata sunt remedia omnis generis: Vota etiam publicè facta, ut exposcerent auxilium à Deo: Postremo cum nulla, neq; diuina, neq; humana ope curari ac depelli malũ posset, accersitus est ex Thessalia Hippocrates, qui cũ uenisset Athenas, morbi naturam diligenter obseruata, remedia Athenienſibus ostendit, quibus primum mitigari malum cepit. Itaq; Athenienses publicè ei coronã auream in theatro decreuerunt, dederunt & Ius ciuitatis. Manſitq; Hippocrates postea Athenis, donec Alcibiades exercitũ traiecit in Siciliam, ibi nouo beneficio sibi deuinxit Athenienses. Cum enim Medicum quærerent exercitui adiungendum, ipse filium Thessalum iussit unà cum exercitu in Siciliã nauigare. Expetitus est & à Regibus: Nam Rex Persarum propositis maximis præmijs accersiuit eum,

eum, sed huic respondit, se patriæ natum esse, quæ cum ipsius opera indigeat, non debere se eam desere re: qua in re ostendit, se non habere artem in quæstu, sed humanitate adduci ad homines iuuandos.

Macedonicis Regibus familiaris fuit, nam maximam partem ætatis Lariſſæ in Theſſalia egit, quæ Macedoniæ uicina est, ibiq; domum & coniugem et liberos habuit. Estq; ex hac familia postea in uniuersam Græciam Medicina propagata. Et ut hoc obiter dicam, duxit ex eadem familia originem & Aristoteles, patre natus medico regum Macedoniæ. Ferunt Hippocratem hoc modo in noticiam regum Macedoniæ peruenisse. Cum Perdicas deperiret patris Alexandri pellicem, adeo ut tabe absumi uideretur, pater frustra expertus alios Medicos, uocauit ad se Hippocratem, qui cum nullam aliam probabilem morbi causam cerneret, deprehendit iuuenem, tum exhilarari, tum ingemiscere, tum rubescere, tũ pallescere, conspecta patris pellice. Interrogatus igitur iuuenis, amorem confessus est, ita prudentia Hippocratis regius adolescens seruatus est. Sed suspicor hanc fabulam ex Erasistrati historia huc translatã esse, quem constat hoc modo seruasse Seleuci filium contabescentem amore concubinæ patris.

Nos illa sumamus, quæ & propria sunt Hippocratis, & ueram habent in artifice laudẽ. Exercue-

runt Medicinam in Græcia ante Hippocratem Empirici & gymnastæ, qualis fuit Prodicus, qui ut annotauit Hippocrates in Epidemijs, cũ exercitijs febres depellere conaretur, interfecit ægrotos hac ipsa ratione curandi. Horum errores cum animaduertisset Hippocrates, Medicinam reuocauit ad rationẽ, atq; artem effecit. Neq; uero ut Democritus & alij quidam, qui se Physicos appellari uoluerũt, tantum ociosis disputationibus se dedidit, sed ad experimenta atq; obseruationem, adiunxit causas & rationes, hæc est laus ipsius propria Hippocratis. Cumq; natus esset ad benemerendum de uniuerso genere humano, & docuit ipse plurimos sua ætate sine inuidia, & artem scriptam eruditissime reliquit.

Plato ait ueteribus hunc morem fuisse, breuibus quibusdam sententijs tanquam oraculis, tradere suã Philosophiam. Ideo uidetur & Hippocrates hac usus breuitate, in qua tamen tanta est rerum copia, ut appareat eum & aspexisse animo uniuersam rerum naturam, & omnes Physicæ partes complecti uoluisse. Quidquid enim de corporum naturis, de morborum causis, de signis, de symptomatis, de remedijs reliqui philosophantur, qui ingentia uoluminare liquerunt, id quasi præmonstrant Hippocratis sententiæ, quas quidem quoties lego, mirabiliter afficior, cum illam, & doctrinæ uarietatem & sapientiæ magnã

magnitudinem apud me considero. Et quidem non solum hinc extiterunt Medicorum disputationes, sed etiam Plato & Aristoteles plurimum ab eo sumpserunt, neq; id dissimulant, prædicant enim honorificè, quoties eum citant. Et mihi quidem Aristotelis Physica, hoc est, disputationes de generatione, & corruptione corporum, de naturis elementorum, de animantium naturis, aut ex ipsis Hippocratis libris, aut certè ex eius doctrina, quæ floruit in Hippocratica familia, ex qua diximus Aristotelem ortum esse, magna ex parte nata est.

Porro quanta laus sit ingenij, tantam uarietatem rerum in natura potuisse perspicere, quantum hic labor afferat utilitatis uniuerso humano generi, nemo pro dignitate eloqui potest. Illud tantum dicam, uos qui huic studio uos dedistis, in hunc uirum tota mente, totoq; animo intuemini: & cum doctrinam ipsius diligenter excutite, tum uero etiam exemplum sequimini, ac statuite ad exercendam Medicinam non solum afferri debere uulgares obseruationes, aut experimenta, sed multò magis rationem ac doctrinam, id quod Hippocrates & præstitit ipse princeps, & ut idem faciant alij grauissimè præcipit, & quidem inquit Medicum Philosophum uirum diuinum esse, seu ut ipsius uerbum ex primam, Deo similem. Id certè ob eam causam di-

cit, ut hortetur nos ad naturæ & causarum cognitionem, quæ cum ipsa per sese res est eiusmodi, nihil ut contingere homini melius, ac diuinius possit, tum uero ita necessaria est in exercenda arte, ut illi, qui non adhibent doctrinam, carnifices, non Medici iudicandi sint. Non enim fieri potest in tanta causarum, & circumstantiarum uarietate, ut idem experimentum ubiq; ualeat, quod cum non sit obscurum, tamen si quem nihil hæc eruditorum iudicia mouent, exempla consideret, qualem carnificinam illi sicarij exerceant, neq; enim aut rara sunt, aut obscura talia exempla. Ac debebat quidem bonos ipsa doctrinæ dignitas, & suauitas ad discendum inuitare, quod enim homini non monstrosa mente prædito, iucundius esse spectaculum ullum potest, quàm ipsa naturæ contemplatio? cum nihil aut pulchrius, aut melius sit, ipsa rerum natura: Delectat enim uidere, mirabili ratione omnia distributa esse, neq; quidquam esse ex quo non magnæ existant utilitates. Sicut & Aristoteles inquit, nullam rem in natura esse, in qua non insit quiddam admiratione dignum, neq; quidquam esse casu factum, sed omnia finis alicuius gratia nasci. Harum rerum cognitio & per sese est suauissima, eò quod ad eam propriè conditi sumus, & habet utilitates infinitas. Sed si quos hæc parum mouent,

uent, illud saltem considerent, non solum impudentes, sed etiam improbos eos esse, qui cum salutem hominibus in discrimine uitæ polliceantur, non sunt in arte ne mediocriter quidem instructi, quam profitentur. Idq; peccatum, leges etiam plecti iubent: Sed tuetur eos, uel stultitia, uel peruersitas hominum. Sed desino hac de re longius dicere, pleni sunt enim libri nostrorum authorum, qui uos ad ueræ doctrinæ studium hortantur, quoties hac de re præcipit Hippocrates? quoties Galenus? qui integrum librum in hanc sententiam aduersus Thessalum scripsit.

Hæc nos obiter tantum diximus, ad castiganda segniciem huius ætatis, quæ ita uersatur in artibus omnis generis, non ut solidam doctrinam percipiat, sed ut opinionem quandam auferat, qua se uenditet apud imperitos. At ea opinio hominum leuiter doctorum, in nostra quidem professione plurimum affert periculi, seu ut liberius dicit Hippocrates perniciem adfert his, qui tales consulunt. Idem uideo accidere in alijs professionibus.

Redeo igitur ad Hippocratem, huius sequi authoritatem uos præcipuè decet, qui Medicinam profitemini. Hic uos & uocat ad solidam doctrinam, & instruxit suis eruditissimis scriptis. Vir

dignus, quem propter ingenij diuinitatem, & maxima merita, & amemus & prædicemus. Ac ueteres quidem suo more retulerunt eum inter Deos, quod genus honoris habebant tantum summis uiris, & optime meritis de humano genere. Quales fuerint mores, facile est iudicium, nulla professio plus habet humanitatis, quàm nostra, quia opitulatur uitæ: ac ne fieri quidem potest, quin hominũ calamitatibus afficiatur Medicus, cum adest ægrotis, cum imbecillitatem humani generis comtemplatur, hæc flectunt animos ad humanitatem. Videmus autem in Hippocrate summum fuisse studium benemerendi de hominibus: deinde non possunt in tanta sapientia mores esse non optimi: Neq; enim fieri potest, ut mens occupata malis studijs, pariter se intendat in tantarum rerum inquisitionem. Et heroicæ naturæ diuina quadam ui, non solum ad magnarum rerum cognitionem, sed etiam ad omnes uirtutes excitantur: Et in hoc uno genere uerum est, quod Philosophi dicunt, uirtutes esse connexas. Quanquam quid opus est longa disputatione, extat eius Iusiurandum, in quo cum dira imprecetur sibijpsi, si eas leges non obseruet, non dubitari potest, quin illis suis legibus diligenter, & religiose paruerit.

Proinde cum cæteri omnes, tum uero præcipuè uos, quos hoc tempore in amplissimũ ordinem me dici-

dicinæ professorum recipiemus, proponite uobis Hippocratem & cognoscendum & imitandum. Nemo fidem & diligentiam in medendo præstare potest, quam et requirit ipse & præstitit, nisi ad uulgarem usum adiungat etiam eam doctrinam, quæ causas scrutatur: quemadmodum censuit Hippocrates esse faciendum, qui propterea Medicinam ad rationem reuocauit, quod sine ea doctrina periculose exercere medicinam uidebat. Nihil maius est quàm uitæ auxilium ab homine petere: Quare decet nos & fidem summam, & industriam quantam consequi acerrimo studio ac labore possumus, ad exercendam artem plenam humanitatis afferre.

DIXI.

ORATIO DE VITA GALENI, IN promotione Doctorum Medicinæ à Doctore Milichio recitata.

IVre Hesiodus ignauiam & stupo-rem humani generis taxat, inquiens, stultos mortales ne quidem maluæ & asphodeli utilitates nosse. Quid est enim indignius ac turpius, quàm quod conditi ad aspiciendam hanc rerum naturam, & quasi collocati diuinitus in hoc theatrum homines, ut intuentes mirificam cœlestium motuum et nascentium rerum uarietatem, agnoscamus Deum opificem, & quæramus salutaria uitæ præsidia, obliti huius muneris, & quasi cæci in theatro, non nos ipsos, non alias res uulgares quæ sunt in manibus, aspicimus atq; consideramus? At huic pulcherrimo spectaculo uulgus antefert beluinas et obscœnas uoluptates, aut sordidissimas stultissimasq; curas, quibus occupati animi non admittunt honestiores cogitationes. Etsi autem hæc socordia uel amentia potius hominum, uituperatione digna est, tamen magis illi qui destinati doctrinæ ac Philosophiæ, contemnunt naturæ inquisitionem, reprehendendi sunt. Quanquam enim non postulandum

dū est, ut uni studio omnes dediti sint, nam uitæ opus est multis ac dissimilibus artibus, & suus cuique locus, suus honos tribuendus est, tamen est humani animi, primum hanc doctrinam, quæ naturam quasi euolutam nobis spectandam proponit, amare, et magnifacere, decerpere etiam inde aliquid, nec prorsus expertem esse uelle huius dulcedinis, quam hæc cognitio parit, deinde fauere aliorum studijs, & adolescentes Philosophiæ destinatos hortari, ut meminerit se diuinitus ad naturæ considerationem, atq; contemplationem uocatos esse.

Quid homini conuenientius est, quàm meminisse solum hoc genus collocatum esse in mundum, ut hoc admirandum opificium contempletur? Deinde quid dulcius est quàm lustrantem singula, uidere ordinem atq; harmoniam corporum ac motuum? considerare nascentium uarietatem, et uidere singula ad certos gigni usus, ut ratiocinari possimus, hæc omnia à quadam æterna mente mirabili consilio atq; œconomia ita distributa esse. Et quidē ad hanc considerationem acres stimulos natura omniū mentibus indidit, & uoluptates adsert longe uberrimas cognitio. Quare si qui hoc studium uituperant, aut secum ipsi pugnant, aut à natura hominum degenerarunt. Tametsi certas herbas norunt ac meminerunt pleræque bestiæ ac uolucres, cerui dictamum,

muli

muli asplenum, elephantes oleastrum, mustelæ rutam, apri hederam, ciconiæ origanum, hirundines chœlidoniam, corui aron, cygni uiticen, quæ uulgo uocatur agnus, expetunt: quod ab ea in partu adiuuantur. serpentes fœniculum norunt, et nobis usum monstrarunt, ut Nicander scribit:

Exuuias postquam siccas, pigramq; senectam
Deposuit serpens in uere, & tardus ab antro
Caligansq; oculis quærit medicamina nota,
Et cum feniculi se germine pauerit, ipsi
Clara acies oculis redit inde uigorq; iuuentæ.

Deniq; exempla sunt innumera bestiarum, quæ uincunt plerosq; homines, ut ita dicam, solertia in inquirendis & explorandis naturæ miraculis. Turpe est autem hominibus non modo uinci diligentia atq; industria à bestijs, sed tantum addere furorem ut contemnant etiam hæc studia.

Quare studiosos quantum possum adhortor, ut debent facere omnes boni uiri, ut hanc doctrinam & ardenter expetant & colant, cuius cognitio non modo iucunda est, sed etiam infinitas utilitates adfert uitæ: Imo & mores naturæ inspectio considerationeq; flectit ad moderationem, & ad pietatem, ac mentes ad Dei admirationem excitat. Cum enim Deus nos in hoc spectaculo collocarit, nosq; iusserit opificium suum intueri & considerare, non existimemus

memus hoc studium inutile esse, nec sine culpa contemni. Hic quid dicam de Cyclopibus illis, qui non solũ inquisitionem aspernantur, sed etiam usum & remedia: cum sæuitiam exerceant in sua corpora immani ingluuie, immoderatis uigilijs & alijs modis: postea, sicut Stoici, fato aiunt regi ualetudinem & uitam, nec accersi morbos nostris uitijs, nec depelli diligentia ac remedijs, sed fato: Hæ uoces cum manifestum furorem significent, indignæ sunt refutatione, sed tamen interdum exempla nocent imperitis. Ideo adolescentes admoneo, ut hæc barbarica conuitia artis detestentur, quæ contumelia afficiunt Deũ, qui & leges tradidit, quibus regi uita debet, & præsidia ac remedia addidit, quibus admirabilem & uere arcanam uim indidit iuuandi corpora, monstrauit & artem ut his beneficijs apte uteremur. Itaq; Dei ordinationem, ac Dei beneficia aspernantur Cyclopes illi, si putant nihil esse uirium in rebus diuinitus conditis ad hominum salutem: Vt certi cibi ac potus humano corpori propositi sunt, qui cur in sanguinem uertantur, ut alant corpora, dicere non possumus, sed mirabilis indita uis est talibus rebus, & cognatio & συμπάθεια cum humano corpore, ut misceri et in unam naturam confluere possint. Ita in remedijs inest συμπάθεια arcana incertis membris aut humoribus, quorum efficacia manifesta

nifesta & certa est. Tanta est efficacia therebinthi-
næ in uulnerum simplicium curatione, ut res fateri
cogat arcanam uim illi remedio inesse, ac diuinitus
donatam esse generi humano ad uulnerum curatio-
nem. Quam efficacem & gratum usum fuisse balsa-
mi arbitramini? Ac mihi sæpe in mentem uenit,
ideo balsamum & myrrham Ebræis donatam fuis-
se, ut cum ad perpetuam militiam gens destinata
esset, nec res peregrinas inueheret, domi haberent
efficax & præsens remedium uulnerum. Comper-
tum est scorpios subito extingui impositoraphano.
Longum esset dicere de singulorum membrorum re
medijs, sed quotidiana beneficia medicinæ tantum
considerate, hæc testantur remedia efficacissima esse.
In destillatione uehementiori exhauriri ex pulmoni
bus lenta, acris & tenax pituita nõ potest sine medi
ca ope. Ad hunc usum res peculiares destinatæ sunt,
nec licet sine discrimine quibuslibet pharmacis uti.
Quantus usus est cicorij & absinthij in epate medi-
cando? quoties mulieribus certum exitiũ depellunt
absinthium & arthemisia? Sed omitto hanc comme-
morationem. Quæsita sunt remedia contra uenena,
estq; in hoc genere manifesta uis rutæ, quare ad ar-
cendam pestilentiam magnam uim habet: Et scribit
Athenæus Ponticum tyrannum solitum uenenis ne-
care inuitatos ad conuiuia ciues, id cum animaduer-
sum

sum esset, postea accessuri ad ipsius conuiuia, præmunierunt se ruta, atq; ita sine incommodo uenena hauserunt. Magis mirum est quod narrat de citrino pomo, & allegat testem qui fuit spectator eius euentus: In Aegypto cum ducerentur quidam sontes ad aspidas, ut eorum morsibus interficerentur, fortè muliercula quæ erat apud custodem carceris quadam misericordia mota, illis trementibus ac sitientibus dat pomum citrinum, ut uires reficerent, quo gustato ducuntur ad aspidas, quarũ morsu cum essent sauciati, uis ueneni non fuit efficax, nec extinguuntur uulnerati: nouitate rei obstupefactus Magistratus diligenter inquirit causas, cumq; inter cætera interrogasset quid eo die comedissent, fit mentio pomi citrini. Itaq; uim pomi experitur: Ducuntur alio die rursus ad aspidas, sed iubetur alter præmandere citrinum, alter prohibetur, ibi utroq; sauciato, extinguitur is qui abstinuerat à citrino, alter manet incolumis, qui gustauerat. Ac non modo historiæ, sed quotidiana experientia suppeditat innumerabilia exempla, quæ satis testantur certam uim remediorum esse. Quare Deum contumelia afficiunt, qui beneficia ipsius quadam immanitate morum aspernantur.

Hæc initio in summa præfari uolui et de doctrinæ ac Philosophiæ huius dignitate, et de utilitate remediorum,

diorum, ut cum artem cogitaueritis amandam & magnifaciendam esse, de ipsis etiam artis scriptoribus, qui suum studium in illustranda natura, et in iuuanda hominum uita consumpserunt, honorificentius sentiretis. Cum enim aliquid pro more dicendum esset, collegi quædam de Galeni uita & laudibus recitanda, quem scitis nos habere copiosissimũ Medicæ artis authorem. Arbitror autem natu maioribus ac prudentibus gratam esse commemorationem de uiri summi studijs, prudentia & diligentia, in arte cum tradenda tum exercenda: In medicando, iuuenibus profecto utilissimum est, tenere optima exempla, quæ imitentur & in discendo & in iudicando. Est autem Galenus Pergami natus, patre architecto ciuitatis eruditissimo, ut Galenus prædicat, in Grammaticis, Dialecticis, & Mathematis: ac narrat ipse, magnopere sibi hoc profuisse, quod tali natus sit patre, qui non solum amarit disciplinas, ut filium ad eas in tempore adhibuerit, sed etiam ipse docuerit. Ab hoc ait elementa artium didicisse, quibus perceptis, cum iam natus esset annos quindecim, ad professores Philosophicos deductus est: ubi cum exerceretur in Dialecticis & reliqua Philosophia, nam pater eum non Medicinæ, sed tantum professioni Philosophicæ, ut tum uocabatur, destinarat, adolescens cum biennium audiuisset Philoso-

phum,

phum, somnio, ut ipse inquit, maxime illustri monitus est, ut medendi artem disceret. Nec uero dubito, quin diuinitus ei species illa oblata sit, & additus impetus diuinitus ad hoc studiū. Erat illis temporibus dissipata ars, & ut ex Plinio intelligi potest, exorti erant impostores plurimi, qui deprauabant artem, non modo in exercenda Medicina, quod omnibus ætatibus accidit, sed multo magis in docendo, nouas præstigias ostentabant, immittebant in aquas feruentes ægrotos, quocunq; genere morbi laborātes. Deus igitur, cum & retinere artem, & conseruare ad posteros uellet, daturus orbi terrarū excellentem artificem, excitauit Galeni ingenium ad hæc studia. Deus enim conseruat ueras artes in uita, quod ex eo apparet, quia nulli existunt excellentes artifices sine diuino afflatu. Itaq; cum esset iam puerili doctrina præparatus in Dialecticis & elementis Philosophiæ, et ingenio ualeret, & flagraret animus discendi cupiditate, et quodam enthusiasmo, magno studio pariter in Philosophiam & Medicinam incumbere cœpit. Primum audiuit medicū, cui nomen fuit Satyro, qui fuerat Quinti auditor, celeberrimi interpretes, qui scholas habuerunt ante Galeni ætatem, ac studiose uersati in enarrando Hippocrate. Postea audiuit Pelopem Medicū, cuius etsi reprehendit quædam errata anatomica, tamen apud hunc in

anatomicis diligenter se exercuit. Magna frequentia tunc erat hominũ doctißimorum in urbe Aegypti Alexandria, quare eò profectus, studia illorũ ac iudicia explorauit. Deniq; ipse inquit, accessisse se atq; audijsse omnes suæ ætatis Medicos doctißimos, ac celeberrimos. Et quanquã ingenio admodum excelluit, tamen grauißimè obiurgat eos, qui sine præceptoribus arbitrantur se futuros artifices. Romam bis profectus est, primũ suo consilio, & ut Medicos ibi audiret, & ut ingenij specimen præberet in tanta luce, ac frequentia Doctorum, qui erant Romæ. Sed dissentiens interdum à cæteris, animaduertit se odia eorum incurrere, eamq; ob causam disputationes omisisse se inquit, præsertim cum in concionibus plus gratiæ, & opinionis colligere posset: ait enim sibi singularem adfuisse fœlicitatem in artis usu & curationibus, ut credibile est: erat enim diuino & heroico impetu ad Medicinã incitatus, quem comitari singularis fœlicitas solet. Venit Romam natus annos quatuor & triginta, ac plurima ibi scripsit, et in his quædã Philosophica de demonstrationibus, ut refutaret amentiam quorundam præstigiatorũ, qui eo tempore, ut artes euerterent, contendebant nihil esse certi, & omnium artium præcepta Sophisticis disputationibus labefactabant. Magna illis impostoribus ingenij laus uidebatur, non expli

care

care uera, sed receptas opiniones petulanter euerte-
re. Itaq; adeo exercuerunt Galeni ingenium, ut fa-
teatur se quoq; illam Pyrrhoniorum dubitationem
fuisse secuturũ, nisi fuisset puer ad Geometriam, &
ad demonstrationes assuefactus: qua disciplina non
tantum hoc assecutus est, ut certa ab incertis discer-
nere posset, sed etiam illud, quod multo maius est, ue
ritatis ut esset amantior, & freno quodam regeret
ingenium animaduersis demonstrationibus. Euri-
pides linguæ petulantiam uocat turpissimum mor-
bum: Sed nullis turpior est illa cauillandi licentia,
& ut ueteri Græcorum uocabulo utar σοφισμα
νία, & studiũ euertendi ueras & utiles sententias,
quàm Philosophis, qui ueritatis amorem ac defensio
nem profitentur. Iure igitur laudanda est uoluntas
Galeni, quod illas præstigias Pyrrhoniorum acriter
insectatus est. Scripsit autem eo tempore plurima,
quæ Romæ in incendio perierunt, cũ ignis late uaga
tus, etiam templum pacis, ubi scripta reponebantur
absumpsisset. Roma discedens, anno 37. ætatis
suæ, redijt in Asiam, in quo itinere arbitror eum
nauigasse in Lemnum, ut naturam terræ Lemniæ
uerè inquireret, qua in re diligentiam eius conside-
rare licet: Nam cum Dioscorides scripsisset, hirci-
num sanguinẽ miscere Lemniæ terræ, cuius magnus
in remedijs usus fuit, ipse ea loca unde eruitur, adijt,

ut certò exploraret quomodo appararetur, compe-
ritq; naturam esse metallicam, sine mixtura sangui-
nis hircini. Est autem hodie in tanto usu, tantaq; ad
miratione apud Thraces & Græcos, ut Turcicus
Tyrannus Legatis terrã Lemniam inter peculiaria
dona dare soleat: uidimus enim anno superiore ali-
quot σφραγίδας tales donatas Cornelio Scepe-
ro. Sed non multo post reditũ in patriam, reuocatus
est in Italiam literis Imperatorum Veri & Marci
Antonini, cum quibus ei magna fuit familiaritas, ut
ex aliquot ipsius narrationibus apparet. Et iudiciũ
Imperatoris de eo hac in re maximè apparet, quod
filij Commodi Cæsaris ualetudinem præcipuè Gale
no commendauit, proficiscens in Germaniam ad bel
lum Marcomannicum. Hoc tempore inquit se scri-
psisse diuinos illos libros Anatomicos, qui extant,
qui quidem non solum Medicinæ studiosis, sed omni
bus Philosophiæ amantibus in manibus esse debent:
profecto enim præcipua pars est Philosophiæ, do-
ctrina de partibus humani corporis, & earũ offi-
cijs. Cumq; sit plena suauitatis, ingentes etiam uti-
litates adfert, magnopere conducit singulis ad tuen-
dam ualetudinem: mores etiam regit, cum monet,
quid cuiusq; partis natura postulet. Deniq; cum
hanc admirandam texturam humanorum membro-
rum proponit, docet hanc naturã non casu extitisse,
sed

sed ab æterna quadam mente conditam esse, quæ non frustra uoluit esse adeo occupata in formando homine, sed significare, sibi genus humanũ curæ esse. Itaq; sapientissimè Galenus inquit, doctrinam Anatomicam initium esse Theologiæ, & aditum ad agnitionem Dei, suntq; eò magis amandi hi libri studiosis Philosophiæ, quia ea quæ desiderantur in Aristotelica anatomia, adiecit Galenus, quædam etiã erudite correxit, multis etiã locis Aristotelis lumẽ addidit.

Cum autem in bono Doctore non minus fides, quàm eruditio atq; industria requiratur, magnopere amandus est Galenus, qui, ut res ostendit, non solum industria & dexteritate excelluit, sed etiam fide. Quis est enim eo in docendo diligentior ac uberior? Ac de fide sua ipse inquit in tertio de locis affectis. Deum igitur testem facio, me dicturum esse, quod post longam inquisitionem in ipso artis exercitio, & in disputationibus cũ doctissimis uiris comperi, & uerissimum esse statuo. Quis talem animum tam & ueritatis amantem, & iuuandi generis humani cupidum non perpetua laude dignũ esse iudicet? Post interitum Antonini Philosophi, qui in expeditione illa mortuus est, cumq; adolescens Imperator Commodus magis delectaretur gladiatorum consuetudine, quàm Philosophorum, rediit Galenus in Asiam, & in patria ætatem consumpsit in

docendo, in exercenda arte, & in scribendo, seq; diligentia produxisse uitam ait usq; ad ultimam senectam. Præclarè igitur non solum de suæ ætatis hominibus, sed de omni posteritate meritus est, & erudiendis alijs, & scribendo, totam enim complexus artem, ingens uitæ præsidium posteris reliquit. Etsi enim postra Medicinam magna cum laude exercuerunt & Arabes, & Græci nonnulli, tamen fontes esse apud Galenum constat utriusq; generis, disputationum artis, seu dogmatici generis, & remediorum. Ac ut multa omittam, quantum illud beneficium est, quod ea doctrina, quæ uocatur Physica, nusquam extat aut eruditius, aut uberius tradita quàm in plerisq; Galeni libris, & tamen scripsit multo plura, quæ partim propter barbariem, quæ in Asiam & Græciam peruasit, partim propter alias causas interciderũt. Recitarem etiam quasdam ipsius diuinationes, & curationes admirandas, si temporis breuitas id pateretur. Læsis neruis in corpore humano & motus amittitur, & membra contabescunt: Primus autem Galenus rationem inuenit saucios neruos curandi. Quam sagax fuerit in inueniendis remedijs, obseruatis rerum qualitatibus inde æstimari potest: cum ex Alexandria in patriam rediret, diuertit in itinere in quoddam rusticum prædium, ubi fortè ægrotabat Dominus, ac

penè

penè suffocabatur uuulæ, & glandium tumore: Cum autem deessent alia remedia, & iam maturescerent nuces, considerata corticum natura acri & astringente, ex illis corticibus expressit succum, cui mel addidit, hoc remedio subito liberauit ægrotum, quo quidem postea se semper fœlicissimè usum esse narrat, ita in re uili, magnam utilitatem reperit. In præsentia non adijciam plura exempla.

Porro cum de uita hominum optime meritus sit hic scriptor, cum rerum naturam copiosissimè descripserit, cum remedijs plurimis nos instruxerit, cum ueterum Medicorum inuenta collegerit, & noua adiecerit, sciant studiosi uniuersam posteritatem plurimum ei debere: Eumq; sic ament, ut cognoscere etiam cupiant, sic enim sentio eos, qui in Philosophia uersantur, nequaquam sine Galeno tueri suum munus posse, nam & Aristotelis pleraq; sine Galeni enarrationibus intelligi non possunt. Denicq;, si quis alius, Galenus certè propter utilissima monumenta, quæ reliquit de natura, & de remedijs, hoc preconio dignissimus est, quo Homerus celebrauit Aesculapij filium: Vir Medicus multis alijs præstantior unus.

DIXI.

DE IRNERIO ET BARTOlo Iureconsultis oratio recitata à D. Sebaldo Munstero.

RBitror plerisq; uestrum notissimam esse historiam de Imperatore Romano Alexandro Seuero, qui cum cœtum haberet frequentem Iureconsultorum, plenum dignitatis, (nullam enim constitutionem faciebat, nisi uiginti Iurisconsultis adhibitis, cum quidem singulorum sententias scribi ac disputari uellet) magna beneuolentia omnes complexus est. Sed cum Vlpiano maior erat familiaritas, qui, ut nunc uocant summus Cancellarius erat: Hunc tanquam patrem uenerabatur, hic non modo curiam, sed etiam priuatam Principis uitam consilio & autoritate regebat. Incidit igitur & ipse in ea pericula, quæ natiua sunt omnibus aulis, magnis & paruis. Necesse erat eum interdum aduersari prætorianorum militum & præsidum cupiditatibus, quorum in illa Imperij opulentia & tranquillitate, præsertim tunc ingens erat licentia, superbia & rapacitas. Itaq; hi, qui uidebant licentiam suam frenari consilio Vlpiani, aliquoties in prætorio impetum in eum fecerunt. Ibi

Impe-

Imperator suum corpus militibus obiecit, ac toga sua Vlpianum texit, acerrima oratione furorem militum castigans, atq; ita tumultuantes compescuit, quo officio magnam Imperator iustitiæ & fortitudinis laudem consecutus est. Quos enim magis defendere debent principes, quàm consiliarios fideles, quos membrorum loco eos habere conuenit. Sed hoc exemplo non solum admonuit cæteros principes, ut corpora tegant suorum, sed ut illam ipsam Iuris doctrinam ac professionẽ cogitent acerrimis dimicationibus propugnandam esse. Pro hac opponant corpora sua, hanc autoritate sua tanquam clypeo tegant, aduersus opiniones illorũ, qui leges scriptas ac certas, qui hanc eruditam Iuris formam & doctrinam è Repub. tolli cuperent, quæ æquitatem ac libertatem singulorum munit, frenat licentiam potentium, ne quid sibi sumant aduersus imbecilliores contra iustitiam: Deniq; quæ magnum decus est ciuilis societatis. Itaq; ut Deus flectat animos principum ac potentum ad huius doctrinæ conseruationem, magnopere decet optare bonos & prudentes. Nam hac remota, ne dici potest quanta in aulis Tyrannis, in iudiciis barbaries, deniq; confusio in tota ciuili uita secutura esset, quam ut Deus prohibeat ex animo petamus.

Ab his uotis pijs et sanctis auspicari orationem

nolui. Nam de laude professionis, sæpe hic copiose dictum est. Singulare & admirabile Dei opus ac beneficium est hæc ciuilis societas, qua Deus inter se coniunxit ac deuinxit homines præcipue, ut ipsius noticiam alij alijs communicare possent. Huius diuini operis, uidelicet humanæ societatis, custos est lex, hæc retinet ac munit societatem, ut noticia Dei late propagari, ut regi ecclesiæ in pace, & erudiri, ut institui iuuentus ad agnitionem Christi possit. Ad hos fines tranquillitatem lex efficit, nec leuis est ea in re Iurisconsulti boni et pij opera. Lucere etiam ipsius fides in gubernatione solet. Quare leges & iuditia, politicum ordinem, iuris enarrationem & conseruationem, tanquam eximia Dei dona amare ac uenerari ex animo debemus. Hæc nota sunt, sed magnitudo harum rerum, & quàm pulchra, quam dulcis uitæ res sit tota harmonia politici ordinis, quam utilis ecclesiæ, non satis cogitari à iuuenibus potest. Quæ cogitantes, etiam ordinem Iurisconsultorum intelligent præclare de uita hominum mereri. Sed de toto genere doctrinæ sæpe hic dictum est.

Cum autem & mihi hoc loco dicendum esset, ut postulat consuetudo scholæ honesta, & utilis, delegi Historias aliquas Iurisconsultorum, qui inde usque à Lothario Imperatore floruerunt: Magnum enim calcar est bonis ingenijs ad uirtutem, intueri in

rii in exempla illustria. Nec fieri potest quin professionis reuerentia augeatur in ijs, qui illa lumina excellentium uirorum intuentur, qui tot iam seculis togatam administrationem Reip. magna ex parte, in Europa gubernarunt. Quis enim nostrum de Romano senatu cogitans, cum ibi Scipionem, Lelium, Fabium, Paulum Aemilium, & similes quosdam heroica uirtute præstantes, animo recenset, non uehementer admirantur illos uiros, tanquã cœlo missos ad illud Imperium constituendum & gubernandũ. Omnes profecto accendimur illorum amore, quanquam tot ante secula extincti sint, & optamus diuinitus etiam nostræ ætati tales heroas donari. Sic affici opinor bona ingenia, cum celebrari audiunt Irnerium, qui longo tempore Italiam rexit: aut Bartolũ cuius consilio plurimum usus est Carolus Quartus Imperator. Accedo igitur ad historiam.

Cum Italiam Longobardi & Franci dilacerarent, paulatim ibi forma iudiciorum mutata, barbarici mores recepti sunt, & Romanæ leges conticuerunt. Quanquam autem in Italia ueteris illius doctrinæ studia nulla erant, tamen Constantinopoli durauit professio iuris apud Imperatores Græcos, sicut ibi aliarum artiũ studia adhuc aliquanto magis florebant quàm in Italia. Extant adhuc Commentarij in ius Romanum scripti Constantinopoli

similes

similes glosis & enarrationibus Italicorum doctorum. Ideo postquam Italia à Germanis pacata esset, Othonum tempore, & paulatim mores longobardici emendarentur, apparet homines ingeniosos Romanum ius iterum desiderasse. Nonnulli etiam instituti & exculti Constantinopolitana doctrina, dexteritate in negotijs excellebant. Ita paulatim celebrari hoc studium cepit. Sed Henrici Quinti tempore, fuit in Italia uir summæ autoritatis gubernans eam partem, quæ tunc erat Romani Imperij Irnerius, is cum esset eruditus ut arbitror Constantinopoli, aut ab ijs qui audierãt Constantinopolitanos, sæpe ritus barbaricos in successionibus & alijs negotijs ex Romano Iure corrigebat aut moderabatur.

Fuerat Italia grauiter afflicta bellis Henrici quarti: multorum patrimonia uarie ut fit bellis ciuilibus translata fuerant. Ergo cum opus esset gubernatore prædito magna sapientia & æquitate: Italia non nihil recreata est prudentia & moderatione Irnerij, qui cum posteritati etiam consulendum putaret, cupiebat authoritate Imperatoria rursus proferri ius Romanum, ut certæ leges & eruditè scriptæ extarent: Nam incertum ius æternas discordias parit. Sed in Germania incidit in bella ciuilia. Postea Irnerius cum perspecta eius uirtus in gubernatione tam longa, & grandior ætas auxisset eius authoritatem,

fatem, nactus Imperatorem Lotharium Saxonem, non impeditum ciuilibus bellis, & qui plurima in Italia ad muniendam tranquillitatem constituit, fuit huic hortator, ut curaret Romæ & Bononiæ rursus enarrari ius Romanum, & ut controuersiæ ex Romanis legibus dijudicarentur. Ita rursus celebrari & coli studium Romani Iuris cœpit.

Nec inhonestum sibi Irnerius duxit, postquam tot annos cum magna gloria uersatus erat in Rep. in ultima ætate redire ad scholam. Sed quicquid ei autoritatis, gloria rerum gestarum & ætas pepererat, id conferre ad ornandum iuris studium uoluit. Meminerat principes Romanæ ciuitatis, Sceuolã, Crassum, Sulpitium & alios multos, qui cum essent consulares, cum prouincias rexissent, cum bella magna gessissent, tamen senes & docuisse ius & de Iure respondisse. Fertur autem Irnerius et Romæ et Bononiæ docuisse, & primus ex Italis Glossas textibus addidisse. Hæc auspitia fuerunt renouandæ huius doctrinæ fausta & læta Reip. Iam cogitate quanti sit negotij leges restituere mutata ueteri Reip. forma, prorsus antiquata fori consuetudine, amissa proprietate linguæ. Ex tantis difficultatibus cum primi illi restauratores fœliciter eluctati sint, & quasi quandam imaginẽ ueteris Reip. restituerint, necesse est eos non solum ingenijs & prudentia excelluisse,

quem

quem rerum usus acuerat, sed etiam diligentiaui mirabilem ac studiū adhibuisse in conferendis legibus, & considerandis fontibus ac rationibus eruditissimarum constitutionum. Opinor tamen Græcorum commentarijs adiutos esse, quorum aliqui adhuc in Italia habentur. Vt autem Romæ Papinianus auditores plurimos summa eruditione, & summis ingenijs præditos post se reliquit Vlpianum, Paulum et alios multos: Ita Irnerium secuti sunt ipsius auditores Bulgarus, Azo & alij, qui pariter & in administratione Reip. & in schola floruerunt. Excitata igitur Italia huius doctrinæ admiratione, magno studio in eā incumbere cepit. Quare multi extiterunt, qui docendo, scribendo, respondendo, regendis Imperijs, optime de uita hominum meriti sunt. Nec negari potest huius doctrinæ cognitione Italiam, Galliam, & Germaniam, factas esse cultiores atq; mitiores. Postquam enim in iudicijs multi barbaricitus correcti sunt, et actiones ac sententiæ requirebant quandam eruditionem, mores etiam flecti ad humanitatem magis ceperunt, & accesserunt literæ eruditiores, & quædam Philosophia ac maior discendi cura. Nam hoc Ius Romanum haud dubie eruditæ quædam philosophia est. Quare etiamsi non reuocatum esset in fōrum, tamen legendum & cognoscendum fuisset hominibus doctis accessuris ad Rem pub.

pub. multo magis quàm Aristotelis Politica, quæ quidem sapienter et utiliter scripta esse iudico. Nec uero mihi legenti uetera ac barbarica iura horridæ gentis Germanicæ, ut sunt Vuestualici ritus, uenit in mentem perinde hanc nationem factam cultiorem acceptis Romanis legibus: ut in fabulis ferunt, monstratis frugibus, homines uiuere cepisse commodius, cũ antea pecudũ more glandibus uescerentur.

Magna profecto & diuina res est constitutio ciuitatum & legum mutatio in melius. Eaq; quæ constat rectè & fœliciter constituta esse non temere labefactanda sunt, ne & donum Dei aspernari sic uideamur, & motis rebus publicis sine necessaria causa sequantur maiora incommoda. Facile est autẽ ut Pindarus inquit cuiuis mutare ciuitatis statum, sed rursum sedare et in tranquillũ restituere solius Dei. Cum igitur euentus ostendat in ipsa iuditiorum emendatione ius Romanum diuinitus institutũ esse, agnoscamus, & grati tueamur Dei beneficium.

Sed redeo ad scriptores: Bartolus uixit tempore Imp. Caroli Quarti & quanquam magnam laudem adeptus est, propterea quod plura scripserit quanta quisq; ante ipsum: tamen in summa admiratione est propter ingenij dexteritatem et amorem ueritatis. Ingenij fœlicitas ex eo æstimari potest, quod iuuenilia studia celerrime absoluit, & adhuc adolescens

lescens celebritate nominis fere totam Italiam compleuit. In L. quidam cum filiũ de uerb. oblig. Narrat Bartolus ipse primum curriculum suorum studiorum, his uerbis, quæ recitabo ut hæc commemoratio magis moueat animos: Est etiam ipsius oratio quasi quædam pictura humanissimi et modestissimi animi. Cum enim ea lex dicat. Si quis promittat se aliquem tractaturum ut filium, non esse prætereundum in testamento. In hac lege cum sit casus ut ipse ait, qui nusquam alibi extat in Iure, multa disputans Bartolus, narrat præceptorem suum aliquos exposititios pueros hac stipulatione alijs commendasse, ac adijciat mentionem gratissimam præceptoris, & primæ ætatis suæ, sic enim ait: Ego magistrum habui, qui uocabatur frater de Ascisio: Nunc uero uocatur Frater Petrus pietatis, sic dictus, quia locum ibi erexit, qui domus pietatis uocatur, ubi infantes exposititi aluntur. Vir est expertus, nullius hypocrisis, miræ sanctitatis, apud me & omnes, qui eum bene noscunt, cui gratias ago exemplo Aquilij Reguli in titulo de Donat. L. Aquilius, qui dum me rexit, custodiuit à lapsu, & dei beneficio & sua doctrina me talem reddidit, ut in quartodecimo anno ætatis meæ in ciuitate Perusina sub Domino Cyno de pistorio, iura ciuilia audire inceperim. Et eius perseuerante gratia, continuè sudando ita profici, ut

ut uicesimo anno Bononiæ reputando & disputando publice de iure responderim. Deinde uicesimo primo anno Doctor creatus sum. Et ex magno amore, quem erga illius fratris Petri bonitatem habeo, cum calamus hæc scribit, cordis oculus lachrymas mouet: Ipseq; uir uenerabilis Petrus dixit mihi, se plures ex illis pueris expositis hoc pacto alijs tradidisse, ut eos non aliter, quàm filios tractarent.

Hæc sunt Bartoli uerba, quæ ostendunt non modo uim ingenij, qua mirabili celeritate ad fastigium amplissimæ doctrinæ contendit, sed etiam eius pietatem erga Deum, & gratitudinem ergà præceptorem. Paulus de Castro narrat, ab eo repetitionem legis de ætate .ff. de minoribus, ita elaboratam esse, ut quinquennio eam retinuerit ante editionem, & subinde correxerit, & perpoliuerit: Idq; ait prædicasse ipsum Bartolũ, additq; obiurgationem iuuentutis, quæ nunc stultè gloriatur de celeritate, inquiens: Nunc puderet aliquem si fateretur se menses sex tribuisse tali operi, sed scribunt subito pereuntia. Illa Bartoli repetitio durabit ad omnem posteritatem. Hæc Paulus de Castro.

Omitto pleraq; preconia Bartoli, de eius ingenio & scriptis, ac tantum referam Panormitani dictum, in Cap. cum nobis de præscript. qui ait, omnium

nium iudicio Bartolus omnes scribentes in æquitate & ueritate antecellit. Nec profecto minus fidei & autoritatis hoc testimonium habere censendum est, quàm quod Cicero impertit Seruio Sulpitio, cum ait: Nec uero silebatur admirabilis & incredibilis, & penè diuina eius in legendis, interpretandis, & æquitate explicandis, scientia: neq; enim ille magis Iurisconsultus, quàm iusticiæ fuit. Hanc ipsam laudem, quam Seruio tribuit Cicero, doctores probatissimi magno consensu tribuunt Bartolo. Etsi autem non peruenit ad senectam, mortuus est in anno ætatis suæ 46. tamen Reipub. præclarè satisfecit, non solum in schola, sed etiam in foro & curia. Fuit enim assessor Tuderti & Pisis: Fuit & Consiliarius Imperatoris Caroli quarti laudatissimi Principis, qui magna uirtute pacauit Italiam diu conflictatam bellis intestinis sub Ludouico Bauaro: In ijs Italiæ moribus sedandis, in constituendis iuditijs, & pace munienda, Carolus maximè usus est Bartoli consilio, perinde, ut Augustus Capitonem, et Trebatium adhibuit post bellum ciuile, ad legum & iudiciorum, & totius ciuilis status emendationem.

Hæc de Bartolo breuiter ex ueris historijs collegimus. Iam cogitate qualis error sit, ut nihil durius dicam, tantos uiros de toto genere hominum optime meritos, non magnifacere, nec eorum uirtutes &

& merita intelligere. Iuuentutem uero adhortor, ut discat uenerari hos excellentes uiros præditos singularibus & cœlestibus donis, & bene merentes de cõmuni societate. Nec uero ulla uoce humana satis prædicari potest magnitudo huius meriti, quod non solum suam ætatem erudijt, & contulit industriam, & pacem, ad disciplinam retinendam, ad tranquillitatem communis societatis, quam Deus uult nobis curæ esse, sed etiam omnem posteritatem scriptis docet, in quibus neruos tradit pacis & disciplinæ.

Vtinam talium uirorum consilia ualerent in Rep. Sicut apud Lotharium Irnerij, apud Henricum Lucelburgensem Bulgari, apud Carolũ Quartum Bartoli autoritas ualuit. Nam ueteres omitto. Iulium, Augustum, Traianum, Seuerum, Alexandrum, qui nihil decernebant, nisi adhitis aliquot Iurisconsultis. Cum enim Princeps sit custos legum, & iusticiæ, & Resp. habeat opus scripto Iure, non potest sine uoce, sine consilio Iurisconsulti recte tueri suum munus. Sed ut Demosthenes inquit: Dei sedi astare iusticiam gubernatricem hominum, sic adesse Principibus monitores eruditos in legibus oportet.

Dixi de duobus Iurisconsultis, de cæteris fortasis alias dicturus. Nunc adhortor iuuenes: primum ut uenerari hos heroicos uiros discant, deinde ut

auide eorum doctrina frui ſtudeant. Poſtremo, ut quantum quisq; pro ingenij ſui uiribus poteſt, diligentiam eorum, & ſedulitatem imitari conentur, quod, ut faciant, multæ graues cauſæ ſingulos huic profeſſioni deditos adhortantur. Pertinet enim hæc ars ad cuſtodiam publicæ pacis, quam ſi adiuuamus, ita ut officia noſtra referamus eò, ut ornemus religionem, ut luceat noſtra fides in his actionibus, & proſimus ueræ Eccleſiæ, ſciamus nos Deo gratiſſimum cultum præſtare. Hunc enim finem eſſe ciuilis ſocietatis Deus uoluit, ut uera ipſius notitia inter homines illuceſcere, & late ſpargi poſſit: Hunc finem nos in omnibus ciuilibus officijs intueri omnino conuenit.

DIXI.

Epice-

EPICEDION ERASMI Roterodami.

APOTHEOSIS QVOQVE eiusdem.

Autore Melchiore Acontio.

PHILIPPVS MELANthon.

Quamuis ingrata est hominũ natura, nec unquam,
Reddere pro meritis præmia iusta solet:
Nulla tamen laudes ætas abolebit Erasmi,
Non omnino mori gloria uera potest.
Scriptorum utilitas ingens fastidia uincet,
Et mixtæ Charites, & nitor, atq; lepos.
Non aliena augent igitur præconia famam,
Aeternum peperit nam decus ipse sibi.
Sed tamen est pietas meritis hunc reddere honorem,
Et grata munus uoce referre datum.
Hoc animo carmen facundus Acontius edit,
Quo celebrat laudes Roterodame tuas.
Non uena indigna est, quæ magnum cantet Erasmũ
Officij laudem sed magis ille petit.

ILLVSTRI ET GENEROSO
Comiti, D. Ludouico Comiti à Konigstein &
Stolberg, Melchior Acontius
S. D.

CVra gerendarũ dum te Comes inclyte rerum,
Iuraq; dicendi grande fatigat onus:
Me tellus Boreæ, Septemq; propinqua trioni,
Et locus immiti frigore plenus habet.
Hic ubi Pierides ductore Melanchthone sector,
Et studijs mores ingeniumq; colo.
Sæpe quidem patriæ mihi dulcis imago recurrit,
Et subeunt, puero qui placuere, lares.
Forsitan & cuperem, si qua ratione liceret,
Nunc quoq; natali proximus esse plagæ.
Sed teneor blando quorundam carmine uatum,
Quos admirari saxa uel ipsa queant.
Namq; suos etiam tulit hic Amphionas orbis,
Et multi nostro tempore numen habent.
Hi mihi ceu captam retinent cum corpore mentem,
Hos ego non homines, sed reor esse Deos:
Quorum dum cupidas accommodo uocibus aures,
Vix patriæ possum, uix memor esse mei.
Insuper æquales studiorum fœdere iustos
Hic mihi non paucos conciliauit amor.

Cum

Cum quibus interdum soleo iuueniliter audax
Ardua Musarum per iuga ferre pedem.
Et lustrare sacrum, quem fecerat ungula, fontem,
Atq; nouem precibus sollicitare Deas.
Necraro uacua meditamur carmina mente,
Hæc mihi non unum surripuere diem.
Etnunc læticiam testantes pangere uersus,
Nunc hilares mœstis posthabuisse iuuat.
Sicetiam nuper defuncto tristis Erasmo,
Funereos iussi carmen habere modos.
Complexusq; uiri non fictas ordine laudes,
Manibus inferias triste poëma dedi.
Hoc igitur, quoniam placuit committere luci,
Ipse uelis studij pignus habere mei.
Olim, difficilis si non prohibebit Apollo,
Digna tuis factis nominibusq; canam.
Cum faustis auibus patrias reuocatus in oras,
Illa, quam dederint numina, sorte fruar:
Vrselidesq; ferent reduci noua munera nymphæ,
Quem precor & spero non procul esse diem.
Interea primos non aspernare labores,
Quos potes haud nullo dicere iure tuos.
Vtq; diu Musis, merito quas semper amasti,
Ceu debes, posis consuluisse, Vale.

FLebile nunc elegi tenues mihi fundite carmen,
Mœstáq; non fausto nectite uerba die.
Plena grauis luctus sint omnia, plena doloris,
Triste sonet quicquid triste sonare potest.
Si pia res unquam lachrymæ fletusq; fuerunt,
Nunc oculus, merito quod fleat, omnis habet.
En iacet Aonidum nitidus flos, si tamen ille
Cuius adhuc supereſt fama, iacere potest.
Sustulit heu nobis mors impia corpus Erasmi,
Et iam terra pij contegit ossa senis.
Ah nimium Fatis licuit, nimiumq; Deabus,
Arbitrio quarum uita stat atq; cadit.
Quis furor hic etenim, uel quæ dementia Parcæ
Dicite, uos auidas iussit habere manus?
Perdere cum multos soleatis, parcere nulli,
Gloria quæ uobis inde uenire potest?
Vestra quot heroas manus ire coëgit ad orcum,
Fortia quot stygijs corpora mersit aquis?
Vos neq; forma capit, neq; commouet ullius ætas,
Abripitis pueros, abripitisq; senes.
Forsan & hoc ideo Parcarum nomen habetis,
Parcere quod uestræ non didicere manus.
Sed toleranda fuit tamen illa potentia, si non
Sæpe bonis etiam pernitiosa foret.
Si libet, & uobis est tanta nocere uoluptas,
Lædite quos rectum lædere ius q; sinunt.

Cur

Cur hominum pestes, infaustáq; pondera terræ,
Quàm decuit, finitis longius esse super?
Nam quid uiuus adhuc cœlestes inquinat auras,
Cuius tam fœde scripta, Doletus, olent?
Cur tot flagrantes odijs & cæde tyranni,
Qui bene non unquam sed male semper agunt?
Cur alij, quorum iam nomina quilibet odit,
Quosq; piget numeris inseruisse meis?
Hos auferte procul, ne cladibus omnia turbent,
Hæc date (non debent uiuere) monstra neci.
Esse bonis tutos liceat, quid perditis illos,
Quorum uita decens & sine labe manet?
Vestra minabuntur post hac quoq; stamina diuis,
Nec poterunt leges fata tenere suas.
Limina tartarei fumantia Regis adibit
Iuppiter, & manes, iussus obire, petet.
Totáq;, ni fallor, rerum natura timebit,
Nec redeat uastum, quod fuit ante chaos.
Desinite ô tandem, uiresq; remittite uestras,
Iam satis absumptum sanguinis esse puto.
Ista dolens casus indignáq; fata piorum
Tristitiæ pleno carmine questus eram.
Ecce superuenit Parcarum maxima Clotho
Vtq; colum dextra fortè tenebat, ait:
Quid iuuat iniustas toties iterare querelas?
Non semel hæc aures perculit aura meas.

Multi sæpe mihi dixerunt talia Vates,
Et rea non ueri criminis acta fui.
Quod pereunt mortis subiecti legibus omnes,
Nemoq; ius illud ne moriatur habet:
Hæc Iouis in manibus sunt omnia. Iuppiter author
Perpetua ferri singula lege iubet.
Nos nihil audemus, nisi quæ mandauerit ille,
Exequimur famulæ quod iubet alter, opus.
Ah quoties lachrymis fletuq; rigauimus ora,
Flectere cum nulla fata liceret ope?
Rupimus inuiso pro stamine sæpe capillos,
Et tamen immites dicimur esse Deæ.
Plura uidebatur dictura, sed altera uenit,
Cœpta iubens propere ducere fila soror.
Ad solitos igitur rediens inuita labores,
Fugit, ut ex oculis fumus abire solet.
Tunc, ut erat casu præsens, ita uoce profatur
Melpomene studij fax & amica mei,
Inq; uiri laudes sic Pieris ora resoluens
Insequitur Parcæ talibus orsa sonis.
Quàm poteras fœlix Germania nuper haberi
Cum tuus optato sydere creuit honor,
Tam potes infœlix hac tempestate uocari,
Qua tuus in uentos penè recessit honor.
Et tamen est aliquis mortem patienter Erasmi
Qui ferat, & cupiat non etiam ipse mori.

Ingratum

Ingratum genus est hominum, mentisq; ferinæ,
Publica quod sicco lumine damna uidet:
Nec patriæ casu uel iniqua sorte mouetur,
Sed mala, quæ patitur, more furentis, amat.
Ah ne tam rigido quisquam mihi pectore uiuat,
Indomitos feritas uix decet ista Getas.
Tu potius, quoniam clademq; miserrima sentis,
Qualibus & donis sis spoliata uides.
Flebilis inferias Germania mitte sepulto,
Et dic: Has mitto Roterodame tibi.
Nam cur non doleas, cur non solennia mittas,
Cuius ob interitum cuncta dolere uides?
Quo moriente, uagos qui ducit in æthere currus,
Nubibus ipse suum texit Apollo caput.
Et testata noui causam Natura doloris,
Protinus amisso signa colore dedit.
Nos quoq; mors hominis, iacturaq; publica mouit,
Et nihil in toto, lætum Helicone fuit.
Vidimus & Charitum stillantes nectar ocellos,
Vidimus agrestes collachrymare feras.
Maxime sic etiam, memini, te luximus Orpheu,
Attonitis Orpheu dilacerate choris.
Aut te, qui residens Dyrcæo monte solebas
Dulcibus in muros saxa uocare sonis.
Nec minus hoc nobis fuerat moriente dolendum,
Vltima quàm ueniens cum tulit hora Linum,

Qui

Qui genitore licet se iactet Apolline natum,
Vix tamen huic dici par similisue potest.
Traxerit è duris alius (sino) montibus ornos,
Vocalique truces mouerit arte feras:
Iusserit inceptos conuertere flumina cursus,
Fecerit ingenium cuncta nouare suum.
Dum nobis artes reuocasse feratur Erasmus,
Atque suum studijs restituisse decus.
Dum procul ablato ueteri squalore situque
Fecerit insolitis cuncta nitere modis.
Vnius & studio nobis operaque repente
Fulserit è media candida nocte dies.
Dum fera Barbaries procul hinc excedere iussa
Exulet, ad duros transierit que Getas.
Maximus Alcides passim fera monstra subegit,
E quibus æternæ nomina laudis habet.
Contudit immanem generosis uiribus Hydram,
Nec timuit fortem fortior ipse Leam.
Nil potuit Caci rabies, nil ter geminus rex,
Herculeæ sensit robur uterque manus.
Et geminos una superauit nocte dracones,
Atque sui generis pignora certa dedit.
Quamuis paruus adhuc gremio nutricis inhærens
Infans exigua lactis egebat ope.
Necdum se dubijs audebat credere plantis,
Editus ut fuerat mensibus ante decem.

Grandius

Grandius his monstrum longeq; nocentius orbi,
Sustulit hic, quamuis uix bene natus erat.
Nam simul ac pulchræ ueniens genitricis ab aluo
Exierat, primam contigeratq; diem,
Venerunt Charites uultu cultuq; decoræ,
Effq; magis solito uisa nitere domus.
Protinus infantem sparsere recentibus undis,
Vnaq;, tu noster, dixit alumnus eris.
Propter & ornatos in amico pectore mores,
Nomina tam pulchris dotibus apta geres.
Te Desiderium præsens mirabitur ætas,
Te Desiderium secla futura canent.
Ista locuta dedit fœlicem nectaris haustum,
Quo solet in cœlis Iuppiter ipse frui.
At fera Barbaries stabilis non inscia fati,
Tempus ut excidij sensit adesse sui,
Fatalis pueri cunabula tristia quærens,
Mouit inornatos horrida Diua pedes.
Trux facies, stantes oculi, sine lege capillus,
Et decor in gressu nullus euntis erat.
Vt tetigit limen, puerumq; uidere iacentem
Contigit, incultis murmurat ista sonis:
Quis Deus, aut quodnam puer immitissime numen
Authorem cladis te iubet esse meæ?
Tú ne meis coges iterum me cedere regnis,
Et noua mutato quærere sceptra loco?

Cur

Cur tibi præ reliquis hanc spondent sydera laudem?
Qui fit, ut astrorum te chorus omnis amet?
Non equidem paterer, si talia sponte moueres,
Nec tua cœpta deum proueherentur ope.
Nunc superis cedo, quamuis inuita, tibiq;
Do puer, alterius numine uicta, locum.
Certa mei fugiens tamen hic monumenta relinquã.
Nec sine uindicibus sola, uidebis, ero.
Progenies ueniet, quæ semper iniqua Camœnis,
Et tibi quàm speras durior hostis erit.
Dixit, & in Scythiam squallenti turbida uultu,
Adq; suos populos plena doloris abit.
I nunc, Herculea domitos uirtute dracones,
Tristiaq; in cunis monstra subacta refer.
Strangulat Alcides sinuosos fortiter angues,
Barbariem fugat hic, magnus uterq; puer.
Sed tamen ille minor tanto debebit haberi,
Quanto Barbaries tristius angue malum est.
Talis erat pueri natalis. At aurea postquam
Proueniens cœpit barba notare uirum,
Eloquij tantum superauit honoribus omnes,
Anseribus quantum carmine præstat olor.
Maxima lux olim Romanæ Tullius urbis,
Ipse probaturus uerba loquentis erat.
Audisset populi si circumstante corona
Conspicuum Latio digna sonare foro,

Forsan

Forsan & admirans hominem, dixisset, hic ille est,
Quem propriæ socium laudis habere uelim.
Quinetiam Græco tantum sermone ualebat,
Siue quid audebat scribere, siue loqui,
Natus ut Argolica potuisset in urbe uideri,
Tantus erat cultus, tantus in ore nitor.
Vtq; simul breuibus connectam plurima uerbis,
Maximus ingenio, corpore paruus erat.
Scilicet hoc multo præuiderat ante Rodolphus,
Excellens Phrysij lumen honorq; soli.
Qui puerum quodam miratus tempore dixit:
Tu, nisi me fallant omnia, magnus eris.
Ergo quòd Ausonias Germania suscipis artes,
Et tua Cecropios percipit ora sonos,
Incipiunt ueterum quòd scripta placere legenti,
Nec, quod eras nuper, barbara terra manes:
Principio debes illis, quibus omnia debes,
Vnde, boni quicquid prouenit, omne uenit.
At si mortalem superis adiungere fas est,
Post superos partem laudis Erasmus habet.
Qui sibi non tantum uoluit sudare tot annos,
Adq; uoluptatem cuncta referre suam,
Sed procul ingenij riuos manare per orbem
Siuit & egressos finibus ire foras:
Esse nihil quoniam præstantius ipse putabat,
Quàm bene de patrio promeruisse solo.

Contulit

Contulit huc igitur generosi pectoris heros
Quicquid erat studij, quicquid habebat opum.
Incumbensq; dies operi, noctesq;, laborum
Sola mihi dixit patria, finis erit.
Nec mora tot nobis ueterum monumenta reduxit,
Tot super hæc proprio condita Marte dedit,
Vt citius stellis & amœni floribus horti,
Quàm numerum libris constituisse queam.
Hoc reuocata nouam ductore tragœdia lucem
Sensit & è tenebris sustulit orta caput.
Exhibuitq; graui spectacula digna cothurno,
Et cœpit Latijs uersa placere modis.
Vidisti scelus iniusti pœnasq; tyranni
Auersata ferum Teutonis ora nefas.
Virgineoq; truces placari sanguine uentos,
Iudicio res est impia uisa tuo.
Hæc etiam populus quondam spectauit Athenis,
Dum status incolumis sorsq; benigna fuit.
Non tamen huic penitus studio se dedidit unquam,
Grandius inuicto corde mouebat opus.
Carmine nec uoluit mansurum quærere nomen,
Quamuis nunc etiam carmine nomen habet.
Tædia sed duri cupiens uitare laboris,
Ad uatum nitidas sæpe redibat opes.
Inq; poëtarum solitus requiescere syluis,
Gaudebat teneris uerba ligare modis.

Multo

Multo plura quidem numerorum lege soluta,
Omnia sed multo splendidiora dedit.
Hæc Charites, Charitũq; nitor germanus, et Horæ
Floribus ornarunt delitijsq; suis.
At sale Mercurius niueo, molliq; lepore
Condijt, & Genium munera rara dedit,
Ne uel eis liuor, uel secula longa nocerent,
Clara sed ac tempus chara per omne forent.
Ausus es infœlix tamen hæc quoq; carpere liuor,
Liuor iners mentis degenerantis opus.
Ausus es inuidiæ stimulis œstroq; subactus
Insignem rabido dente notare uirum.
Quemq; nec ingenio furiose nec artibus æquas,
Non pudet iniustis dilacerare modis.
Cum nihil in toto reprehendi corpore possit,
Nescio quos næuos non tolerare potes.
Desine nec frustra male sanos attere dentes,
Si non uis alijs parcere, parce tibi.
At nisi cessabunt odiosæ uerbera linguæ,
Forte pijs aliquis manibus ultor erit.
Et uel rumperis citius, uel tabe peribis,
Quàm pereat ueræ nobilitatis honos.
Vincit ad extremum mala fortiter omnia uirtus,
Inq; sua pulsis hostibus arce manet.
Quid queror ingratos mores, infidaq; corda?
Sæpe bonis merces nunc solet ista dari.

At non restituit solas pro uiribus artes,
Quas tamen est magnus restituisse labor.
Nec uoluit scriptis ita deditus esse prophanis,
Nollet ut idcirco consuluisse sacris.
Non minus hæc etenim quàm cætera luce carebant,
Plenaq; barbaricæ plurima noctis erant.
Sacra premebatur tenebris scriptura, situq;
Orba suo cultu, lumine cassa suo.
Squallidus huc etiam subiens irrepserat horror,
Regnabatq; adeo tristis ubiq; lues.
Non tulit immensi rex hoc & conditor orbis,
Pressa satis miserè iam sua scripta putans.
Ergo repurgari cœlestia dogmata mandat,
Hoc placet, hoc animo nocte dieq; sedet.
Deligitur sanctæ pietatis amator Erasmus,
Ipse nec immensum ferre recusat onus:
Sponte sed haud una uitiatis parte medetur,
Omnia candori restituitq; suo.
Sicut in excidio Solymorum præstitit Esdras,
Ne caderet patriæ relligionis honor,
Vndiq; collectis dum sacra uolumina libris
Non sinit hostili tota perire manu.
Sic cauet hic etiam, calamoq; fideliter usus
Non sinit immundo cuncta perire situ.
Cumq; tot extiterint de relligione tumultus,
Secula quot constat nulla tulisse prius,

Sic

Sic se perpetuo moderatum gesſit, ut author
Nullius aut rixæ diſſidijue foret.
Ponite sæuitiam (dicebat) ponite Reges
Bella, quid inuito sumitis arma Deo?
Prælia diſcordes quid tanta paratis utrinq;?
Non ita res debet relligionis agi.
Pace opus eſt, ualeant crudi certamina Martis,
Bella nihil proſunt, pax bona cuncta dabit.
Exiguo magnas damno componite lites,
Ne proprias odijs dilaceretis opes.
Seu bellare iuuat, celebresq; parare triumphos,
Non procul à uobis Turcicus hoſtis abeſt.
Finibus hunc patrijs arcete, ſed aurea leges
Pax alat, & uobis præſit amica domi.
Talia dicentem laudarunt ſæpe tyranni,
Adq; pij uoces obſtupuere ſenis.
Nec ſemel his monitis ferrum poſuere monarchæ,
Sæua quibus cordi prælia nuper erant.
Sic etiam Graij ſcripſerunt Neſtora uates
Facundo ſolitum regibus ore loqui,
Omnia cum dubio feruerent caſtra tumultu,
Et fremerent moti bella nefanda duces.
Nec fortuna pijs conatibus abfuit unquam,
Aequa ſed ac facilis perſtitit uſq; comes.
Tempora nec uetuit contingere longa ſenectæ,
Atq; ſua canos proſperitate frui.

Sed fatis utinam protracta uolentibus esset
Vita recessuro nuper ad astra seni,
Donec principibus toto semel orbe coactis,
Concilio fieret consilioq; locus.
Forsan ibi potuisset res fulcire ruentes,
Tollere consilijs & mala multa suis.
Verum Dijs aliter uisum est, qui totius orbis
Fluctibus è medijs eripuere senem,
Fœlicemq; suis manibus super astra locarunt,
Conspicuum terris, conspicuumq; polis.
Nunc ubi cœlicolas inter turbamq; piorum
Ocia cœlesti cum patre lætus agit.
Talia, si fas est mihi uerba referre deorum,
Dicta uerecundo Pieris ore dabat.
Cuius nos cupide numeros uocemq; secuti
Hæc damus in mortem Roterodame tuam,
Vt uirtutis adhuc, quamuis sublatus abisti,
Atq; tui memores nominis esse scias.
Nunc, quo signetur tumulus, breue carmen habeto,
Mortuus Aonium si modo carmen amas.
Hoc Desiderio Charites statuere sepulchrum,
Texeruntq; sua corporis ossa manu.
Gloria per totum celeberrima spargitur orbem,
Nec uoluit clauso marmore fama tegi.
Maior eris Latio Germania, maior Athenis,
Si fueris talem rursus adepta uirum.

Apotheosis

APOTHEOSIS D. ERASMI Roterodami.

FLecteret auratos cum nuper in æthere currus,
Ingentemq; sua lustraret lampade mundum,
Sydeream radijs frontem præcinctus Apollo
Vidit, & ut uidit miserabile funus alumni,
Palluit, obducta uultumq; nigredine pressit.
Et, quis finis, ait, quæ tandem meta laborum,
Quisue doloris erit mihi terminus? usq; uidebo
Quos amo, quos foueo, quos post me lumina mundi
Dicere iure queas, rigidæ succumbere morti?
Mallem equidē caruisse oculis, quibus omnia cerno,
Funera quàm toties indigna uidere meorum.
Fata Mosellani referam? quid durius illis?
Aut tua Corde decus medicorum, & gloria uatū?
Corpora qui succo releuabas, carmine mentes,
Occidis, & subito natos tua pignora linquis.
Nec tibi, quam noras, medicinæ profuit usus,
Nec tua te potuit diuina iuuare poēsis.
Non obscura Faber nostri quoq; gloria secli,
Intima qui sophiæ penetralia mente subibat,
Gallia iam dudum quo se iactabat alumno,
Hoc nimium fatis properantibus occidit anno.
His alijsq; meo ne desit causa dolori,
Te quoq; iam uita functum, iam lumine cassum,

Orbis Eraſme decus, ſtudiorumq; unice uindex
Addidit, ac diris mors ſtrauit iniqua ſagittis.
O facinus, nulloq; tacenda iniuria ſeclo.
Debueras uenerande ſenex ſuper æthera uiuus
Excedens terris in regna uenire deorum,
Et poteras alia forſan ratione uenire,
At tu pallida mors, nigra ſata nocte Ereboq;
Corporeæ finis uitæ, melioris origo,
Quæ minimos ſummis, humiles illuſtribus æquat,
Et, uelut æſtiuus nutantia gramina meſſor,
Omnia falce metis, quando libet, omnia perdis.
Inuiſum terris, inuiſum nomen Olympo,
Sed mihi præcipuè, ne non tibi iuſta rependam
Accipe quæ debes, pro tali præmia facto.
Namq; dies ueniet, nec me mea tempora fallunt,
Quo cum dæmonibus cœleſti ſede fugatis
Ante triumphantis currum religata traheris.
Deſuper applaudent, inſultabuntq; iacenti,
Quos dedit immiti quondam tua dextera leto.
Mox etiam præceps longo per inania lapſu,
Sulphureasq; domos Stygiamq; redibis in aulam,
Hucubi ſæda ſitu tenebroſi Acherontis ad undam
Debita iamdudum tibi regna tuisq; parantur.
Ne tamen interea benefactis præmia deſint,
Quod doleas aliud nunc accipe: Namq; uidebis
Viuere crudelis quem tu uixiſſe putabas,

Vitaq;

Vitáq; iam duplex una pro morte redibit,
Et fœlix terra pariter cœloq; fruetur,
Hac tellure frui cui uix satis ante dabatur.
Proq; tot eximijs ac tam præstantibus actis,
Gloria per terras, per cœlum spiritus ibit.
Nomen humi remanere uolet, mens astra tenebit,
Quàm bene cui demum fas est ita uiuere uiuit.
Sic inimica noces, sic aufers improba uitam,
Vt subeat melior, longeq; beatior illi.
Sic sine fine potens, sic sis metuenda licebit,
Sic nulli poteris metuenda potensq; uideri.
Hæc fatus Maia genitum uocat, ille uocanti
Astitit, & iussus properanter adire Camœnas,
Aethereum pede carpit iter, cœlumq; relinquens
Fertur, & Aonij petit alta cacumina montis.
Quæ postquam tetigit, certantes ludere Musas,
Ac de more uidet celeres agitare choreas,
Dulciaq; alterno recitare poëmata uersu.
Quas procul inclamans, desistite lusibus, inquit,
Flete Cytheriades, Germanicus occidit Orpheus,
Vester honos perijt, uestras renouate querelas,
Vnanimesq; uiro persoluite iusta Camœnæ,
Quos meruit uiuus, morienti debentur honores.
Dixit, & alarum sublatus in æthera motu,
Deseruit terras, & sese reddidit astris.
Illæ autem tristes coëunt, plenæq; doloris,

Luctibus indulgent omnes. Lugentibus astat
Iam non læta satis demisso Gratia uultu.
Astat & ipsa Venus, Venerem comitantur amores,
Demittuntq; alas humeris, nec, ut ante, pharetris
Instructi quatiuntúe faces, teloúe minantur.
Ipsi etiam dominas inter, luctumq; Dearum
Incedunt, unaq; pij tristantur olores,
Ac mœstum tenui meditantes gutture carmen,
Non aliter quàm si iam fata suprema uocarent
Dilectas ripas dilectaq; prata relinquunt,
Nec uelut ante suis pariter merguntur in undis.
Hæ quoq; turbato iam scilicet amne feruntur
Per gelidas ualles, resonant lugubria ualles,
Et quasi sentirent prætendunt singula luctum,
Non animata licet, stat ubiq; doloris imago.
Tum Dea, quæ cœli motus arcanaq; nouit,
Cui genus & nomen cœlo deducitur alto,
Forte leuans oculos, aciem direxit Olympo,
Et subito mentem pariter uultumq; resumens,
Quid tamen hi gemitus, aut quid suspiria prosunt
Afflictæ tandem satis ô nimiumq; sorores?
An noua nunc fatis indicere bella paramus?
Perpetuo nexis inter sese ordine fatis?
Quæ grauis incusare dolor, non uincere quisquam
Vllis temporibus potuit, poteritúe potestue.
An nos, quæ miseros tristi reuocamus ab orco,

Atq;

Atq; alijs monſtramus opem, ſolæq; putamur
Aduerſas lenire uices, decorare ſecundas,
Non pudet aſſuetum non hic ſeruaſſe tenorem?
Non pudet hic non eſſe Deas? quas ſcilicet ipſe
Iuppiter agnoſcit natas, prolemq; fatetur?
Quæ genus è Diuis & ab æthere ducimus ipſo?
Sed res ipſa uetat modo longius ire dolorem,
Et noua iam nobis ſpectacula præbet Olympus.
Aſpicite ingentes cœtus, pompamq; Deorum,
In medioq; uirum, cui plaudit & aſſonat æther.
Dux etiam noſter, quem nox prius atra tegebat,
Ipſe reducit equos, & nubila findit Apollo,
Cumq; ſuo celeres Lux ſeruat Apolline currus.
Dixerat. Aſpiciunt ingens albeſcere cœlum,
Et ſubito rediiſſe diem, fugiſſe tenebras,
Lætantûmq; uago mirantur in æthere plauſus,
Mirantur ſonitum, dulcesq; per aëra cantus,
Et paſſim toto reſonantia carmina cœlo.
Vt uero tanti cauſam agnouere triumphi,
Et uidere Dijs heroa potentibus ipſum
Iam mixtum, ſupra nubes & ſydera ferri,
Protinus exangues uertunt in gaudia luctus,
Et procul ire iubent curas, procul ire dolorem,
Certatimq; nouis contendunt uerſibus omnes.
Iamq; aliqua ad cytharam fœlicia carmina fingit,
Pars inflat calamos, digitisq; foramina tentat,

Pars etiam clara ferit aurea ſydera uoce.
Parnaſſi reſonant Muſis cantantibus antra,
Oppoſitiq; procul feriuntur carmine montes.
Fas mihi ſit ueſtros mortalibus edere cantus
Pierides, liceat totum uulgare per orbem
Carmina ter ſummo quæ concinuiſtis Eraſmo:
Vt uideant olim poſt ſecula longa minores,
Et quæcunq; uenire poteſt intelligat ætas,
Totaq; norit humus, quanti faciamus Eraſmum,
Cuius amor nobis ſimul & reuerentia creſcet,
Cuius erunt laudes & nomina, donec Olympus
Deſuper aſpiciet ſuſpenſæ climata terræ,
Inſaq; producet flores & gramina tellus.
Et ſic prima quidem Clio ceciniſſe putatur,
Carmina ſic nitidus reliquarum clauſit Apollo.

FINIS.

Oratio

ORATIO DE VITA RODOLPHI Agricolæ Frisij, mense Iulio habita à Ioanne Saxone Holsatiensi, cum decerneret titulum Magisterij quibusdam honestis & eruditis iuuenibus, in Academia Vuitebergensi.

PLurimum refert nos ipsos recte intelligere genus uitæ in quo uersamur, & hoc munus quod diuinitus nobis attributum est, uidelicet, conseruationem ac propagationem rectæ doctrinæ de religione, & de alijs rebus honestis. Etsi enim splendoris plus habent alij uitæ gradus atq; ordines, tamen si uere uolumus æstimare, summa dignitas est scholarum: His præcipue seruire Imperia et omnes politiæ debebant. Cum enim ad hunc finem homines conditi sint, ut luceat in hoc mundo noticia Dei, & propter hanc causam societas ciuilis diuinitus instituta sit, ut cœtus sint docentium ac discentium, ut accendi & late spargi noticia Dei possit: Satis apparet summum esse officium omnium gubernatorum, Ecclesias ac scholas tueri. Cogitate quæso quàm augusti & uenerandi cœtus sint Angelici. Horum imagines in terris Scholastici conuentus esse debent, munus certe idem est & offi-

& officium. Profitentur idem quod canunt Angeli: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & hominibus lætitia. Sic scholæ celebrare Deum, doctrinam paci & concordiæ Ecclesiarum utilem, & quæ cœlestem lætitiam pariat hominibus propagare debent. Hanc tantam dignitatem nostri muneris, si cogitabimus, & animo metiemur, & studia & scholas magis amabimus, & his ritibus & congressibus scholasticis magnopere delectabimur. Si quis est autem qui tam graui causa non mouetur ad amandas scholas, hunc uere

genuit duris è cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admorunt ubera Tygres.

Decet igitur nos hunc promotionum morem, quem prodesse ad ordinẽ discendi cõperimus, conseruare.

Cum autem hic de studijs oratio haberi soleat, & alij in quibus plus est autoritatis, sæpe uel monstrẽt quod iter ingrediendum sit, uel uos ad expetendam optimarum artium doctrinam adhortentur, ego uitam Rodolphi Agricolæ, quantum explorare eam potui, recitare decreui. Exemplorum enim magna uis est, & bonæ naturæ cogitatione atq; admiratione uirtutis in uiris præstantibus maxime excusitantur ac incenduntur. Deinde historiæ eruditorum, de multis rebus iudicia iuuentutis formant. Cumq; Rodolphus primum in Germania emendauerit genus

sermonis

sermonis & Dialecticam, ac meliorem discendi ratio-
nem monstrauerit, consentaneum est plerisq; eius
dictis ac disputationibus utiliter commonefieri stu-
diosos. Etsi autem nemo non amat Rodolphi no-
men, propter eius eruditionem ac merita, tamen pri
uata me quædam officij ratio inuitauit, ut de eo di-
cere maluerim. Nam cum mea patria non solum
Frisijs uicina sit, sed etiam Frisiorum colonia, quæ
etiam hodie nomen retinet Frisiæ minoris in Holsa
tia, et in gubernatione Reipub. uetustam iuris æqua
bilitatem non sine laude tuetur, iudico Rodolphi
laudes aliqua ex parte ad meos etiam ciues pertine-
re, quod cum ita sit, spero uos meum consilium de re
citanda historia Rodolphi probaturos esse. Tametsi
& ipse optarim colligi eam uberius ab alijs, qui a-
pud eos uixerunt, qui Rodolphi uitam & studia me
lius norunt. Nos pauca collegimus, sumpta partim
ex ipsius scriptis, partim ab ijs qui meminerunt ser
mones senum, quibus in Academia Heydelbergensi
cum Rodolpho familiaritas fuit. Nec institui enco-
mium: Nam cum ingentem gloriam eloquentia sua
consecutus sit, quæ ex scriptis eius iudicari potest,
nil ei opus est laudatione, præsertim hominis indi-
serti, tantũ historicam narrationem texo, in qua ea
quæ siscitatus sum de uita, moribus, & opinionibus
eius, uere recenseo, & testes grauissimos citabo. Por
rò hæc

rò hæc commemoratio ſtudiorum atq; opinionum, non minus conducit ſtudioſis, quam bellatoribus ſtratagemata & conſilia ueterum Ducum noſſe. Accedo igitur ad hiſtoriam.

Natus eſt Rodolphus Agricola in Friſia, in rure quodam non procul ab urbe Groninga, honeſtis parentibus, quorũ facultates, ut ſunt ibi, mediocres fuerunt, et unde liberis ad ſtudia ſumptus liberaliter ſuppeditare poterant. De primæ pueritiæ ſtudijs cũ nihil audierim, non putaui aliquid fingendum eſſe. Nemo autem excellentem uirtutem conſequi poteſt ſine magna ui ingenij, & ſine enthuſiaſmo aliquo, qui cũ ſit acerrimus ſtimulus in bonis naturis, haud dubie Rodolphus celeriter primas artes arripuit, ut ille inquit de Heroica natura:

Ante annos animumq; gerens curamq; uirilem.

Nam & ex ſcriptis ipſius & conſilijs apparet ingenij uis & impetus.

Cum Germania corruptiſſimo genere ſermonis uteretur, tantaq; literarum inſcitia eſſet, ut quid eſſet recte loqui, ne quidem ſuſpicari noſtri homines poſſent, imò etiam inſulſitas admiratione haberet, unus Rodolphus primum auribus atq; animo ſentire illa uitia, & deſiderare meliorem orationis formam cœpit. Hæc fuit ſingularis prudentiæ ſignificatio: Illa uirium ingenij & doctrinæ, quod genus oratio-

nis

tionis effinxit purum, splendidum, sonans, sine ineptijs, rerum etiam pondere & grauitate probandum. Nec tantum prudentia fuit, sed etiam quædam animi celsitudo & mira discendi auiditas, quod in Italiam cum patrimonium haberet mediocre, profectus est, ut melius doctrinæ genus quæreret. Ac si de ingenij laudibus multa dicturus essem, amplificare eas etiam patriæ prædicatione possem. Nam Frisia, ut olim magnitudine rerum gestarum floruit, ita nunc quoq; gignit ingenia nequaquam uulgaria, sed cum ad literas, tum ad gubernationem magnarum rerum idonea, & ut mihi uidetur, non solum sagacia & sana, sed etiam ingenuitate & animi celsitudine singulari prædita: Sed, ut dixi, Rodolphi ingenium ex scriptis æstimari potest. Louanij audio eum tyrocinium primum deposuisse, ubi cum Gallorum appeteret familiaritatem, seu uitans nostrorum commessationes, seu quod illi essent eruditiores, statim inter illos simul Gallicam linguam didicit. In dialecticis & philosophia cum percepisset celeriter illa, quæ in scholis tradebantur, ipse animo meliora requirere solebat, seq; in bibliothecas abdens, suo consilio bonos scriptores legebat, Multa interim cũ prudentioribus disputans de eruditiore philosophia. Audierat autem renouari tunc Græcæ & Latinæ linguæ studia in Italia. Nam post captum

Byzantium

Byzantium, Græci pulsi patria, in Italiam multi ue
nerunt, qui philosophiam & eloquentiam ibi reno
uarunt, cuius studia post collapsum imperium, pror
sus in Italia conticuerant. Intelligebant autem sine
Græcis literis Philosophiam percipi non posse. Cœ
pit igitur impetum proficiscendi in Italiam, ut &
disertorum consuetudine ac exemplis genus oratio=
nis emendaret, & Philosophiæ fontes cognosceret.
Venit Ferrariam, ubi tunc quidem magis florebant
studia Philosophiæ ac eloquentiæ, quàm in cæteris
Academijs Italicis: Nam Hercules Dux Ferrariæ
sentiebat ad boni Principis officium pertinere cu=
ram iuuandæ rei literariæ, ac delectabatur ipse
eruditorum scriptis. Erat Ferrariæ Theodorus Ga
za, qui eruditione & eloquentia facile antecelluit
Græcis omnibus qui tunc in Italia erant. Ibi Guari=
nus Græce et Latine docebat, uir in primis diligens.
Aderant & Strozæ Poëtæ, cum quibus apparet ma
gnam fuisse familiaritatem Rodolpho. Extant &
Mathematicorum scripta, qui apud Herculem tunc
uixerunt. Deniq; omnes artes ibi fœlicissime trade=
bantur. Quid potest autem homini ingenioso, incen
soueræ doctrinæ amore, auido discendi, qualis erat
Rodolphus, contingere optatius, quàm ut in tali cœ
tu Doctorum uiuat? Hic soluta oratione certabat
cum Guarino, uersu cum Strozis, de Philosophia
differebat

disserebat cũ Theodoro Gaza, & cæteris summis uiris. Audiebat professores omnium artium. Cumq; pariter excoleret ingeniũ doctrinæ uarietate, & in eloquentia elaboraret, totius in se Italiæ ora oculosq; conuertit. Magna cum laude disputauit, enarrauit autores utriusq; linguæ in illa ipsa Academia, habuit orationes magna cum approbatione eruditorum. Porro magna laus fuit homini Germano, non solum eruditione & genere sermonis, sed etiam uenustate actionis satisfacere Italiæ, morose ac fastidiose iudicanti. Nec opinor ulli Germanorũ præter hunc, Italos tribuisse tantum, ut publice docentem cum admiratione audirent, ac pariter eruditionem, genus sermonis, & actionem probarent. Audio sæpe rogatum esse Erasmum in Italia, ut specimen suæ eruditionis ac facundiæ publica prælectione præberet: Sed ut hac in re amicis morem gereret, adduci nunquam potuit, metuens ne ab Italis pronunciatio hominis Germani derideretur. Ac sæpe prædicauit Rodolphi naturam, quem imitari Italicam uenustatem sine ineptijs potuisse ferebat. Verum Musicæ naturæ ad pronunciationem & actionem, aptiores sunt cæteris. Constat autem Rodolphum ita excelluisse in Musicis, multas ut cantilenas composuerit: Imò ut Italis fuerit iucundior, propterea quod interdum cythara luderet in conuiuijs eruditorum.

Quanta fuerit eius sedulitas, inde æstimari potest, quod Quintilianum sua manu integrum descripsit: Ipse significat se in Italia naturalem historiam Plinij diligenter legisse, fortassis occasione inuitatus, quod in eo loco facilius inquirere plantas potuit, & haud dubie uidit Aristotelem & Theophrastum conuersos à Gaza, quos cum legeret, Plinium adiungendum esse duxit, ut unde Gaza Latinas adpellationes sumpsisset, obseruaret. Hæc collatio plurimum ei profuit, ad augendam & rerum cognitionem, & uerborum copiam. Porro cum se diligenter expolijsset inter doctissimos homines, tandem in patriam redijt, ubi non diu hæsit: Nam aliquanto post reditum, accersitus est Heydelbergam à Dalburgio Episcopo Vangionum, & Pleningero quem ipse plinium nominat: Cum his enim in Italia Rodolpho familiaritas summa fuerat, qui postea ambo peruenerant in aulam Principis Palatini Philippi, qui, ut erat splendidus, & non rudis literarum, & magna comitate præditus, uolebat aulam habere ornatam literatis hominibus. Dalburgius Cancellarius, deinde factus est Vangionum Episcopus: Is Heydelbergam uocauit Rodolphum, seu ut eius consuetudine se ipse ad rectè scribendum assuefaceret, seu ut iuuentus haberet styli formatorem. Huius Dalburgij contubernio usus est quoad uixit.

uixit. Et quanquam licuit esse ocioso, tamẽ propter utilitatem iuuentutis, in Academia publice docuit Græce & Latine. Nec duxit sibi parum honorificũ esse, quanquam aulico, scholas habere. Vt scholasticas operas nunc multi leuiter tincti literis fastidiunt ut est huius peruersissimi seculi superbia. Adijt crebro disputationes omnium disciplinarum. In Philosophia emendabat ineptas persuasiones scholæ. Ibi etiam scripsit libros Dialecticos, ut artem repurgaret, eamq; è tenebris in lucem, & in aciem educeret, usum uidelicet monstrans. Senes Heidelbergæ narrant mores eius honestos, & castos fuisse, & à liuore, maleuolentia, ac petulantia alienissimos. Non est solitus irritare morosos, intempestiuis reprehensionibus, ne quid fereret certaminum in schola, sæpe recitans, hospiti multa dissimulanda esse, ut Græcus uersus inquit:

ξεινον δε σιγᾶν κρεῖττον ἢ κεκραγέναι.

Consulebatur sæpe ab eruditioribus, & in Philosophia & in alijs artibus. Multa ex Aristotele uertebat, & interpretabatur ijs, qui eius sententias scisitabantur. Nemo tunc uiderat libros Aristotelis de animalibus. Itaq; pergratum erat eius officiũ doctioribus, si quando aliquem insignẽ locum inde proferebat, ut cum de immortalitate humanæ animæ disputaretur, quid sensisset Aristoteles, magna

cum admiratione excepta est illa sententia prolata ex libro de generatione animalium: Mens extrinsecus accedit, non nascitur ex materia corporum. Interdum aliquid ex Arato de syderum positu, ortu & occasu studiosis impertiebat.

Nec deerat eius officium professoribus aliarum disciplinarum. Fortè inciderat disputatio inter Theologos & Iurisconsultos de hoc dicto: Frustra seruat Euangelium, qui non seruat canones Synodorum. Hoc cum alij ad confirmandam superstitionem in ceremonijs detorquerent, alij τὸ ἐντὸν esse durius quererentur, & mitigandum aliqua interpretatione dicerent. Rodolphus inquit: In uniuersum in Iuris interpretatione multum prodesse cognitionem historiarum & antiquitatis: Ac praesertim Ecclesiæ historias, & ueteres contentiones debere notas esse omnibus, ex quibus sæpe peti possit interpretatio ueterum dictorum. Synodi ueteres, inquit, uocabant Canones tantum articulos doctrinæ dijudicatos in Synodis, non traditiones de ceremonijs: Nec dubium esse, quin hæc primum fuerit sententia huius dicti, sed postea errore deprauatum esse. Verum est, Euangeliũ non seruari ab ijs, qui aspernantur decreta contra Samosatenum, aut Arrium, aut Macedonium facta: Nam uetustissimæ Synodi propter controuersias dogmatum conuocabantur,

bantur, non de ceremonijs cumulandis. Quàm indigna uox esset, dicere Christi fidem inutilem & inanem esse, sine obseruatione omnium rituum humanorum? Lucem & uitam æternam in mentibus inchoatam extingui, si aliqua ridicula ceremonia negligeretur? Addebat, tales ritus sæpe sine ullo peccato omitti posse: Hac tam dextra interpretatione facile satisfecit omnibus. Sæpe & in Iure ciuili ea, quæ ab historijs petenda sunt, explicabat interrogantibus, ut locum de usuris centesimis: Item quid sit ἐγκύκλιον λόγον, deniq; qui fuissent gradus ueterũ Romanorum iudiciorum. In Theologia quid desiderauerit, memini huc scribere Iosquinum Groningensem senem, pietate & grauitate excellentem, se adolescentem interfuisse sermonibus Rodolphi et Vueselli, in quibus deplorarint Ecclesiæ tenebras, & reprehenderint prophanationem in Missis, & cœlibatũ: Item disputauerint de iusticia fidei, quid sit quod Paulus toties inculcat homines fide iustos esse, non operibus. Scribebat Iosquinus, aperte reiecisse eos Monachorũ opinionem, quæ fingit homines operibus iustos esse: Item sensisse eos de humanis traditionibus, errare eos, qui affingunt illis opinionem cultus, & non posse uiolari iudicant. Nihil fingo, nam hæc ferè ad uerbum huc scripsit Iosquinus. Ac satis credibile est, eum diligenter disputasse de doctrina

Christiana, præsertim cũ esset familiaris Vuesselo, cuius fuit summum ingenium: Ad quod amplissimam eruditionem in omnibus disciplinis adiunxit, & Græcæ & Ebraicæ linguæ cognitionem. Ad hæc, exercitatus fuit in certaminibus religionis. Lutetia pulsus propter taxatas superstitiones, uenit Basileam: ibi pro Vuesselo dixerunt Basilium Groningum: Narrabatq; Capnion eum Theologiam, Græcas & Ebraicas literas eodem tempore tradidisse studiosis, si qui eum audire cupierant. Inde cum in Belgicum redijsset, sæpe adijt senem Rodolphus natu minor, sed in literis Latinis et Græcis eruditior, & flagrans studio Christianæ doctrinæ. Idq; ipse sæpe de se prædicat, se quod reliquum esset ætatis, collocaturum esse in sacras literas: qui si uixisset, haud dubie egregiam operam Ecclesiæ nauasset. Quanquam & illa studia Ecclesiæ profuerunt, quod nostros homines ad meliorem discendi rationem reuocauit. Id meritum non est leue ducendum. Sed redeo ad historiam.

Cum ita uiueret Heydelbergæ, ut eruditis & bonis omnibus charissimus esset, non solũ in noticiam uenit Ducis Palatini Philippi, sed etiam familiaritate eius princeps delectatus est, ac sæpe eum ad graues deliberationes adhibuit. Cumq; ut fit, mentio interdum incideret ueterum Imperiorum, ac Rodolphus

commo-

commemoraret uel Græcas historias, uel Romanas? Princeps & uerti sibi multa non solum ex historijs, sed etiam ex Poëtis iussit, & petiuit sibi contexi integram seriem quatuor monarchiarum, ut ordinem rerum melius uidere, & incrementa atq; inclinationes, & horum causas considerare posset: Nam hæc exempla præsertim Principes monere de plurimis rebus possunt. Contexuit igitur Rodolphus eruditissimam Epitomen ex Biblijs & Herodoto, de Assyriorum & Persarum Imperio, de ciuilibus discordijs Græcarum ciuitatum ex Thucydide & Xenophonte, de Philippo & Alexandro, & successoribus ex Diodoro & Polybio. Deinde lectissima quæq; excerpsit ex historijs Romanis. Postremo & Germanici regni res præcipuas collegit. Ac in eo scripto non solum laborauit, ut res tantas perspicue narraret, sed etiam, ut obiter legentem Principem pleraq; moneret: qua in re apparuit eum non modo literis, sed etiam ciuili prudentia excellere. Sed cum iam ætas maturuisset, cum iam lucubrationes Theologicas inchoasset, non multum supra quadragesimum annum egressus, rebus humanis exemptus est. Spero enim immortali lætitia donatum esse, cum legamus eum pie sensisse de Christo, ac studia ad gloriam Dei destinasse, & mores

fuisse pios & honestos audiamus. Habetis historiam uitæ Rodolphi.

Nunc reliquum est, ut talis uiri memoriam grati conseruetis: Cogitetis quantum fuerit ornamentum Germaniæ, quàm bene de literis meritus sit. Primus enim in Germania emendare gentis sermonis cœpit, & accendit Latinæ & Græcæ linguæ studia: Quare ei plurimum omnes debemus. Adolescentes etiam eius admoniti tum exemplis tum dictis, prudentius de studijs iudicare discant & ipsius imitentur diligentiam & sedulitatem, qua infirmioribus ingenijs multo magis opus est, quàm illis Heroicis naturis, quibus, ut ita dicam, multi proueniunt ἀνήροτα. Consilium etiam ipsius in studijs considerate, quod uidelicet, non diuulsit artes natura copulatas, rerum doctrinam & elocutionem, sed in utroq; genere summa animi atq; ingenij contentione elaborauit, quod ut uos quoq; faciatis, quantum possum, omnes adhortor. Et in hoc instituta sunt hæc scholastica exercitia, ut in utroq; genere elaboremus, quod quidem eò faciendum est, ut Ecclesiæ ac Reipub. usui esse possimus. Nam nec rerum cognitio recte comparari potest sine exercitatione dicendi, nec destituti rebus, idonei sunt ad seria negocia explicanda. Porro, si officium nostrum diligenter fecerimus, Deus etiam ornabit nos

nos præmijs: Vt Ecclesias, ita scholas, quæ sunt præcipua pars Ecclesiæ, conseruabit, etiamsi negliguntur ab ijs, qui præsunt, qui quidem longe errant. Propter Ecclesias & scholas, ipsi, & politiæ seruantur. Quare uicißim nobis gratiam referre debebant: quod si non facient, Deus illos puniet, & tamen aliquem portum Ecclesiæ, scholis, & nostro ordini ostendet, sicut promisit se non defuturum ijs, qui doctrinam Ecclesiæ utilem propagare & ornare studeant.

Dixi.

LAVDATIO FVNEBRIS DOCTO ris Sebaldi Munsteri, scripta à Vito Vuinsemio.

Abstulit atra dies nobis mortalia membra
Sebaldi, mergens funere sæua uirum.
Spiritus æterna sanctorum sede receptus,
Perfruitur lætus iam propiore Deo.
Ingenij decus, & uirtus non occidet unquam,
Iuris in hanc solam mors habet atra nihil.
Hic igitur studia & uitam mores q; pudicos
Dicemus simul & tristia fata uiri.

OPtarim equidem, si ita Deo Opt. Max. uisum fuisset, ut uiuo potius Doctori Sebaldo Munsterer, optimo & doctissimo uiro, eam, quam pro ipsius uirtute, atq; ingentibus erga nos & hanc scholam meritis debebamus, obseruantiam et gratitudinem præstare possemus, quàm mortuo hunc qualemcunq; honorem habere. Neq; enim paruam iacturam hæc schola fecit, uiri tanti interitu, nec mediocre uulnus omnes boni acceperunt, orbati hoc tam fideli consiliorum & laborum socio, & amico syncero ac iucundissimo.

Nos

Nos quidem hic acerbißimus casus tanto luctu ac mœrore adflixit, ut uix quidquam in uita tristius nobis acciderit. Sed cum Deo uisum sit, hoc tempore animam ipsius ex illius corpusculi sepulchro, & his mortalitatis tenebris euocare in lucem suam cœlestem, nos nostra quidem causa dolere possumus, quibus huius uiri dulcißima consuetudo adempta est: Illius autem uicem si doleamus, parũ fortasse pie id facere uideamur, in eoq; diligendo magis nostræ quàm illius utilitati seruire. Nam sacræ literæ nos prohibent queri de eo, quod Deus de uita aut rebus nostris uel amicorum statuit, cum constet eius uoluntatem ut immutabilem, ita clementem ac paternam erga nos esse. Et adeo præclare cum illis agitur, qui hoc præsertim tempore uitam cum pia morte permutant, ut qui illorum interitũ grauius doleat, magis sua, quàm illorum causa id facere, magisq; seipsum quàm illos uehementius diligere uideri possit.

Sed cum in tam tristi casu lachrymas tamen tenere non possimus, & illa commiseratio à natura animis nostris infixa sit, ut dictum est à Poëta:

Sunt lachrymæ rerum, & mentẽ mortalia tangunt:

Ignoscet id nobis Deus, quod subito hominum charorũ interitu commouemur, et imbecillitati potius nostræ illud quàm diffidentiæ adscribet. Non enim id eò facimus, quod de benignißima diuini

patris

patris uoluntate erga illos uel nos dubitemus, aut quod male cum illis agi putemus, qui humanis rebus eximũtur, hoc est, infinitis ærumnis ac miseriis liberati, in illam cœlestem patriam transferuntur: Sed quia uel hunc affectum, ut dictum est, nobis à natura tributum, non facile exuere possumus, uel hoc officium amoris & beneuolentiæ illis præstandum ducimus, quorum nobis memoria merito grata & iucunda est, uel eum honorem uirtuti illorum deberi censemus, quibus nullus honor tribui non debitus potest.

Etsi igitur inane hoc nostrum uel studium uel officium uideri potest, & ob eam causam in reprehensionem fortasse quorundam incurret, nos tamen non pigebit hanc qualemcunq; beneuolentiæ & gratitudinis significationem præbuisse, in eorum saltem morte utcunq; decoranda, quibus nullam aliam gratiam referre iam possumus.

Olim adolescentes, ut ingeniorum aut industriæ specimen aliquod exhiberent, propinquos in funere pro rostris laudare solebant, multisq; id laudi fuit, & ille uelut primus aditus ad noticiam & famam hominum atq; honorem habitus est. Ego uero mihi non aliquam ex hac re ingenij laudem capto, quod intelligo, quàm in me uel nullum, uel perexiguum sit: neq; eloquentiæ, quæ in id ætatis hominem ne quidem

quidem cadere potest, nisi quis officij hanc laudem, aut obedientiæ esse putabit, quam equidem non repudio. Scio enim quàm nullum sit maius ornamentum adolescentiæ, quàm uerecundiæ & obedientiæ laudem. Sed quia mihi hæc uelut funebris oratio instituta est, omissa longiore præfatione, ad rem ipsam, ut potero, accingar.

Ac primum de moribus & uita Doctoris Sebaldi nihil attinere puto, ut pluribus dicam, cum ea maiori parti uestrum nota sit. Scitis enim eum his lenioribus uirtutibus, modestia, temperantia, iustitia, uerecundia & innocentia summe ornatum fuisse, his ille ducibus uitam placidissime exegit, utq; uixit nulli mortalium molestus, ita & mortuus est. Ingenium illi fuit mite ac placidum, dixisses hominem ad humanitatem & mansuetudinem, quasi diuinitus sculptum & factum. Hanc ipse naturæ lenitatem studio quoq; & meditatione tuebatur, summa diligentia cauens, ne quod duriter à se aut aspere non modo fieret diceretur ue, sed ut & in aspectu, incessuq;, & omni deniq; animi corporisq; habitu ac motu eandem suauitatem ac lenitatem conseruaret. Et si, ut est, uerecundia recte ornatus uitæ, & custos omnium uirtutum à Cicerone dicitur, hanc ille uirtutem uel potius uirtutum omnium reginam ac moderatricem inde usq; à puero in omni uita & actione illi-

ne illibatam summa cura retinuit. Adeo ut nonnullis parum animosus, & ob eam causam ad id genus doctrinæ, quod tractabat, minus idoneus uideretur, at ille non tanti ducebat ullum adplausum, ut propterea uerecundiæ septa transilire uellet, non enim profanæ multitudinis iudicio, sed recta ratione, quid deceret metiebatur, atq; si etiam peccandũ esset, malebat iuxta regulam Isocratis in hanc, quàm illam partem peccare: minus enim turpe putabat plusquam conueniret timidum se quàm impudentẽ iudicari. In reliqua uero uita & moribus, nihil erat illo pudicũ magis, nihil ab omni turpitudine remotius. Et quod in talibus ingenijs accidere solet, quæ ad humanitatẽ & clementiã cum natura ducuntur, tum uero per omnem uitam adsuefacta sunt, ut sint ἀθικότερα & ad omnes illos leniores motus, ac præcipue σοργὰς molliora, ita quoq; Doctore Sebaldo nihil erat magis φιλόσοργον, nihil amore & beneuolentia in suos profusius.

Sunt nonnulli, præsertim ex Satrapis illis, qui errore mentis eam fortitudinis laudem ducunt, si uel erga uxorem et liberos duriores sint, uel saltem esse uideantur, lædi suam existimationẽ rentur, si quod erga suos amoris aut beneuolentiæ signũ ostendant: Sed ut apud Euripidem Amphytrio præclare dicit, se paruorum nepotum curam non adspernari, sed

sed illos secum uelut ἐφολκίδας manu ductare, seq; hoc officiũ uiro bono dignum iudicare: Ita Doctor Sebaldus in optimam coniugem & dignos tali patre liberos clementißimum se ac benignißimum præbebat parentem, ita tamen, ut nihil prius nec antiquius haberet, quàm ut liberi ad pietatem, uirtutem, ac optimarum rerum studia erudirentur: Erat igitur eius domus, quædam modestiæ ac uerecundiæ, & sanctißimæ disciplinæ schola.

Res familiaris illi, ut scitis, non ampla fuit, imò ne mediocris quidem, sed tenuis, & penè affecta, plane q; talis, qualem Salomon à Deo optat, cum ait: Demensum meum da mihi. Atqui scimus non paulo maiorem uirtutem esse, re modica & sua contentum uiuere: fortunam, qualiscunq; à Deo contigit, boni consulere, eaq; pie ac honestè uti, non inhiare alienis facultatibus, nemini inuidere, nullius cursum impedire, quàm ingentibus opibus quocunque modo quæsitis, splendide uti. Patrimonium ille hoc pulcherrimum & ampliſsimum suis relinquere studebat, nempe, famam paternæ probitatis & uitæ, liberorum piam ac rectam institutionem: alterum quidem plenißime consecutus est, alterum præclare inceptum immatura mors interrupit. Atque utinam multos tales patresfamiliàs iam ciuitates haberent, quorum domus, ut Doctoris Sebaldi

fuit,

fuit, essent uelut paruæ quædam Ecclesiæ, in quibus Christiana disciplina ac doctrina uigeret, tum procul dubio melius & Respublicæ essent habituræ, & minus horribilium exemplorum hæc ætas parituræ.

Dixi de moribus & uita huius uiri, ut potui, breuiter quidē, de studijs, & doctrina eadem breuitate experiar. Prima enim ætas illi acta est in ijs literis, quæ si ullo in homine, in illo certe nomen, uimq; suā comprobarunt: nihil enim illo humanius, nihil suauius, nihil mitius fuit, aut tractabilius. Atqui ab eo effectu studia humanitatis dicta esse constat, quod, ut Cicero ait, ad percipiendam colendamq; uirtutem adiuuent, atq; illud ἦθος, hoc est, suauitatem & mansuetudinem, in animis, moribus, & uita hominum efficiant. Vt uero alia terra cultui magis obediens est, alia minus, ita ingenia quoq; alia alijs facilius flectuntur, formanturq; doctrina. At Doctori Sebaldo inde usq; à pueritia ingenium contigit lene ac humanum, quod postquam disciplina & literis excoli cœpit, facile omnes uenustate ac suauitate morum superauit.

Deinde progressus ætate, de sententia amicorum Ius ciuile discere cœpit, in eiusq; tractatione non quidem infœliciter, fideliter certe uersatus est. Quumq; natura à litibus & strepitu fori abhorreret animus, tranquillitati & quieti natus, quicq; magis

gis beneuolentiæ, quàm litium iura exercere consueuisset, non ille quidem foro prorsum abstinuit, sed tamẽ in interpretatione iuris, ac docendo potißimum operam consumpsit, in qua re præcipuè integritas ipsius, innocentia, & iusticia eluxit: Non enim ad calumniam, non ad acerbitatem, non ad cupiditatem, non denique ad quæstum id studium contulit. Non igitur ille magis Iuris consultus, quàm iusticiæ dici potuit, qui, ut de Seruio Cicero prædicat, quæ à legibus, & à Iure ciuili proficiscebantur, semper ad facilitatem æquitatemq; referebat, neq; constituere litium actiones malebat, quàm cõtrouersias tollere. Hoc uero cum in omni uita, tum in studijs, & illo doctrinæ genere, in quo uersabatur, præcipuè sibi propositum habuit, ut se, quantum posset, contraheret, suoq;, quod aiunt, pede metiretur. Et quod ille de Mecœnate dicit:

Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras.

Id de Doctore Sebaldo uerißimè dici potuit: sua enim sorte, utut esset, summè contentus fuit, sublimes & splendidas conditiones, ut molestiarum, periculi atq; inuidiæ plenas, fugere solebat, subinde hoc subijciens, quod est à Poëta sapienter dictum:

Crede mihi, bene qui latuit, bene uixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

Huius igitur uoti sui prolixe compos factus, id con-

secutus est, quod paucissimis contingit, nempe, ut & in negocijs sine periculo, & in ocio cum dignitate uiueret: Planeq; eum uitæ cursum tenuit, quem cum omnes docti ac sapientes uiri semper sibi exoptauerint, pauci tamen tenere potuerunt, præclarè enim ille dixit, quicunq; fuit:

Fœlix ille animi diuisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia uitæ.

Cum igitur illi uitæ instituto, quod sibi certo iudicio delegerat, prælegendi ac docendi munus maximè conuenire statuisset, statim ad id cœpit animum adplicare, multumq; ea in re ingenij dexteritate, multum fide, plurimum uero diligentia & assiduitate discentibus profuit. Non pauci uelut aditu facilitatis nuaq; ab ipso patefacta, ad intima penetralia eius scientiæ fœliciter introgressi sunt, quiq; in hac schola non infimo loco sunt inter Iureconsultos, hi se Doctori Sebaldo debere, quidquid in ea doctrina profecerint, ingenue fatentur, ab ipsius enim diligenti, ac fideli institutione progressos, haud difficili cursu, eò quò uoluerint, peruenisse.

Id si quis in parua laude ponendum censet, is mihi haudquaquam res eo quo merentur pondere æstimari

tiri uidetur. Nam qui ingenia præparant, ut Reipub. possint esse usui, quiq; illud seminariũ politiæ, nempe iuuentutem fouent atq; excolunt, ut tempestiuos inde fructus ciuitates possint percipere, hi non paulo melius de rebus humanis mereri existimandi sunt, quàm qui ad ipsa rerum gubernacula sedent. Hi enim, quantum fórte in uno Nestore est, Reipub. commodant, at illi decem pluresúe Nestoras ex sua schola producunt: Regunt hi, ac tuentur unam aliquam ciuitatem, illi multis ciuitatibus gubernatores instruunt. Deniq; eorum, qui Rebuspub. utiliter præesse possent, breui uel nullum, uel perpaucos habituri essemus, si docentium industria, laborq; cesset.

Etsi igitur uulgus uilem operam Reipu. eos nauare putat, qui iuuentutem erudiunt, tamen si quis ista uera ratione, & pro magnitudine utilitatis expendat, intelliget nullum genus hominum non Respublicas modo, sed & Ecclesiam perinde continere ac stabilire, ut eos, qui primam illam ætatem sana doctrina & optimis opinionibus imbuunt, præsertim si quis cum reliqua doctrina studium ueræ pietatis ac religionis coniungit, id quod Doctorem Sebaldum enixe scimus feciſſe: eam enim doctrinam, qua Christiana religio continetur, cupidissimè amplectebatur, ad eamq; & studiorum suorum, & uni

uersæ uitæ cursum dirigebat, à librorum sacrorum lectione quotidie sua studia auspicari, in eaq; desinere & conquiescere solebat. Et ut ipse in omni uita piè affectus erat erga Deum ac Christum, ita familiam quoq; suam, liberosq; ac discipulos ad eandē pietatis curam summo studio nitebatur transferre. Neq; id modo sanctißimis cohortationibus, uerum & exemplo suo, moribusq; ac uita efficiebat, quam cum piè, sobriè, castéq; exigeret, uel tacitus suis, tamen calcar addebat ad eandem sanctimoniam amplectendam.

Dedit uero illi Deus, ut uitam placidam ac tranquillam, ita animum ad omnem fortunam ferendam æquißimum. Solitus erat subinde, si quid fortè tristius, ut sunt humana, accidißet, seipsum hac uoce consolari, ut diceret, seista, qualiacunq; essent, boni consulere, quod sciret nomen suum adscriptum esse numero sanctorum, in cœlo. O uocem piam, & quā nullum aliud nisi Christo deuotum pectus potest emittere: quiq; sic affectus est, cum nulla quantumuis sæua tempestas concutiet. Et si, ut ille ait, fractus illabatur orbis, ferient impauidum ruinæ.

Præstitit uero erga quoscunq; potuit benignitatem homine Christiano dignam, summa uoluntate, quibus potuit, & re, & consilio, & officio inseruiuit, omnem sibi diem perijsse ratus, quo non benefi-

cio

ficio quopiam aliquem sibi demeruisset. Deniq; in eo ipso beneficentiæ cursu uitam reliquit: Nam dum eos, qui pestiferi morbi contagio infecti erant, in domum suam benigne accipit, dum etiam à mensa non arcet, dum uitæ eorum, ac saluti consultum cupit, dum morientibus adest, dum famularũ eodem morbo correptarum congressus, neq; ipse nec uxor uitant, eas benigne fouent curantq;, contrahunt sibi eandẽ luem, qua & intra paucos dies ambo consumpti sunt: quibus quid aliud uitam abstulisse dicamus, quam ipsorum fidem & benignitatem?

Porro pietatem suam erga Christum, & fidem, Doctor Sebaldus uel præcipuè declarauit, in hoc extremo rerum suarum actu, qui qualis cuiusq; ante acta uita fuerit, plerunq; solet ostendere. Non enim illum coniugis optimæ et dilectißimæ interitus, quæ paucis ante ipsum horis elata est, non uiolentia morbi ingrauescentis, non tot paruorum liberorum orbitas, solitudo, egestas, non hæc, inquam, tam multa tamq; grauia uulnera illum ab eo, in quo constiterat gradu, Christianæ constantiæ, & patientiæ potuerunt deijcere: Imò insultabat ille dolori, insultabat morbo, insultabat deniq; morti. Cum enim amici quidam consolandi causa ipsum adijssent, paucis ante obitum horis, ostendit illis anthraces, & pestifera hulcera, quæ in manu & brachio eruperant:

Et quàm uobis, inquit, istæ armillæ & preciosæ gemmæ placent, quibus me Christus meus exornauit? Cumq; illis hoc dictum lachrymas excussisset: Atqui, uos hæc, inquit, neutiquam uilia ornamenta iudicaueritis, cum hoc enim nuptiali uestitu ad cœleste conuiuium cum Christo meo in perpetuum celebrandum sum iturus. Sic ad illud æternum præstantissimarum, ac sanctissimarum animarum concilium migraturus, sic deniq; Deo redemptori meo placiturus sum.

Hæ uoces satis declarant, illi iam ante mortem, omnem sensum morbi mortisq; exemptum fuisse, & ipsum iam tum cũ hæc diceret, oculis suis in illam æternam sedem fœlicitatis respexisse. Quidquid enim doloris in animo hæserat ex optimæ uxoris interitu, quidquid cruciabile uel in ægrotatione, uel in morte fuerat, quicquid curæ aut mœroris illi filiorum orbitas afferre poterat, id uniuersum tolerabile sibi reddiderat, planeq; superauerat, quia se totum tradiderat diuinæ uoluntati.

Lætus igitur, ac uelut triumphans ex hac uita emigrauit, imò uero ex tenebris & morte, in lucem ueramq; ac æternam uitam commigrauit. Atq; talem quidem uitæ exitum soli sancti, Christoq; perfidem uniti sortiuntur, ut de diuo Stephano præclarè dictum est.

Ibat

Ibat ouans animis & spe sua damna leuabat. Hi enim soli mortẽ, ad cuius saltem nomen uel mentionem totus orbis contremiscit, contemnere didicerunt. Hi dolori, ægritudini, mœrori, in summis & acerbissimis adflictionibus mediũ unguem ostendere norunt. Sic Christus in suis cum maximè infirmus uidetur, fortissimus uictor exstitit: Sic ille semel morte, peccato, & inferorum portis expugnatis, glorioſissimum egit triumphum: Sic adhuc quotidie per sanctos suos triumphat.

Sed redeo ad Doctorem Sebaldum, cuius interitus, uel potius transitus in meliorem uitã, ipsius quidem causa nobis dolori esse non debet. Nam eo quidem tempore, eoq; statu rerum uitam reliquit, quo nihil admodum ipsum ad uiuendum potuit inuitare. Ita uero sancte pieq; mortuus est, ut tam nobis certum esse debeat ipsum iam cum Abrahamo, Dauide, diuo Paulo, alijsq; sanctis, cum Christo deniq; frui æterna sapientia, æternoq; splendore, ac ueritate Dei: Hoc, inquam, tam certum nobis esse debet, quàm certa ea sunt, quæ oculis cernimus, quæq; manibus palpamus. Et ut magna hæc est consolatio Christianis mentibus, cum fratres suos uident, tam fœlici fato defungi, sibi quoque mortem talem, & eandem æterna fœlicitatis hæreditatem animo proponentes: Ita huic mundo Deus gra-

uissimè minatur, cum sanctos suos ad se reuocat, cum per mortem eripit ingentibus malis, quibus impios est puniturus.

Esaias ait: Iustum interire, & homines id minime considerare, sanctos colligi à Deo nemine id obseruante: Cum ipsi atrocissimis pœnis, quæ sunt oppressuræ impios, morte sua liberẽtur, & post hanc uitam æterna quiete ac tranquillitate perfruantur, cæteros & in reliqua uita maneant horribiles plagæ, & post eam sempiterni inferorum cruciatus. Ita sub tempus excidij populi Iudaici, Deus Apostolos et sanctos suos, alios alio casu, partim ad se transferebat, partim ex ijs locis abducebat, per quæ illa horrenda tempestas iturа erat. Et fuerunt hæc semper haud obscura indicia maximarum calamitatum impendentiũ, cum boni atq; pij paulatim suo quisq; fato sublati sunt, ne tantum dolorem caperent ex ruina & uastitate rerum, neúe in ipsos quoq; aliqua pars eorum fluctuum redundaret. Non tantum enim per defectiones solis, aut lunæ, per stellas crinitas, per columnas ignis in aëre uolantes, per alia id genus ostenta, mundo exitium Deus prænunciat, sed & per sanctorum suorum interitum, quos cum uelut triticum separat, colligitq; in horreum suum, significat se paulo post incendio daturum esse paleas.

Debebant

Debebant igitur saltem hæc exempla ad pœnitentiam reuocare homines, si non plane excordes, et obsessi à Satana essent. Sed nimium uere dixit Esaias, ista nõ curari à mundo, ruunt in exitium suum, & quidem horribile atq; æternum, homines, non secus ac qui rabie cõciti, ferro ac proprijs dentibus uiscera sua lacerant, & totus mundus tristissimum spectaculum est ista consideranti. Pij uero his exemplis fidem suam confirmant, ac uelut è propinquo spem suam contemplantur, uident iam portum tranquillitatis atq; æternæ salutis, in quem & ipsi ex hoc turbulento mari, fœliciter sint ingressuri. Vident contra horrendas procellas & charybdes, quæ impios sint absorpturæ, illos monent, multisq; cum lachrymis obtestantur, ne ita miserabiliter pereant, prædicunt illis exitiũ, reuocant, seruare conantur. Sed surdo canunt, neq; id tantum, uerum & pro gratia sæuissimum odium, persecutiones, & dira supplicia lucrifaciunt, talia σῶς ρα reddunt homines sanctis, reddiderunt & ante Christo salutis autori. Non igitur mirum, si ira & pœnis diuinis inundat hic mundus. Nihil enim tam sæuum aut horribile cogitari potest, quod nõ ista impietas longe exuperet.

Sed desino queri de prauitate mundi, cuius, sicut uerissime dictum est, ea est natura, ut neq; uitia sua, nec remedia ferre possit. Ad Doctorem Sebaldum

redeo, de quo mihi hæc instituta est oratio, cuius inte
ritus, & si nobis quidem luctum ac mœrorem attule
rit, qui optimo uiro, fidelissimo amico, homine utili
in hac schola orbati sumus: tamen id nos uicissim
consolari debet, quod ut illum ad æternæ fœlicitatis
sedem hinc translatum esse non dubitamus, ita nos
quoq; ubi miserijs huius uitæ perfuncti erimus, eo-
dem peruenturos esse scimus, ubi cum eo, alijsq; præ
stantissimis ac sanctissimis uiris de rebus cœlestibus,
de infinita bonitate ac sapientia Dei, & præcipue
de hoc inenarrabili beneficio ipsius, quod Filium
suum pro nobis peccatoribus redimendis tradidit,
commentabimur: quæq; nunc tenebris huius carnis
inuoluti, obscure ac uelut per transennã cernimus,
ea tunc clarissima in luce non uidebimus tantum, sed
& in æternum ijs in summa lætitia & fœlicitate
perfruemur. Præclare diuus Bernardus: Mors, in-
quit, impiorum pessima est, quorum & natiuitas
mala, & uita peior: Sed preciosa mors est sanctorũ,
planè inquam, preciosa, ut quæ et finis laborum est,
et uictoriæ consummatio, aditusq; et ianua ad
uitam ac æternam securitatem.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE IMPERATORE Ottone primo ab Henrico Smedenstedt Lunæburgensi facta, & pronunciata mense Septembri, Anno Quadragesimo cũ decerneret insignia magistrorum Philosophiæ honestis & eruditis uiginti duobus scholasticis in Academia Vuittenbergensi.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DOmino Francisco ottoni Brunsuicensium & Lunæburgensium duci, generosissimi principis Ernesti filio, Henricus Smedenstedt Lunæburgensis.

Atisfacturus amicis aliquot, editionem orationis de imperatore Ottone primo ualde flagitantibus, existimaui meas operas tibi, clarissime princeps, potissimum nuncupandas esse. Etsi enim non ignorarem, quod à græcis dici solet, nihil referre, sis ne planè inimicus, an importune beneuolus, in neminem perinde atq; in me nunquam tibi cognitum posse dici, tamen non defuerunt maiores causæ, quæ ne hoc prætermitterem, plurimum hortabantur. Nam cum ad hanc primam mei noticiam uiderem non admodum profi-

profuturum mihi, quod non magis te suspexerim, quàm ut tam uile hoc munusculum tibi uel inuito obtruderem, persuadebar non minus proditurum in uulgus Ottonem à me tibi iure dedicari, quod & nemini eum destinari rectius putauerim, quam posteris suis ad eundem sanguinem pertinentibus, & hoc officio tibi, ut magistratui meo, eisdem literis, in quibus nos uersamur, studioso, plurimum me arbitratus sim esse deuinctum. Accessit, quod existimarim in accipiendo etiam liberalitatem quandam inesse, nec minus regium haberi, parua interim ab amicis tenuioribus hilari animo, cum offeruntur, accipere, quam uel maxima beneficia in homines inferioris fortunæ collocare. Quod ego ut & te facturum nunc sperem, tua isthæc summa uoluntas facit, qua pulcherrimarum artium communia nobiscum studia amplecteris, atq; effeciſti etiam, ut nequaquam uidearis fefelliſſe, quam apud nos diu habuiſti, futuræ eruditionis tuæ opinionem.

Probarunt enim id mihi non aliorum de te honestissimi sermones solum, uerum, quam mihi nuper quidam amicus, à te scriptam ad se, præbuit legendam, epistola etiam latina & splendida, qua facile potuit persuaderi mihi, utilem operam toti Germaniæ nauaturum te, quod summo studio uisus sis uersari in liberalissimarum artium studijs, ad retinendam

dam publicam pacem Germaniæ, & propagandam Euangelij doctrinam pertinentibus. Quod si proba re possent, ut haud dubie non sine pernicie sua hodie experiuntur plerique magistratus, haberemus profecto Germaniã pacatiorem, atq; ecclesiam nullo modo tot calamitatibus oppressam. Quare laudari satis institutum uestrum non potest, quod instructus et ornatus liberali doctrina, nihil in administratione reipublicæ uestræ atq; iuuandis ecclesijs, cupias facere contra consuetudinem maiorum tuorum. Patris tui sapientissimi principis pulcherrimam operam, quam ante aliquot annos bonis artibus in Gallijs dedit, nequaquam opus est tibi ad imitandum à me proponi.

De Ottone imperatore dicam. Hunc accipio tanta ui ingenij atq; contentione in discendis literis elaborasse, ut nunquam ante cognitis elementorum figuris, cum priorem amisisset uxorem suam Editam, paucis mensibus bonam latinæ linguæ, artium liberalium, & sacrarum literarum assecutus sit cognitionem: Postea doctrina etiam nõ æquasse solum, uerum superasse facile, qui tum erant principes & uulgus Episcoporum. Hoc imperatoris Ottonis exemplo, ut debebis plurimum, ita poteris acriter impelli etiam ad bonarum literarum cognitionem, quod memoria earum uirtutum, quibus Henricos,

Ottones,

Ottones, ad quos uestra spectat origo, excelluisse fama est, necesse sit incitari uos plurimum & accendi. Originem uestram ad Ottonem primũ dico propterea spectare. Quoniam auus uester Henricus nuper mortuus patrem habuit Ottonem, filium Frederici, cuius pater Bernhardus fuit, filius Magni principis Brunsuicensiũ, & Lunæburgensium: Hic patrẽ habuit Magnum, Brunsuicensium principem, qui consanguineo succesßit Vuilhelmo, Lunæburgensium duci. Magnus patrem habuit Albertum Crassum, filiũ Alberti Magni, cuius pater Otto fuit, filius Vuilhelmi, nati ex Henrico Leione, qui matrem habuit Gerdrudem, filiam imperatoris Lotharij Saxonis, cuius uxor Rixa ex patre Henrico Crasso nata fuit, filio Ottonis, ducis Bauariæ. Huius Ottonis patrẽ reperio Henricum fuisse, fratrem Ottonis primi, Bauarorum ducem, filium clarißimi imperatoris Henrici primi, qui ex Saxonibus primus hunc tantum imperij honorem propter egregiam uirtutis opinionem, est assecutus. Cum itaq; ex hoc præstantißimo imperatore Henrico primo, eiusq; bellicosißimis filijs imperatore Ottone primo, & Henrico Bauarorum duce excellentißimo principe sitis uos procreati, legetis historias maiorũ uestrorum, qui præstanti eruditione instructi, nullam operam paßi sunt ecclesiæ deesse. Quinetiam inter arma id maxime

maxime conati sunt efficere, ut illustraretur doctrina Christi, constitutis in Germania pastoribus, qui præessent ecclesijs, atque religiones interpretarentur. Hoc inquam Ottones studuerunt, fecit imperator Henricus Ottonis primi parens, præstitit Carolus Magnus, qui uos posteros, & consanguineos suos ad honestißimum hoc præscriptum suum imperaturos esse non dubitauit. Decebit igitur te quoque, clarißime princeps, maiorum tuorum res gestas cognoscere, ut lectione talium historiarum maior paulatim innascatur alacritas tibi, atque studium imitandi facta excellentißimorum principum, quorum ut apud te plurimum ualeat autoritas, in causa tibi erit etiam hoc, cum legeris, poëtæ carmen:

Ecquid in antiquam uirtutem animosq; uiriles
Et pater Aeneas, & auunculus excitet Hector.

Non minus idem hoc consilium adiuuabit etiam, quod deus totum mundum imperijs magistratuum obtemperare propterea uoluerit, ut in hac communi societate conseruentur Christianæ religiones, & ecclesiæ, quod qui in his maximis & infinitis difficultatibus summa fide non præstant principes, nihil existimabuntur institutis & conatibus impijs differre à Gigantibus, quorum tantam in fabulis est fuisse amentiam, ut cœlo etiam bellum inferre nihil ueriti sint.

sint. Talium certe tu clarissime princeps aditum sermonemq; defugies, ut hostium ecclesiæ Christi, ne quid ex contagione incõmodi accipias, atq; si quando ecclesia hoc sibi à te in loco patris tui constituto, uoluerit præstari officium.

Ignauum fucos pecus à præsepibus arce.

Hortabitur te ad eam rem etiam autoritas diuini mandati: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite Domino in timore. Nec dubitabitis etiam, quin, si hoc præcepto diligentissime obseruato, rationem habueritis officij uestri, nequaquam in eum deducamini casum, ut quamuis fortunam ab hostibus pati cogamini, si ad arma uentum fuerit, Christus pro sua clementia præter omnium hostium opinionem, te tuosq; conseruaturus est, nihil uobis inter arma erit impeditum, hostibus nihil tutum, ut qui à fortuna facile & uirtute deseruabuntur, tuorum erunt præda. Semper enim præsidium in diuino auxilio quam amicissimum, si quid opus facto fuerit, estis habituri. Illos, quanquam nihil ante non prouiderint, omnia deficere uidebuntur, pertinacia ipsorum augebunt periculum, donec desperata salute impietatis suæ pœnam persoluerint, quam effugere eos non oportuit, quod scriptum sit ab Esaia: Si audire nolueritis, & me ad ira-

iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos. Rem nosti præterea testimonio esse, quod pro defensione nominis sui gloriosis sæpe uictorijs ornauerit Deus Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Constantinum, Ottonem primum, & nostra memoria Principes periculosissimum bellum cum rusticis gerentes, quam Dei uoluntatem erga uos quoq; haud dubie cognoscetis, quoties præsidio & ornamento Ecclesiæ esse studueritis.

Iam quod inopiæ rei frumentariæ, aliarumq; rerum omnium, qua pleriq; propter ingratitudinẽ hodie plectimur, facilius uestra pietate mederi quoq; potueritis, eodem existimabitis pertinere. Nam, quod multa, quibus opus est ad tolerandam famem, hoc anno partim tempestatibus deperierint, partim propter siccitates angustius prouenerint, nequaquam dubitabitis Principũ culpa id maxime accidisse. Maxima enim pars Principum, & sceleratorum Episcoporum ad rabiem à Diabolo reducta, doctrinam de remissione peccatorum non ridet solum, sed damnat, & crudeliter in miseros Christianos, cum potest, statuit. Hinc accidit hodie, ut quic quid delirant Reges, plectantur Achiui: quod & Aegyptijs accidit propter Pharaonis cæcitatem. Verum, quia potentissimi Reges, ut Roboam, Nabuchdonosor, elabi manus Dei uiuentis non potue-

runt, non est, ut nostri admirentur, se tam diu im
pune tulisse iniurias, cum Deus uelit sæpe impuni-
tatem esse diuturniorem, ut grauius ex rerum com-
mutatione doleant impij. Nos itaq; quod non igno
remus, plurimum in extremis periculis ualuisse a-
pud Deum maximorum Regum, ut Dauidis, So-
lomonis, pœnitentiam, singulare studium orga-
nuandam ornandamq; Christi Ecclesiam, spera-
mus te quoq; in his tantis difficultatibus singu-
lari timore Dei, & amore Euangelij futurum
nobis subsidio esse, quam rem iamdudum nobis de
monstrant honestissimi tui conatus, quibus in libe-
ralissimarum artium studijs uersaris, nequaquam
neglecturus authoritatem Imperatoris Ottonis ue-
stri. Quæ quidem res in causa etiam fuit, cur ti-
bi potissimum hanc meam orationem de Ottone
scriptam dedicare uoluerim, ut illi, quem propter
similem uirtutem in Ottone monstratis multorum
existimatio in locum maiorum tuorum sit restituta
ra. Hoc igitur, si intellexero non fuisse omnino
ingratum tibi munus, causa erit profecto, quam-
obrem ipse mihi debeam non immerito gratulari,
ut ab illo factum est, cui Rex Persarum Artax-
erxes memor, quod ingens quoddam pomum ab
eo donatum accepisset, per Solem, respondit, tu
uideris

uideris is esse, qui ex parua etiam urbe magnam posit efficere, animum uidelicet, à quo dabatur, magis spectandum ratus, quàm quod offerebatur munus. Idem si mihi iam in te acciderit, tanto ea res futura est gratior mihi, quanto minus à te hoc munus nostrum fuerit exclusum.

Vale.

Vuittenbergæ. XIIII. Nouembris.

M. D. XL.

Sapienter ab Imperatoribus existimo factum esse, quod certa uirtutis insignia contulerint ijs, quorum operacum Respub. tum Ecclesia plurimum iuuari posse intellexerunt. Nam summæ profecto sapientiæ est, cernere homines ad pacem Rerumpub. atq; ad illustrandã gloriam Christi esse conditos. Minime hoc animaduerterunt Philosophi, qui tamẽ sapientiæ nomen arrogare sibi non sunt ueriti, atq; in sapientia summũ bonum collocarunt, quos propterea non immerito ridet Horatius, cum ait:

Ad summam, sapiens uno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex deniq; regum,
Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Sed taceo Philosophorum stulticiam: Imperatoriã ueram sapientiam miror & prædico, qui noticijs de Deo mentibus impressis admoniti, homines animaduerterunt natos esse ad cognitionem Dei, &, quod in cœlis canunt Angeli, in terris ab hominibus rectissime cantari, Gloria in excelsis Deo. Cum enim ad doctrinam religionis, & ad gloriam Christi plurimum scholæ pertinerent, uoluerunt hos titulos artium liberalium ornamenta esse, & gradus officiorũ imperatores, nequaquam uero magnis opibus comparãdis, aut retinendis destinatos esse, ut

uulgi est opinio, nec in his honoribus ultimũ bonum reponi, ut Philosophi sunt opinati. Et est profecto perneccessarium retineri in Ecclesijs ordinem docentium: Hoc enim neglecto necesse est plurimum dissidiorum oriri in Ecclesijs, quod concordia esse non possit, ubi docti & indocti authoritate sunt pares. Qua de causa cum hi publici bonarum literarũ honores à summis imperatoribus sint instituti, decebit propter autoritatem Magistratus, seu diuini mandati, hæc ornamenta doctorũ uirorum ab omnibus bonis maximi fieri. Si quis est autem, qui tam graui causa non mouetur ad amandas scholas, & magnificiendos hos pulcherrimos docentium gradus in Ecclesia, huic respondeo,

Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.

Cum autem sit hoc consuetudinis huius scholæ, ut, uel de artium studijs hoc tempore dicatur, uel clarissimi alicuius Philosophi, aut Principis historia proponatur, delegi ad præstandum illud officium, quod hoc in loco publicis legibus debeo, historiam quandam Ottonis primi, Imperatoris Saxonis. Etsi enim artes Philosophiæ dignas existimem, quæ à nobis ornari semper, & illustrari plurimum debeant, tamen iure uituperari possem, si idem argumentum retexere ausus essem, de quo diserte hoc in

loco doctißimi uiri, in quibus plus eſt autoritatis, dixerunt.

De Ottone uero, ut dicerem hoc tempore, hæc mihi in cauſa fuerunt. Cum enim de Platone, de Ariſtotele, de Rodolpho Agricola, de Auguſtino ornatißime à uiris excellentibus ſit ante a hoc in loco declamatum, placuit ſequi exemplum doctißimorũ uirorum, quos de ſummis Principibus hoc in loco ante me dicentes non moleſte audiuiſtis. Et profecto, ut exemplorum in omnibus artibus magna uis eſt, ita clariſſimorum Imperatorum & Regum hiſtoriæ plurimum momenti afferunt ad ueram uirtutis cognitionem. Bonæ enim naturæ cogitatione, & admiratione uirtutis in uiris præſtantibus maxime exuſcitantur & incenduntur.

Sed de Ottone dicam, ad cuius hiſtoriam recitandam cum reliquis cauſis hæc quoq; ratio me deduxit, quod putem hoc pietatis officium propter communem patriam magis præſtandum mihi eſſe Ottoni Imperatori, quam de eo à me hic haberi orationem, cui me cõmunis natio non tam fecit obſtrictum, quàm Ottoni Saxoni. Eſt enim ingratitudo quædam, magis homines moueri externis bonis, quàm propriis. Quare eleganter dixit Lucianus, cum ait: ἡ ὁ τῆς πατρίδος αὐλῶν καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τῷ παρ' ἄλλοις πόλοις

pois. Hoc est, pariæ fumus igni alieno luculentior esse uidetur. Etsi autem præclarissimas res gesserint, & cæteri Imperatores Saxonici, ut pater Ottonis primi Henricus, & qui Ottonem primum sequuti sunt Saxones, tamen, quia accipio huius Ottonis inter Saxonicos Cæsares uirtutis opinionem esse singularem, existimaui posse à me non sine causa cæteris Imperatoribus anteferri Ottonem primum, cuius præclara facta, ut nequaquam poterũt à me hic omnia exponi, ita digna quidem essent, ut à uiris doctrina, & usu dicendi præstantibus omni orationis gratia, atq; qua possent, Venere ornarentur.

Quoniam si ueterum Saxonum facta literis essent illustrata, ut Romanorum & Græcorum res gestæ ab historia lumen acceperunt, non existimo dubitandum esse, quin ueteres Saxones, quorum opera Romani sæpe grauissima bella aduersus Saracenos, Vngaros, aliosq; exteros suscepta sine labore & periculo confecerunt, haud quaquam cernerentur fortissimis Romanorum, & Græcorum Principibus esse inferiores. Quare, cum reperiamus hoc iniquiorem esse nostrorum hominum fortunam, requirere hoc à nobis pietas uidetur, ut nostrorum Principum facta ornare conemur, quorum memoriam paucorũ prodidere historiæ. Ego

itaq; eandem ob causam, tum etiam propter temporis angustiam (postquam attigero saltem, quæ ad originem Ottonis, & possessiones eius spectant, tum alia nonnulla in Ottone nequaquam tacenda) pauca adferam de rebus ab Ottone præclare gestis in Italia, ex quibus summum eius studium propugnandi Romanum Imperium, præcipue uero illustrandi nomen & gloriam Christi cognosci poterit. Hæc itaq; dum breuiter expono, rogo uos doctissimi uiri, ut me patienter audire uelitis. Ego, quod ad me scio pertinere, dabo operam, ut breuitate orationis tædium leuetur auditoribus.

Obtinuit Otto Principatum Saxoniæ (ut hi, qui Ottones, Henricos, Lotharios descripsere, authores sunt) Anno fermè ab hinc sexingentesimo. Erat autem in possessionibus Ottonis tota Saxonia. Paruit enim Ottoni ea pars, quæ ad Occidentem spectat: Hæc complectabatur Vuestphaliam, Phrysiam, Vuandalicam regionem ad Albim & Mare pertinentem, in qua hodie sitæ sunt maximæ, & copiosissimæ urbes Saxonum, quas Vuandalicas uocant. Tenuit & superiorem Saxoniam Otto, id est, Vuittenbergensem unà cum Marchia Brandenburgensi, Misnia, Turingia.

Patrem

Patrem habuit Henricum primum, qui inter imperatores primus fuit Saxo, natus ex patre Ottone, duce Saxoniæ, filio Ludolphi, ducis Saxonum, cuius pater Bruno fuit Saxonicus princeps, natus ex Vuilgberto Britanniæ duce, filio Vuedekindi Magni summo loco in Saxonibus nati, & ducis Saxonum in bello Saxonico triginta annos gesto à Carolo aduersus Saxones, propter religionem Christianam nondum translatam ad hos populos. Ex matre uero idem Henricus, pater Ottonis, natus est Lucarda, filia imperatoris Arnulphi, cuius pater fuit Carlomannus, frater imperatoris Caroli Crassi, et filius Ludouici regis Germanorum, qui patrem habuit imperatorem Ludouicum primum, filium Caroli Magni. Propter auiam itaq; ad sanguinem Caroli Magni pertinuit Otto primus, propter auum uero Ottonem ad stirpem Vuedekindi Magni spectauit. Matrem habuit Otto Mathildem, filiam comitis Theodorici Saxonis, ad eiusdem Vuedekindi Magni familiam pertinentis.

In imperio etiam propinquitatibus & affinitatibus præstantißimis principibus fuit coniunctus Otto. Rex Galliæ gener erat: Britanniæ rex socer Ottonis: Filius Ottonis Ludolphus rex Sueuorum erat: Dux Bauariæ Henricus fuit frater Ottonis. Colonienſium epiſcopus Ottonis frater Bruno fuit:

Maguntinus erat Ottonis filius Vuilhelmus: Otto filius Ottonis imperatoris, ex secunda uxore natus, à patre, cui postea in regno successit, rex Germaniæ est constitutus, deinde nactus uxorem imperatoris Græcorum Ioannis sororem Theophaniam. Tacco reliquos principes, quorum propinquitas multa Ottoni ad copiam, & ad usus largiebatur.

Imperator Romanorum et Germanorum, propter insignem uirtutis opinionem, dictus est à moriturο patre Henrico. Quotquot enim Carolum Magnum antecesserunt, & secuti sunt boni imperatores usq; ad tempora Ottonis tertij, non ambitione (ut pleriq; imperatores Græci) sed opinione singularis prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, imperium sine autoritate pontificis obtinuerunt. Quam quidem consuetudinem etsi accepisset à maioribus Otto, tamen, quod uereretur fortasse existimationem multorum, quibus errore quodam persuaserant Itali, non habendos esse numero Romanorum imperatorum patrem Ottonis, Henricum primum, &, qui hunc antecessit, Conradum Francum, quia autoritatem pontificis neglexissent, cum primum pater Henricus mortuus esset, coronatus Otto à summo Germanorum pontifice Maguntino Hildeberto monacho, excellenti doctrina prædito, Aquisgrani, Romæ etiam coronam imperij accepit à Leone octauo.

Decla-

Declaratus uero Imperator regnasse dicitur annum tricesimum sextum. Longe in hoc magistratu principes suorum temporum excelluit insigni pietate, egregia animi magnitudine, & constantia, mira seueritate uitæ regiæ, excellenti acumine mentis, sapientia, iustitia, clementia, quibus uirtutibus hinc maior accessit autoritas etiam, quod moles corporis in Ottone ea esset, quæ regiam maxime decuerit dignitatem, quod capilli cani, prolixior barba, habitus patrius, ut qui nunquam sit peregrino usus.

Versauit hunc Ottonem, postquam imperium adeptus esset, in tantis contentionibus & certaminibus fortuna, ut propter rerum à se gestarum magnitudinem agnomine dictus sit Otto Magnus, Vniuersalis, Augustus. Et accidit certe Ottoni, quod fieri necesse fuit in tantis calamitatibus Romani imperij, illatis ab Vngaris, Saracenis, Longobardis, Gallis, Vuandalis, nullum finem iniurijs Ottone iam imperatore facturis: Horũ alij, quod imperio Romano suam potentiam diminui uiderent, fortunam, quæcunq; accideret, experiri maluerunt, quàm Romanorum imperia sustinere: Alij, quorum pleriq; necessarij erant, et consanguinei Ottonis, quod summã imperij ad Ottonem delatã ad se pertinere arbitrarentur, Ottoni non erant amici. Hinc factũ est, ut cũ Bohemis quindecim annos continenter bellum gesserit,

serit, propter amplitudinem, grauitatemq; ciuitatis Bohemiæ multo, quam nunc est, maiorem. Cum ungaris Saxoniam stipendiariam facturis, quod inimici imperij Romani cum patre Ottonis Henrico eadem de causa armis quoq; contendissent, diu & acriter decertauerit. Magna etiam apud omnes hodie autoritas est eius belli, in quo triginta duabus legionibus ex omni Saxonia coactis, cum Hugone Gallorum duce, nouarum rerum, & magni imperij (ut est Gallorum natura) cupidissimo conflixit.

Non minus etiam rem ad arma deduci studebant Ottonis necessarij, in quibus maiorem fidem esse oportuit. Nam quod imperator Conradus primus, Francus, discessurus imperatorem dixisset, non fratrem Euerhardum Palatinum, sed Henricum primum, patrem Ottonis primi, diu & acriter pugnatum est aduersus Ottonem ab Euerhardo, & Ottonis fratre Henrico, qui captus & ex Germania abductus à Gallis, consenserat aduersus fratrem cum hostibus, persuasus non difficile esse, obtineri à se imperium, Ottone fratre pulso. Reliquas historias, ne longius ab instituto uidear digressus esse, prætereo. Galli certe, quod nulla causa imperatori bellum feciissent, merito suo in his bellis multo humiliores infirmioresq; sunt effecti, non tamē propter clementiā imperatoris Ottonis redacta Gallia in prouinciam,

uinciam, nec ciuitatibus impositō stipendio, cum ius belli fuerit, ut qui uicissent, ijs, quos uicissent, quemadmodum uellent, imperarent. Qua quidē clementia usus postea est erga Romanos etiam, quorū Italiam haud dubie uectigalem fecisset, ut Galliam potuisset, si nihil contra iustitiam fuisset facturus redigendo sub imperium suum Italiam. Vt enim quisq; maxime potens est, ita eum late dominandi cupiditas angit plurimum, & agitat. Tum nemo facile, quod sciam, ex principibus à conatu amplificandi imperij est deterritus, quod aut luminis, aut manus, aut cruris aut alterius membri iacturam fecisset. Talis est fere omnium regum uoluntas, etsi non omnium talis sit audacia. Verum Otto his rebus, tum aliorum quoq; exemplis, qui, egressi Italiam et Gallias, belli fortunam contra iustitiam in Germania tentassent, minime motus, iustitiæ suæ & autoritatis multum iudicauit interesse, dignitatem Romani Imperij nequaquam à se male faciendo minui: Sed iustis de caussis augeri & ornari plurimum, atque omni studio defendi publicam pacem ad defensionem imperij Romani necessariam. Tum etiam nequaquam committendum esse, ut, qui suas fortunas ipsius fidei permisissent, ab imperatore perfidem circumuenti dicerentur.

Venio ad historiam rerum Italicarum, quam

hoc

hoc in loco maxime ſtatueram exponere. Hoc Ottone imperatore, eccleſiam moribus improbis, et uitæ turpitudine plurimum deformabat Romæ Octauianus pontifex. Erat homo deditus luxui & aleæ, quodq; conſequi neceſſe fuit, ganeo, ſcortator, periurus, blaſphemus. Damnabat coniugium in ſacerdotibus, quos comperit repugnare ſuæ libidini, his religionibus, & omni Italia interdixit. Fuerunt autem tum forte ex Cardinalibus duo Romæ, quos uel grandior ætas, uel conſcientia etiam meliorum admonebat, qui ferebant grauiter hanc Epicuri uitam in pontifice, cuius amentiam cum hoc longius progredi uiderent, quo ſæpius admoneretur, & Italiam alioqui grauiter quoque premi tyrannide Berngarij tertij, ducis Longobardorum, quod magnam partem Italiæ, nihil ad ſuas poſſeſſiones pertinentem, redegiſſet in prouinciam, atq; propter eam potentiam Henricum ducem Bauariæ in Italiam ad pellendum Berngarios uocatum, Italia decedere, atq; exercitum deducere coëgiſſet: ſtatuerunt auxilium per literas aduerſus Berngarium & pontificem ab Ottone imperatore implorandum eſſe, quia aduerſus Bohemos, Vngaros, Bauaros, Gallos, Danos, Vuandalos geſſerat bella, quorum tanta ad Romanos perlata fuerat opinio, ut nomine Ottonis uenturi uterque propemodum Berngarius &

& pontifex ab instituto consilio deterreri potuerit. Quare communicato cum principibus aliquot Italiæ consilio, literis rogant Ottonem, uti auxilium ferat laboranti Ecclesiæ, & oppressæ reipublicæ. Coërceri à magistratibus Berngarios & pontificem non posse. Quinetiam, quod necessariam rem enunciarint imperatori, intelligere se, quanto id cum periculo fecissent, Et ob eam causam, quamdiu potuerint, tacuisse.

Ottonem cum multæ res hortarentur, quare sibi eam rem cogitandam & suscipiendam putaret, in primis, quod ecclesiam, quam sui nihil deperdere uoluit, non abesse à periculo arbitraretur, omnibus rebus ad bellum comparatis, exercitum, quam potest maximum, curat conscribi: Et coactis militum quinquaginta milibus, qua proximũ erat iter, in Italiam contendit. Huc cum uenisset, statuit primum cum Berngarijs prælio decertare, quos cum reperisset oppidis se continere, non facturos sui potestatem imperatori, captis oppidis, imperat Berngarium Italia decedere cum filio Alberto.

Pulsis Italia Berngarijs recta cum exercitu Romam contendit, de rebus ecclesiæ collocuturus cum põtifice imperator. Vbi, cũ præsidia disponi curasset, quo facilius, si quid aduersus imperatorem conaretur põtifex, prohiberi posset, secreto cũ pontifice

collo-

colloquitur, simul commonefacit, quæ ex bonorum uirorum literis de flagitijs pontificis cognouisset, & quæ palam quisq; de eo apud se dixisset. Primum benigne appellando rogat hominem, uti ecclesiæ ornamento & præsidio esse uelit, non detrimento uel dedecori, cogitaretq; uitæ sanctimoniam decere pontificem cum religione præ se ferre. Postremo, cum reperiret sua admonitione non effici, ut ad sanitatem reuerteretur Papa, ostendit, si non pareat, se ecclesiæ iniurias non esse neglecturum. Imperat itaq; in diem certum concilium indici, uocatis ad hoc omnibus episcopis, quos integros & bonos esse sciebat, ut horum decreto cogeretur stare pontifex. Die concilij cõstituto, pontifex memor adagij, quod est, Vulpinã pellem assuendam esse, si leonina non sufficit, noctu præter omnium opinionem elabitur, latuitq; in Hernicis, bellum aliquando sui defendendi causa facturus imperatori. Ter autem ad Synodum publice uocatus, non paruit edicto, nec abesse suspicio, ut quidam arbitrantur, quin sub idem tempus in adulterio deprehensus, sit interfectus.

Imperator itaq; cum animaduerteret negligi auctoritatem concilij à pontifice profugo, quæ in pontifice reprehendat, coràm concilio ostendit, quæ ipse intelligat, quæq; alij querantur, proponit, efficitq; ut è communi consensu nouus declaretur pontifex

tifex Leo octauus. Iam Pontificis amentia sublata, cupit & in reliquis difficultatibus subsidio esse Ecclesiæ. Quare, ut & possessionibus iniustis, opera, quę fecerat Pontificis liberaret Ecclesiam, plurimũ auaritia Pontificum oneratam, & in reliquum tempus multo maiora ad illustrandam gloriam Christi conferre posset, dat operam, ut, priusquam discedat à Pontifice, donationes Imperiorum, quas fabulantur factas Papæ Syluestro ab Imperatore Constantino à Pontificibus, dominis iniustis, transferantur ad Imperatores, ad quos pertinuerunt. Nequaquam enim arbitrabatur hoc tantum totius Occidentis imperium ciuilibus Magistratibus à Pontificibus eripi debere. Non respuit conditionem Pontifex, quod arbitraretur, se pro beneficijs Imperatoris, quibus ab eo esset ornatus, plurimum Imperatori gratificaturum esse in rebus, quarum se dominum haudquaquam iure fore existimauit. Permittit igitur has donationes Constantini Ottonis potestati Pontifex, confirmatq; literis omnium Cardinaliũ consensu approbatis, totum Occidentem imperio Ottonis, posterorumq; eius, iure obsecuturum, & nequaquam Pontificum. Addidit hoc quoq;: Summam authoritatem in electione Pontificis debere Imperatoris esse, non Episcoporum, quod uideret uulgus Clericorũ propinquitatibus & utilitatibus in

decernendo Pontifice moueri magis, quàm doctrina & innocentia.

Otto uero his rebus confectis, reliquis duodecim annis Imperij sui sic Magistratu hoc defunctus est, ut exemplum fortibus & bonis Principibus defendendæ religionis egregium proposuerit, quod, quia accreuit oratio magis quàm uolui, lubens prætereo.

Alexander Magnus huncuersum inter Homericos maxime dicitur probasse.

Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Dux bonus ac miles præpollens uiribus idem.

Quanquam mea quidem sententia non magnum habeat momentum in Principe corporis robur, plurimum autem consilium, iusticia, studium pietatis, illustrandiq; nominis diuini, quas equidem uirtutes de Ottone primo iure existimo prædicari posse. Ecclesiæ profecto (nam eam rem, ut breuior sim, hoc loco explico solum) quod Pontificem repressérit, eiusq; minuerit potentiam, magnam operam nauauit Otto. Prius autem, quantopere, cũ Pontificem deponeret, ecclesiam iuuerit, ostendam: postea de donationibus Imperiorum breuiter dicturus. Erant igitur Ottoni non tantum grauissimæ causæ Romã proficiscendi in Pontifice, quod helluo esset, scorta-

tor,

tor, periurus, blasphemus, uerum adiuuabat haud dubie idem consilium is etiam, quo fungebatur, Magistratus, qui mandatum habebat cõmunicandæ doctrinæ, abolendi impios cultus, auferendi authores scandalorum, & maxime cogendi in ordinem Pontifices discedentes ab officio, quod quidem etiamsi non legisset, ut legerat, monere tamen & lex naturæ ipsum potuisset, ad quam non doctus, sed factus erat, ut custodem se intelligeret non uentris esse, aut imperiorum tantum, sed Ecclesiæ etiam: Cui profecto magnam præstitit operam, quod uitam Pontificis impij, omnium scelerum plenam, emendandam sibi eo tempore statuerit, quo primum ab Imperatoribus ad Occidentales populos doctrina de Christo fuerit translata. Multi enim ex Vuandalis & Cymbris (qui à Carolo Magno coacti baptismum acceperant) à Christiana religione ad Idola defecerant, quos Henricus, & Otto primus non sine magno negocio leguntur retraxisse. Quare, si de amentia Pontificis hæ gentes cognouissent, perfacile omnibus his tota doctrina de morte & resurrectione filij Dei in suspitionem uenisset: Qui enim iam ante inimico animo in Christianos fuerant, facile ab instituto his tantis Pontificum sceleribus deterriti fuissent, quæ certe ab ijs etiam, qui de Christo nihil cognouerant, in turpissimis rebus haberi necesse

fuit. Quod Pontifex etiam, qui totius Ecclesiæ caput, & Christi uicarius esse uult, summa uitæ innocentia coram mundo lucere debuerit, eodem ipsis pertinuisset. Multi etiam Epicurei, quorum Deus uenter erat, tanta uitæ libertate in summo pontifice delectati, facile se in eam consuetudinẽ adduxissent, ut nullo officio, aut disciplina assuefacti, Epicuri crapulas, adulteria in peccatis haudquaquam numerassent. Taceo furta, latrocinia, aliaq; innumera scelera, quæ eadem de causa nullam apud ipsos infamiam habitura fuissent. In Pontifice enim omnis facinoris cuilibet fuisset exemplum, & ab eodem omnium scelerum impij homines sumpsissent sibi excusationem. Tantum profecto scelus erat labi pontificem, in quo peccandi causam nemini tum esse oportuit.

Illustris est memoria Constantini, quod iusserit claudi idolorum templa, prohibuerit sacrificia Ethnicorum, iusserit publice doceri Euangelium, dederit stipendia doctoribus, deniq; magnam partem ueteris formæ in imperio Romano propter Euangelium mutauerit, cum acerbe adhuc odisset nomen Christi maxima pars imperij. Magnam præterea apud omnes semper habuit uirtutis opinionem Carolus Magnus, quod triginta circiter annis grauissimo bello persecutus sit Saxones, Danos, Vuandalos, priusquam

priusquam cogere eos ad approbandum doctrinam de Christo potuerit.

Digni certe Imperatores, quorum res gestæ in singulis harum gentium urbibus publice quotannis decantentur, quod ipsorum opera Christiana religio ad hos populos primum sit translata. Quid autem Elemosinæ Constantini, quid immensi labores Caroli, magnopere profuerint Ecclesijs, in quibus impiorum, & sceleratorum Pontificum libido anteferenda sit Imperatorum legibus, atq; Magistratibus adempta potestas sit animaduertendi in doctores impios, soli Magistratui in reliquis mandatis à Deo data? Multi perpetuo ocio & luxuria effecti fuissent Epicurei, derisissent iudicium Dei, iudicassent Euangelium fabulosum esse. Postea, cum animus impurus esset, non temperassent se ab apertis maleficijs etiam: Nonne satius fuisset seruatis cultibus idolorum, quibus assueuerant ante Carolum Magnum Vuandali, Dani, cæteriq; idolatræ Germani, populum retineri in officio, atq; certa disciplina assuefieri, ut statuisset hos deos (quorum opibus se iuuari opinabatur) homines pro scelere ipsorum ulcisci uelle: Contra uero obtemperantibus premia non defutura esse? Præstat enim omnibus modis aliquam retineri disciplinam, quàm Pontificum amentia totam è mundo tolli iusticiam.

Certe hoc tantum incõmodum satis perspexerat Otto, & uiderat haud dubie hos utilißimos Constantini & Caroli labores facile perituros Ecclesiæ, nisi & suo exemplo doceret posteros, ius animaduertendi in Pontifices penes Imperatores esse: Et lege etiam sanciri curaret, autoritate Leonis octaui, neminem loco Pontificis habendum esse, nisi autoritate imperatoris esset constitutus, quo Ottonis decreto, quia non stetit imperator, qui Ottonem secutus est, Henricus quintus, quod omnia rursus donauerit Calixto, iure ab Ottone Pontificibus detracta, eorum numero habebitur, qui propter imperitiam lapsi maximas calamitates Christianæ intulerunt Ecclesiæ.

Magnum igitur laborem, ut Ecclesiam iuuaret, sumpsit sibi Constantinus, magnũ item Carolus, sed minorem Otto nequaquam. Non enim minor est uirtus, quàm quærere parta tueri, ut ille ait. Imò si audiendus Demosthenes est: πολλάκις δοκεῖ τὸ φύλαξαι τ' ἀγαθὰ τῶ κτίσασθαι χαλεπώτερον εἶναι. Hoc est, maioris sæpe negocij est, retineri, quæ habentur bona, quàm quæ non habentur, parare.

Quam igitur, si uiueret Otto, uellet sibi amicitiam esse cum Principibus nostrorum temporũ, qui non tam opinione quàm metu patriã uirtutem proijcientes,

ijcientes, quinetiam uino cæterisq; rebus ad luxuriã pertinentibus effœminati, papisticæ factionis crudelitatem horrent: Et quanquam bonã partem doctrinæ intelligant, tamen quia imperijs suis periculosum esse arbitrantur, propter Euangelij doctrinam Pontificis gratiam repudiari, magna amentia impulsi, adiuuant sæuitiam, defendunt impietatem contra conscientiam, prætexentes studiũ retinendæ Ecclesiasticæ autoritatis. Et, quod turpissimũ est heroico generi, non tantum ecclesiã Christi oppugnãt, uerũ propter metum etiam destitui à se religionem & iusticiã haudquaq; pudet, quod alia ratione pacẽ factionis pontificiæ sentiant se redimere non posse.

Historiæ affirmant, quod Romanos pro scelere ipsorũ tantopere ultus sit Otto, ut agros Italiæ uastare non dubitauerit, oppida expugnare, consules Roma capta proscribere, senatores suspendio mulctare, quia Leonẽ consensu totius concilij Episcopũ Romanæ ecclesiæ factum, et toties ab imperatore restitutũ in pontificiam dignitatem, ciuitate eijcere nõ desisterent, qui Octauianũ profugum in antiquum locum honoris restitui cupiebãt. Si igitur tam grauiter in manifestos religionis hostes animaduertit Otto, quo dolore aduersus illos exarsisset, quos in ecclesiæ causa desertorum ac proditorum numero fuisset habiturus, si incolumis esset?

Quod autem non solum opposuerit se Pontifi-
ci, uerumetiam acriter pro Leone pugnauerit, pro-
bari potest, id factum esse ab Ottone, quod impus
Pontificum opiniones in tot occupationibus non sa-
tis deliberatas reliquisset existimandas toti consilio:
Et quod opinaretur ex usu Ecclesiæ esse, ut, quia
Synodi toties cogi non possent, in Ecclesia caput es-
set, à quo controuersiæ, quæ sæpe magnæ & gra-
ues incidunt, minuerentur. Accipio enim Ottonis
opinionem nequaquam fuisse eam, quæ est Pontifi-
cum, hoc est, deprecari homines iram diuinam inuo-
catione & opera sanctorum debere. Docere hac
poterunt res ab Ottone gestæ in bello quodam Galli
co. Principes enim Gallorum natione Germani, id
est, Franci, & propinquitatibus coniuncti Imperá-
tori Conrado Franco, cui successerat Henricus Sa-
xo, pater Ottonis primi, ingens dicuntur, fratre Ot
tonis Henrico capto, bellum fecisse Ottoni Impera-
tori, quod magno ipsis dolori esset, superiori Fran-
corũ gloria diminuta, honorem imperij Ducibus Sa
xoniæ cõmunicatum esse. In hoc bello Gallus cum
toto Imperatoris exercitu, ueritus uno tempore
prælium committere, locis syluestribus in ripis Rhe
ni, quem traiecturus erat Imperator, exercitus suos
occultabat, ut milites Imperatoris, qui Rhenum tra
duci omnes uno tempore, propter nauiũ inopiam,
non

nõ poterant, nauibus expositos & imparatos inopi
nantesq; aggrederetur. Quod cum accidisset, & Sa=
xones, absente imperatore, in ipso negocio consiliũ
capere coacti, nihil iam Cæsaris imperium expecta
rent, sed per se, quæ uiderentur, administrarent, an=
cipiti prælio aliquandiu, atq; acriter utrinq; pugna
tum est. Otto uero, cum animaduertisset magno in
periculo suos uersari, quod suos, qui flumen transie
rant, uirtute & numero pugnandi hostibus non es=
se pares sciret, quod ferre suis eodem tempore in
tanto periculo auxilium, propter fluminis altitudi
nem latitudinemq; non posset, plurimum commo=
tus, & nullius iniuriæ sibi conscius, toto exercitu
pronunciari iubet: Nullum bellum sine diuino auxi
lio fœliciter confici, atq; hominis iusti orationem au
toritate Iacobi plurimum coram Deo posse: Et à
Mose orationibus effectum esse, ut in bello aduersus
Amalachitas suscepto uictoria sine magno labore
sit potitus. Quare milites omnes in his extremis re=
bus, diuina autoritate iussi, auxilium à deo implora
rent. Statuere sese, Deum inuocantibus se, in pio &
iusto negocio, haudquaquam defuturum esse. Qui=
bus denunciatis descendit ex equo imperator, atq;
corpore inclinato clariore uoce pronunciat oratio=
nem dominicam, ut ab omnibus, qui præsto essent,
exaudiretur. Hac oratione facta, non fefellit spes

sua imperatorem. Saxo aliquis pugnans, cum reliqui Saxones uictoriam conclamarent, Gallorum lingua fuge Galle fuge exclamat. Hanc uocem cum Galli putarent à Gallo efferri, atq; Ottonem cũ reliquo adesse exercitu, omnes, omnibus rebus desperatis fugam petierunt.

Dixi historiam, petijt Otto uictoriam in nomine filij Dei, non Vrsulæ aut Georgij, qua causa factũ est, ut, paucissimis militibus Ottonis dimicantibus, pugnandi causa ex hostibus postremo resisteret nemo. Quare satis, ut opinor, demonstrant, Christiana Ottonis oratio, & inopinatus belli euentus, Ottonis sententiam de remissione peccatorũ multo sanior em fuisse, quàm est Romani Episcopi. Eodem pertinebit etiam, quod uiuendi finem facturus utranq; speciem Cœnæ Dominicæ uoluerit sibi communicari, rem minime gratam monachis & Pontifici. Et, quod ad doctrinam attinuit, præstitit profecto, quod potuit etiam, cum uniuersale concilium cogeret propter Pontificem, maiora haud dubie, si potuisset, præstiturus. Vt enim externæ disciplinæ cura ad Ottonem pertinuit, ita iudiciũ de religionis doctrina totius fuit concilij, cui cũ ipse ut legis peritus præscribere non posset, laudandus est, quod libidini saltem Pontificis impij fortiter repugnauerit, ne Deum in tot scelerum dissimulatione afficeret contume-

lia,

lia, & plurimis autor scandali esset. Exposui quopacto coërcendos, atq; deterrendos Otto uoluerit Pontifices esse. De donationibus non dicam multis propter temporis angustiam. Magno & impudenti ore, iactat donationem Constantini Pontifex: Suam ait esse urbem Romam, suum regnum Siciliæ Neapolitanumq;, suam uniuersam Italiã, tres Galliás, duas Hispanias, Germanos, Britannos, suum denique occidentem, alteram partem orbis terrarum. Cuius possessionem cum obtinere non possint Pontifices, ius tamen possidendi iactant suum esse, et licere sibi quauis ratione patrimonium ecclesiæ à Constantino donatum, ab occupantibus extorquere. Hinc accidit, quod omnium ad se opes traxerint, rapiendiq; nullum modũ fecerint, in remissione peccatorũ precium statuerint, uendiderint infiniti generis bullas, præsertim Germanis, utpote quos cerebrum non habere credebant. Tacco possessiones mille artibus occupatas à coniuratis Pontificum, ut, Episcopis, Canonicis, monachis, qui propter intolerabilem auariciam, non sine summo scelere omnium ferè facultates in suam potestatem redegerant.

Hoccine fuit ex Petro Iudam fieri, miserum populum amore pecuniæ in summum deducere periculum corporis & animæ? Hoccine est Ecclesiã, imo ipsum etiam spiritum sanctum habere quæstui?

Recte

Recte ne ad hos lupos uoraces dixeris Paulum scripsisse, nomen dei per uos blasphematur inter gentes. Qui alios docetis, uos ipsos non docetis, Qui prædicatis non furandum, latrocinamini. Qui abominamini idola, sacrilegiũ facitis? Maximam itaq; laudem inter imperatores ferat Otto, quod in tanta tyrannide impedire uoluerit pontifices: Cum nec donauerit ea imperia Constantinus, nec, si donasset, iure id diceretur fecisse. Quopacto enim donasset Syluestro dimidium bonorum uel imperij pro baptismo, quem historiæ ante Syluestrum à Melchiade baptizatum esse confirmant? Aut quo iure Constantinus imperium deposuisset, ut donaret sacerdotibus, cum horum imperiorum possessor, uicarius Christi, aut Petri non sit, iuxta illud: Regnum meum non est de hoc mundo. Quare, cum ecclesiæ ministros à Repub. scriptura uelit abesse, laudandus est Otto, quod, in tanta pontificum insania memor officij sui, nullam sibi amicitiam esse cum pontifice uoluerit, qui de possessionibus magistratuum decedere nollet. Quodq; monachos etiam (ut in historijs est) bello uoluerit persequi, quia existimauerit nihil eos, uoluptatibus in cœnobijs deditos, pro sano facere, multoq; esse satius, paucos, eosq; pios & doctos, ali bonis ad ecclesiam pertinentibus, quàm ea, quæ ecclesiæ donata sunt, scelerate profundi à tanta

multitudine

multitudine ociosorum hominum, qui nullo officio, aut disciplina assuefacti, neq; ecclesiæ, neq; Reipub. utiles essent, sed fruges tantum consumere nati, ut Horatius inquit. Addo, quod, tantis restitutis impe rijs, & infinita pontificum auaritia repressa, uolue rit pro consuetudine maiorum suorum ecclesias in Germania non modo sui nihil amittere, sed opibus, dignitate, & honore auctiores esse. Vt enim pluri- mum beneficij collocaret in ecclesias, celebrium ali- quot pontificatuũ autor fuit, ex quibus uocari pos- sent ad docendas ecclesias, cum opus esset, docti uiri, & Christianæ doctrinæ periti. Multum enim sua in tereſſe sciebat, dare operam, ut retinerentur scholæ, recte doceretur iuuentus, magnoq; in numero & honore apud omnes haberentur, in quibus libera- lis esset bonarum artium cognitio, atq; ex ijs quàm plurimi pij constituerentur doctores uerbi, quorum copia ne deficeret, pontificatus constituit, quos ne- quaquam uoluit teneri ab hominibus indoctis & im probis, quibus nulla honesta disciplina, nulla reli- gio, nulla peccatorum remißio, nulla deniq; futura uita, præ summo odio dei & Euangelij, curæ esse, uel in mentem uenire potest. Taceo reliquos episco- patus, qui Ottonis opera, causa discendarum ar- tium, & illustrandæ doctrinæ Christi, facti partim in Cymbris sunt, partim uero in Vuandalis. Mag-

dæburgensibus non solum, quam possident, urbem præclarissimam extruxit, auxit, liberam effecit, uerum pontificatum in ea celeberrimum haberi curauit, in quo ali magnum numerum eorum bonis Ecclesiæ uoluit, qui in literis uersarentur, & diligenter cognoscerent doctrinam de Christo, ut supperet copia Episcoporum, hoc est pastorum, qui euocati ad docendas Ecclesias populum recte docerent de lege, de peccato, de beneficio Christi omnibus gratis proposito. Quam quidem summam conditoris sui authoritatem, in ijs, quæ ad habendas scholas, & recte docendam puericiam spectant, detrectari ab ea ciuitate minime decebit. Reliqua, quæ opera Ottonis accesserunt Ecclesiæ, quia longum est enumerare, relinquo ex hac breui historia auditoribus existimanda.

Otto in bello Gallico, cuius iam facta mentio est, partim à militibus aliunde in auxilium uocatis, quod, quia non magnum usum in re militari haberent, Gallos metuerent, partim à fratre Henrico, quod cum hostibus consensisset, plurimũ destitueba-tur: Hoc cum animaduerteret comes quidam, homo uafer & potens, qui, quod tam necessario tẽpore, & tam propinquis hostibus, suo auxilio plurimum putaret subleuari imperatorem, sperabat se nihil ab imperatore iam non impetraturũ esse, rogat, ut mo-

nasterium

nasterium quoddam nobile, & copiosum cum fructibus sequentiũ temporum sibi attribuat imperator, non satis ostendens suppetere alioqui copias sibi, ex quibus dari militibus oporteret. Imperator, quod intelligeret qua de causa ea dicerentur: Non, inquit, in his difficultatibus ita circumuenturus es Ottonem uulpes. Mihi mandatum est Deo obedire magis, quàm hominibus. Itaq; cum prohibeat scriptura, sanctum dari canibus, nequaquã permitto ea à te occupari, quæ nosti ad Ecclesiã spectare. Si igitur nihil apud te pudor & officium ualent, deserito & prodito hostibus dominum tuũ. Ego certe meum Reipub. officium præstitero: Et quanq̃ tu non sequaris, ipse tamen cum Saxonibus meis, de quorũ uirtute non dubito, ad hostes sum iturus.

Probat hæc historia plurimum religionibus deditum fuisse Ottonem, atq; omnes propterea conatus suos eò uoluisse spectare, ut priuatarum rerum omnium dispendio etiam, si res tulisset, summa à se semper haberetur Ecclesiarum ratio, quod, quia tempus postulat, desino pluribus demonstrare, & precor Christum, ut spiritu Christi adiuti horum temporum Magistratus imitentur Ottonis factum, in procurandis rebus ad religionẽ pertinentibus. Nam hoc Ottonis exemplum si nostrorum temporũ Principibus probaretur, nequaq̃

hæc

hæc Romana & barbarica seruitus in ecclesia tolerãda esset, quæ uetat discerni ueram doctrinam ab adulterina, quæ nefarios abusus confirmat, quæ summa acerbitate suppliciorum defendit inuocationem sanctorum, prophanationem cœnæ dominicæ, nundinationes missarum, impuros cœlibatus, et pleraq; alia scelera pontificum, quibus se principes nostri tantopere adiungunt hoc tempore, ut sententias & linguam ijs addicere non uereantur, nescij, quod turpissimum sibi sit, tanto assentari depeculatori, qui etsi in possessiones ipsorum aperta ui non ueniat, tamen fraudibus innumeris suorum coniuratorum ita retinet eos circumuentos, ut & principibus parum reliqui sit, si subditis stipendium remiserint. Et subditis domi fere nihil sit, quo tolerare famem possint, si dependerint. Vnde consequi deinde oportuit, quod omnibus apertum est, ut, postea quam reges, principes, ciues pecunia ita despoliauerit hæc Romana factio, necesse sit illos uicissim, siue pessimo exemplo induci, siue necessitate cogi (licet nõ sit uera necessitas) ad auferenda ea, quæ sunt ecclesiæ.

Taceo, quod nequaquam etiam iam annis circiter sexcentis hæc Romana tyrannis bella intulisset pacatis populis: Et inter ciuitates principesq; discordias seuisset, neq; hoc nostro tempore ubiq; tantopere arderent impij & scelerati principes in delendis

lenda funditus Germania, propter Euangelium Christi, si Ottonis Imperatoris authoritas ualeret. Otto certe, quod riui amari sunt, fontem iudicasset obstruendum esse, quod rami sunt immundi, è radice intellexisset uitium uenire, quod massa sancta non est, delibationem putasset abominandam esse: Et, ut semel dicam, Principatum potentiæ Papalis, non ex Deo, sed ex Diabolo originem habere iudicasset, quod tantorum scelerum, tantorumq; omnis generis malorum cerneret causam esse in Pontifice, superbe & crudeliter imperante. Quanto rectius igitur Principes horum temporum secuti fuerint Ottonis sententiam, atq; hos depopulatores, Mgistratuum possessionibus pulsos, tot tantisq; rapinis prohibuerint, dederintq; operam, ne tot horrendis scandalis obscuraretur doctrina Christi, de remissione peccatorum, & uita æterna? Sunt enim omnino sine cerebro, quotquot Principes esse ignauos opinantur, qui in religionibus emendandis plus operæ sumant, quàm in administrandis Imperijs, cum nulla in re plus possit esse uirtutis & gloriæ, quàm est in ornanda & illustranda Christi Ecclesia. Lucere enim ea in re fortitudinem, & magnitudinem animi Principum omnino necesse est, quod sine maximis periculis, & plurimorum odijs receptæ re-

ligiones nullo modo mutentur. Sed quid attinet de hac re magnopere contendere, quam nemo negat, nisi quis Constantinum, Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Iosiam, fecerit ignauos, quod acerrime, fortißimeq; pro Ecclesia pugnauerint, quos unà cum Ottone ueteribus etiam Romanis longe iudico præferendos esse, qui sunt Camilli, Decij, Scipiones, Fabij. Etsi enim Decij morte sua pacem Deorum immortalium redimere non dubitauerint: Camillus uero tanta uirtute pro salute patriæ dimicauerit, ut secundus Romæ conditor sit appellatus, tamen illustriorem reliquit de se uirtutis, & bellicæ laudis opinionem Otto, quod non tantum patriam, & Romanum Imperium, sed Ecclesiam & Christi gloriam acriter propugnauerit, nec eundem casum ferre, aut pro Ecclesia mori recusasset, si quid per uim accidisset. Decertantibus enim pro religione non cum armato hoste tantum, sed cum perpetuis deuastatoribus Ecclesiæ Diabolis res est, quorum uiribus pares certè nulli Imperatores sine diuino auxilio esse unquam potuerunt. Ecclesiæ etiam autoritas anteferri omnium patriæ eò debebit, quod, cum Christus & Ecclesia unum corpus sint, omnibus studium propugnandi Ecclesiam in priore Tabula sit mandatum: Patriæ uero defensio eorum numero habeatur, quæ poste-

rioris

rioris Tabulæ esse dicuntur. Merito itaq; apud Ottonem ualuit autoritas Ecclesiæ, ut ueræ patriæ. Et quid Ottoni magis fuisset gloriosum, quàm omnibus sui Imperij neruis tueri uenerabile consilium illud credentium, cui præest Dei filius, Dominus noster Iesus Christus, unà cum præstantißimis Patribus, Prophetis, Apostolis, multisq; hominibus pijs, excellentibus donis à Deo ornatis, ut docere Ecclesias, & regere imperia poßint? Hunc sanctißimum cœtum decuit uenerari Ottonem, decebitq; omnes, quotquot ex hac misera uita in æternum Christi regnum cupimus transferri.

Dixi.

DE SIGISMVNDO Imperatore Declamatio, recitata à Ioanne Olhafen Noribergensi.

TSi laudo studium eorum, qui hue ueteres & peregrinas historias asferunt, nam illæ etiam nos de multis uitæ partibus admonent, tamen ceseo interdum & res Germanicas recitandas esse, turpe est enim domestica ignorare: Et nostrarum rerum noticia magis conducit ad iudicanda negocia Reipub. & Ecclesiæ horum temporum. Ideo decreui de Sigismundo Imperatore dicere, quem ut potissimum eligerem, etiam quadam priuati officij ratione adducor: Nam Sigismundi eximia fuit erga patriam meam Noribergam benemolentia: Pater uero, Carolus quartus ciuitatem domestica seditione penè funditus perditam, Deo iuuante, consilio & uirtute singulari restituit. Deinde Sigismundi nomen eò gratius esse studiosis omnibus debet, quia cum esset in toga Princeps salutaris, & nostras artes benigne fouit, & Ecclesiæ, quantũtus est. Nam & Synodum indixit in discordijs publicis, in qua etiamsi quædam sine eius consilio cru-

deliter

deliter facta sunt, tamen illud fuit utile decretum, ut decimo quoq; anno Synodus generalis haberetur: quod tamen postea Pontifices superbè abrogarunt, qui cum uolunt, pacta nõ sunt pacta, ut inquit Plautus. Quantum autem prodesset hodie ad cõmunem concordiam, illa doctorum collocutio, si Synodi, ut fuit constitutum, haberentur? qua in re tamen consilium Sigismundi & uoluntas laudem merentur. Quanquam igitur res eius gestas explicare integre non potero, tamen præcipuas breuiter colligam, uosq; rogo, ut meæ orationi ueniam detis.

Sequar autem usitatum ordinem, primum, ut de genere pauca dicam, quod in magnis uiris libenter consideramus: quia enim semina quædam uirtutum à maioribus in posteros propagari existimamus, incendimur animis, ut cupiamus etiam scire quales illi fuerint, à quibus magni uiri orti sunt. Deinde in illis, quos patria nostra genuit, inhumanum esset generis mentionem prætermittere: Nam multis de causis laudes magnorum uirorum, ad patriam aliqua ex parte pertinent, quæ aliquos addit ingenijs impetus, quæ certa disciplina ciues assuefacit. Sed ne sim prolixior, natus est Sigismundus patre Carolo quarto Imperatore, proauo Henrico Lucelburgensi Imperatore, cuius tanta fuit uirtus & sapientia, ut in diuturno interregno omnium Prin-

cipum suffragijs expetitus sit ad gubernationem, et sedandos ingentes Italiæ ac Germaniæ motus.

Fortes creantur fortibus & bonis, inquit ille. Ab his uiris igitur ortus Sigismundus, indole fuit ad uirtutem, & ad decus incitata. Adolescens consilio patris diligenter in literis institutus est, quarum cognitio postea ei in gubernatione maximarum rerum magno usui fuit. Pater ei Marchiam Brandenburgensem & Morauiam reliquit, in quibus regendis cum eius prudentia, dexteritas & iustitia ubiq; celebrarentur, Hungari eum accersiuerunt, ac Regem sibi præfecerunt: Hic uero magna cum fortunæ uarietas excepit. Initio domesticas Hungarorum discordias diremit, & pacem restituit æquitate & moderatione Imperij, sine armis. Nam cum eo tempore Baiazetes cinxisset obsidione Constantinopolin, & Imperator Byzantius in Galliam nauigasset, ut auxilium à Christianis Regibus peteret, nequaquã deesse uicino Imperio uoluit, suasq; uires ac opes omnes ad societatem belli collaturum se esse ostendit. Ideo domesticas dissensiones nõ irritandas, sed quoquo modo dirimendas esse duxit. Statim igitur in Mysiam duxit exercitus, & multas res prospere gessit: occupauit Muldauiam, & aliquot prælijs fudit ac profligauit Turcicas copias. Sed postea quam Gallici exercitus in Hungariam uenerunt, seq;

seq; cum Hungaris coniunxerunt, ibi Baiazetes, cui propter celeritatem à fulgure nomen fuit, maiore uigilantia, & maioribus copijs rem gerere cœpit. Erant initia belli Sigismundo satis læta, cœpit enim Nicopolin sitam in aditu Macedoniæ. Postea uero cum Galli auidius in pugnam ruerent, magna clade accepta, captis Gallorum Principibus, Sigismundus uix euasit, una cimba cum Magistro Rhodio Danubium traijciens inspectantibus hostibus, qui cum sequi eos non possent, sagittis petebant. Etsi autem euentus prælij, ut dixi, funestus fuit, tamen laudanda est uirtus Sigismundi, & aliorum, qui deesse Reipublicæ noluerunt, qui non sua segnitie hostes inuitare solebant, qui, quantum potuerunt, reprimere Turcicam barbariem conati sunt: Et profuit horũ uirtus ad retardandos hostium impetus. Quare magna laus etiam his fortibus uiris debetur, qui quanquam infœliciter dimicarunt, tamen Reipublicæ suum officium præstiterunt. Sicut Demosthenes ait: Laude dignos esse ciues, qui patriam fortiter defendunt, etiamsi eorum uirtuti non respondeat fortuna. Non enim euentu metienda sunt honesta consilia, sed uera ratione & officio. Ideo & in Epitaphio ciuium inscripti sunt hi uersus:

Nulla aduersa pati, nunquam peccare decorũ est.
Nemo hominum fati uim superare potest.

Porro hæc clades ad Nicopolin accepta, accidit nostris, circiter annum post Christi natalem millesimum, trecentesimum, nonagesimum quintum.

Vt autem secundæ res authoritatem addunt Ducibus, ita aduersæ minuunt, interdum etiam odia accendunt. Quare cum redisset in Vngariam, amissis multis fortissimis ciuibus, proceres quidam contra eum conspirauerunt, quorum animos quorundam supplicijs in auspicijs regni offenderat. Captus igitur à coniuratis, in quadam arce diu custoditus est, unde tandem domina, miserata indignam fortunam boni Principis, clam eum dimisit. Elapsus redijt in regnum, instructus Germanicis auxilijs, & triginta Regulos capitali supplicio affecit. Hæc sæueritas ei profuit ad cæteros cohercendos, & recuperandam pristinam authoritatem. Etsi enim nusquam discedebat à iusticia in negocijs dijudicandis, tamen semper alias in pœnis iusticiam clementia & lenitate temperare solebat. In hoc uno facto necessitas coëgit eum sæueritate maiore uti. Verissimum enim est illud dictum Aeschinis, quod Demosthenes citat: Nihil ualet Imperium, quod non habet neruos aduersus sceleratos & insanabiles. Laudanda est igitur in hoc casu ipsius grauitas ac sæueritas.

Cum autem iam in tanta fortunæ, & negociorum uarietate perspecta esset eius uirtus, & dissidia

Italica

Italica flagitarent Imperatorem non segnem, neq; ignauum, sed qui consilio & autoritate excelleret, Germanici principes Sigismundum creant Imperatorem, anno milleſimo quadringenteſimo et duodecimo. Nec fefellit eos iudicium de ipſius uoluntate ac fide. Cum enim iudicaret nihil eſſe dignius Imperatore, quàm legitimis modis Eccleſiaſtica diſſidia tollere, primũ omnium curare cœpit, ut Synodus indiceretur. Vetus dictum eſt, neſcio cuius Pontificis: Plures conſequi Pontificatum more Romuli, quàm Petri. Fuerunt enim ſæpe ingentia certamina in electione Pontificum, quæ quidem ante Sigiſmundum ita exarſerant, ut annos amplius triginta non conuenire potuerit inter Cardinales de electione: Alij ab alijs eligebantur, & edebant mutuas condemnationes et execrationes, magnoq; nouorũ, ut inquit Lucan:

Prouentu ſcelerum, quærunt uter imperet orbi.

Habebant aliæ factiones aliorum Regum ſtudia. Italia dilacerabatur inteſtinis bellis, quæ accendebant diſcordiæ Pontificum.

Cumq; Sigiſmundus accerſitus eſſet ad imperiũ erant tres Romani Pontifices, Ioannes Bononiæ, Gregorius Arimini, Benedictus in Hiſpania.

Hoc diſſidium non armis, non uiolentis modis tollere Sigiſmundus decreuit: Extant enim diuinæ leges, quæ docent, quo ordine controuerſiæ Eccle-

siasticæ cognoscendæ sint: Has Sigismundus, quantum in ipso fuit, non uoluit præterire. Et quia sine consensu cæterorum Regum frustra Synodum indicturus erat, ipse totam Europam peruagatus est: Adijt Galliam & Hispaniam, egit & cum Rege Anglico, ostendit quantum interesset Reipublicæ Christianæ, ut Synodus indicatur. Rogat ut assentiantur, & pium consilium ac necessarium Reipub. adiuuent, ut Reges, quibus præcipue Ecclesiæ custodia commissa sit, decet. Persuadet tandem, ut consilium Sigismundi approbent, ac promittant se non defuturos communi saluti. Postea uenit in Italiam, & cum Ioanne colloquitur, ne desideraretur in Synodo nomen Pontificium. Hunc quoq; adducit in suam sententiam, et persuadet, ut uenturum se in Germaniam polliceatur. Synodus indicitur Constantiæ.

Nec minus negocij fuit postea, durabant enim certamina inter tres, nec quisquam æquo animo cessurus erat alteri de nomine Pontificio: Meminisse dictum in Tragœdia:

Si uiolandum est ius, regnandi gratia
Violandum est, in alijs pietatem colas,

Id dictum ualet apud Pontifices non minus, quã apud Geometras illæ sententiæ, quæ uel κοιναὶ ἐννοίαι, uel ἀξιώματα uocantur. Itaq; singularis sapientiæ & diligentiæ fuit: primum redigere omnes

nes in ordinem: deinde consentientibus suffragijs unum surrogare: postremo cauere, ne tales discordiæ repullularent. Hæ deliberationes in quadrienium usq; extractæ sunt, quo tempore ipse plurimum sustinuit laboris, dum retinet & confirmat Regum uoluntates.

Synodo aliquoties ipse interfuit, ac primum cum eo uenit in nocte Natalis Domini, cecinit lectionem Euangelij in liturgia: Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut totus orbis describeretur, quod cum legeret ipse, uisus est non solum de suo officio hoc significare curam Ecclesiæ orbis terrarum Imperatori commissam esse, sed etiam alios admonere, ut Imperatori cupienti consulere saluti omnium gentium æquo animo parerent.

Præcipua autem & utilissima constitutio eius Synodi hæc est: Decretum fuit, ut deinceps decimo quoque anno post prioris Synodi exitum, alia Synodus indiceretur: Ideoq; Basilienſis Synodus statim secuta est. Sed hanc Pontifex Eugenius, cum authoritate non posset, armis dissipauit, misit in Germaniam Delphinum cum ingentibus copijs: quæ cum inauditam crudelitatem in Alsatia exercuissent, Basileam petierunt. Ibi exiguæ copiæ Heluetiorum cum eis dimicarunt, propemodum ut Lacedæmonij ad Thermopylas cum Persis. Itaq; Gallicus exercitus

tus dißipatus ac profligatus est. Sed tamen paulatim in illis tumultibus dilapsi sunt & Regum Legati, qui ad Synodum conuenerant.

Postea facile cauerunt, ne Synodi coirent, quia uiderunt utranque Synodum aliquid de authoritate Pontificia decerpsisse: Decreuerant enim Synodi authoritatem maiorem esse, quàm Pontificiam: Posse Synodorum iudicijs Pontifices remoueri à gubernaculis: Tribuerunt suffragia non solis Episcopis, sed etiam cæteris doctis & pijs. De quo articulo cum fuisset acerrime disputatum Basileæ, tamen hæc sententia uicit, propter locum in Actis Apostolicis, ubi dicuntur adhibiti in dijudicanda controuersia de Circumcisione, non soli Apostoli, sed etiam cæteri seniores.

Et si autem hi articuli leuiores sunt, quàm ut labefactare Pontificum potentiam queant, tamen ipsi ut astuti gubernatores, meminerunt præcepti politici, μὴ παροράω τὸ πρὸς μικρόν. Nulla in re, quamuis leui ac minuta, exemplum uiolandæ authoritatis concedendum esse. An non uidetis hoc tempore ipsos mordicus tenere hoc præceptū? Nihil officeret Pontifici correctio abusuum, sed meminerunt illud ἀξίωμα, μὴ παροράω τὸ πρὸς μικρόν. Cum igitur metuerent paulatim Synodos plus libertatis sibi sumpturas esse, arte postea cauerunt, ut di-

xi,

xi, ne Synodus ulla ita coiret, ut libertas esset pijs dicendæ sententiæ

Sed redeo ad Sigismundum, qui quod uetus exemplum indicendæ Synodi renouauit, quod ad emendationem Ecclesiæ excitare Principes uoluit, perpetua laude dignus est. Quod autem uel postea expectationem eius eluserunt Pontifices, uel in ipsa Synodo Constantiæ nouo exemplo, non tantum sentẽtijs damnati sunt duo uiri pij ac docti Bohemi, Ioannes & Hieronymus, sed etiam crudeliter interfecti, hæc non sunt ab Imperatore orta: & si is quidem non omnino uacat culpa, sed tamen absente Imperatore illi duo condemnati sunt, & affecti supplicijs. Et certum est, Cancellarium Imperatoris, uirum excellenti ingenio & uirtute præditum, Casparum Slik, cum illæ crudeles sententiæ dicerentur, surrexisse, ac palàm testatum esse, se ab illis iniustis suffragijs dissentire, atque ita ex consessu abijsse. Hæc tota actio quid habuit simile iudiciorum Ecclesiasticorum? aut quæ unquam Synodus tale ædidit exemplum, simul ut sententijs iugularet reum & interficeret? Nec iam de dogmatibus loquor, ordinem iudicij & nouum exemplum reprehendo. Hæc non erat permissurus Imperator, si adfuisset, nisi fortasis & ipse superstitione fascinatus fuisset, quæ maximam

uim

uim habet in animis hominum. Hactenus de Synodo dixi, quæ est Sigismundi præcipua actio in toga.

Interea Baiazetes à Tamerlano uictus & captus fuerat. Quare Sigismundus occasione utendum duxit, ac rursus ingentem exercitum contraxit & ingressus Mysiam, cum Turcis nihilo fœlicius conflixit, quàm antea ad Nicopolin, ac rursus fugiens, ægre defendit uitam. In eo itinere cum mœstus uenisset Posonium, ac feriæ essent Ascensionis, cum uesperi lachrymans & deplorans calamitates Reipub. Christianæ, magno animi motu Deum inuocasset, ac rogasset, ut reprimeret impietatem Turcicam, & sanaret Ecclesiæ uulnera, ibi noctu dormienti oblata est quædã species Episcopi, qui eum longa oratione consolatus est, ac primum narrauit, has clades Christianorum, esse pœnas scelerum omnis generis, quibus polluta sit Ecclesia, ac præsertim impietatis in his, qui præsunt. Deinde commemorauit, qualis post ipsum futurus esset status regni Hungarici et Ecclesiæ. Narrat futura ciuilia inter Hungaros bella, plures de regno dimicaturos esse, uexaturos Pannoniam Turcos, sed non retenturos. In Ecclesia uero magnas discordias secuturas esse, multis in locis sacerdotes potentiam & opes suas amissuros, futuram doctrinæ & rituum mutationem, et multo-

multorum uitiorum emendationem. Post hos motus, ait, Principes quosdam de constituenda Ecclesiæ tranquillitate cogitaturos esse.

Hæc tota narratio in monumentis bonæ fidei reperitur, quæ an significauerit res præsentes, an motus Bohemicos tantum, qui statim secuti sunt, ignoro. Ipse in Synodo Basilienſi rem eò deducere conatus est, ut Ecclesiæ essent tranquillæ, ac Boëmis concederetur uti integro Sacramento: Idem uisum est multis doctis uiris in ea Synodo. Sed Iulianus Cardinalis hortator erat, ut totis Germaniæ uiribus Boëmos inuaderet, ac cessantem, sæpe obiurgabat: Tandem ita perpellit. Exorti erant in Boëmia tumultus scelere cuiusdam Abbatis, qui puellam nobilem rapuerat: Hanc cum frater & cognati tumultuosius reposcerent, quæstus est Iulianus seditiones esse motas. Ad has opprimendas hortatur Imperatorem, quas quidem ille moderatione multo facilius, quàm armis sedare poterat, uere enim inquit Menelaus apud Euripidem:

Si uela tendas nimium, nauis mergitur,
Sed si relaxes rursus, uehitur tutius.
Odit Deus nimis uehementes impetus,
Odere ciues: gratior est moderatio.

Sed uicit Iuliani sententia seu fato, seu quia senem Principem superstitione terrebat. Mouet igitur

funestum

funestum bellum, in quo victores Bohemi postea eruperunt in Germaniam, & late uiciniam populati sunt. Accessit ad cætera mala hoc quoq;, quod Imperator rursus de pace agens, in illis ipsis deliberationibus, grauis annis, & confectus laboribus, moritur.

Fuit fœlicior in toga quàm in armis, & si aliquoties Turcicas copias fudit ac profligauit. Sed ingenium fuit aptius ciuilibus negocijs, in quibus singularis eius dexteritas fuit, ac mihi comparanti eum cum ueteribus principibus, uidetur non admodum dissimilis esse Antonino Pio, aut Marco. Legum & Iuris disputationibus argutioribus in primis delectabatur, multa in ciuitatibus emendauit, duas familias Electorum amplificauit dignitate & potentia, Duces Saxoniæ, & Marchiones, & utile Reipub. iudicauit, Principum Electorum opes augeri: quos quidem ut fratres amauit, & consilijs omnibus adhibuit, non exclusit à deliberationibus suis, more tyrannico. Religionis curam magnopere adficiebatur: In Bohemia direptis bonis Ecclesiarum, rursus de suo attribuit parochijs annuos reditus.

Hæc de uita & rebus gestis Sigismundi collegi, quæ satis indicant eum fuisse Principem excellenti ingenio, uirtute, iustitia, & clementia præditum, ac cona-

conatum esse de Republica bene mereri. Propter has uirtutes decet, nobis gratam esse ipsius memoriam. Deinde negocia, in quibus uersatus est, de multis rebus admonere, & Principes & priuatos homines possunt. Prodest enim omnibus tenere causas, & certamina Synodorum, & Principibus prodest cauere, ne artificijs Tyrannicorum Pontificum incendi se ad impia bella mouenda patiantur, sed ut Ecclesiæ causas ordine cognoscant, ut leges Ecclesiasticæ in Euangelio traditæ postulant.

DIXI.

DE IMPERATORE FRIderico Barbarossa Declamatio.

ETsi studium atq; consilium eorum magnopere probo, qui huc clarorum uirorum, qui floruerunt apud Græcos, aut Latinos, historias afferunt, plurimũ enim refert nos quàm maxime instructos esse cognitione historiarum, tamen ut mihi quidem uidetur, aliquanto utilius est sumere operam in illustrandis ac recitandis domesticis ac patrijs rebus, quàm peregrinis. Primum enim efficacius mouent animos domestica exempla, quia turpissimũ est, degeneres uideri. Deinde pleraq; negocia præsentia magis ex maiorum nostrorum rebus gestis iudicanda sunt, quàm ex historijs illorum, qui in alia Repub. in alia forma imperij floruerunt. Quare cum in hac forma Reipub. in rebus gerendis multa à patrijs historijs sumenda sint, conuenit nos non tantum in peregrinis rebus curiosos esse, & (ut dicitur) foris sapere, sed res nostræ inquirendæ atq; cognoscendæ sunt, & sciendum, ut monet Homericus uersiculus:

ὅτι μὴν νὺ μεγάροις ἀγαθόντε κακόν τε τέτυκται.

Quid

Quid quod etiam pietas quædam est, sumere operam in ornandis atq; illustrandis patriæ rebus, ut Poëta inquit:

Et pius est patriæ facta referre labor.

Postremo ad hanc styli exercitationem plus conducunt hæ materiæ, quia peregrinæ res extant ab eloquentissimis scriptoribus tractatæ, à quibus facile est non solum causas, sed etiam ornamenta mutuari. Sed Germanicæ res literarum lumine carent, & cum undiq; ex uarijs authoribus res colligendæ sunt, tum nos ipsos addere ornamenta oportet, quorum utrunq; & iudicium in inueniendo, ac distribuendo, & ingenij uim in eloquendo uarie exercet. Atq; eò cæteros etiam studiosos optarim in Germanicis rebus ornandis elaborare, quia uideo Principes nostros laudatissimis Regibus atq; Imperatoribus, Græcis & Romanis, omni uirtutum genere pares esse.

Quare institui orationem de Friderico Aenobarbo, cuius etsi res gestas commemorare omnes non possum, tamen quædam eligemus, ex quibus eius magnitudo animi atq; consilij, fides, constantia, pietas existimari poterunt, ut intelligatis nullam ei uirtutem dignam uiro magno & bono Principe defuisse. Peto autem à uobis, ut æquo animo hanc meam declamationem audiatis, qua in re uos

quoq; pietatis laudem auferetis, si eorum studiũ, qui sumunt operam in patria ornanda, probare uos significabitis. Etsi autem solet initio multis encomijs de generis nobilitate dici, quia semina uirtutis propagari à bonis parentibus in posteros existimantur, tamen ego hic breuior ero, quia non potest esse obscura nobilitas eius uiri, qui in familia Imperatoria natus est: Conradus enim patruus Friderici fuit Imperator. Illa uero maior laus est, quod non solũ non degenerauit à maioribus, sed etiam ingenio & uirtute eos longe superauit. Est & illud indicium præclaræ & generosæ indolis, quod cum imperiũ multi potentißimi Principes ambirent, tamen Electores hunc iuuenem omnibus prætulerunt, quod non accidisset, nisi eluxisset in eo singularis indoles, quæ spẽ faciebat futurum parem maximis rebus gubernandis & gerendis. Neq; uero fefellit hanc spem Electorum, statim enim initio Imperij moderatione ac uirtute perfecit, ne quenquam huius iudicij pœniteret. Nam cum accepisset imperium, nihil prius habuit, quàm ut domi pacem sine publico motu, & consilio potius quàm armis constitueret: Dissentiebant enim inter se Bauarus et Austriacus, potentißimi, ut nũc quoq; Germaniæ Principes. Erat autem contentio de finibus, & bellum parabat uterq;. Quod si non esset oppressum diligẽtia Friderici Imperatoris, ex

itiale

ritiale fuisset uniuersæ Germaniæ. Etsi autem Fridericus utriq; cognatus erat, tamen Austriacum propius attingebat. Itaq; hic specimen egregium moderationis atq; æquitatis suæ præbuit. Non enim hunc prætulit Bauaro, non magis cognati partes tuendas sibi putauit, quàm in commune paci consulendum. Imò cum propter cognationem plus ualeret apud Austriacum, persuasit ei, ut de suo iure potius concedere ac regredi, quàm progredi uellet, daret hoc publicæ paci Germaniæ, daret auspicijs sui imperij. Et ut hanc iacturam facilius ferret, auxit honore familiam Austriacam: Cum enim antea Marchiones essent, tunc ab Imperatore Ducali titulo ornati sunt. Ita & Bauaro æquitate Imperatoris amplificati sunt fines, & causa ingentis belli sublata est. Quantum autem laudis hæc moderatio in Principe mereatur, non est obscurum. Nulla enim uirtus gratior est in Principibus, & Reipub. magis necessaria, quàm priuatis affectibus, & commodis publicam salutem suæ patriæ anteferre. Nulla est uictoria glorioſior, quàm cohibere animũ, & de proprio iure aliquid propter communem tranquillitatem remittere. Quàm multas legimus ciuitates euersas esse Principum ambitione, & pertinacia, qui maluerũt omnia potius miscere, ac in casum dare, quàm uideri, uel tantillum alijs ciuibus cessisse. Hæc

una fuit causa ciuilium tumultuum Romæ Marij, Syllæ, Pompei. Sed nihil opus est uetera recitare: tota uita exemplorum huius generis plena est. Iure igitur Friderici consilium laudandum est, qui cum ipse moderatione summa usus est, tum uero cognato Principi autor fuit, ut pacis publicæ causa nonnihil de iure suo concederet.

Exteri homines ac nimium φίλαυτοι nostros Imperatores appellant barbaros, & impetu magis animi, quàm ratione gessisse omnia iudicant. Sed cum alia infinita nostrorum Principum sapienter moderateq; facta, testantur eis iniuste barbariem obijci, tum uero hæc Friderici pacificatio declarat ei nec prudentiã in conciliandis uoluntatibus Principum, nec grauitatem defuisse, dum publicam tranquillitatem priuatis affectibus prætulit. Hæc auspicia Imperij ipsius, & ipsi authoritatem, beneuolentiamq; conciliarunt, & spem omnibus gentibus iusti & moderati Imperij præbuerunt, quo neque optabilius quidquam accidere prudentibus, neq; pulchrior res, & admirabilior existere ulla potest. Etsi autem æquitatem animi ne armatus quidem deposuit, tamen magis lucet eius uirtus in his rebus quas bello gessit, quàm in toga. Cumq; uarie sint negociorum in Imperatoribus species, in alijs cunctatio laudatur, in Alexandro, in Iulio celeritas

celeritas, hic noster Imperator, Alexandri aliquanto similior, fuit dimicandi cupidus, nusquam detrectauit pugnam etiam locis iniquis, obsidiones uix unquam soluit, neq; tamen otiosus assedit in castris, sed continuo oppugnans urbes, instabat hostibus, ut cum interualla ad quiescendum non satis commoda haberent, tolerare obsidionem diu non possent, ipse in acie inter anteſignanos pugnare, in oppugnationibus primus ascendere muros, deniq; præstantißimi Ducis, & fortißimi militis opera omnia obire solebat. Itaq; semper maxima celeritate ingentia bella confecit.

Primum bellum cum Danis gesßit, cuius gentis olim quoq; summam fortitudinem fuisse, historiæ Cymbrorum testantur, qui quàm formidabiles fuerint urbi Romæ, quoties trucidauerint Romanos exercitus, non ignoratis. Hodie etiam tanta Danicæ gentis fortitudo, tantus usus militiæ est, ut nihil degenerasse à Cymbris illis ueteribus uideantur. Occupauerunt Dani Lubecam, & exercitus toto illo littore habebant firmißimos. Sed Fridericus cũ iudicaret utilißimum esse, primum rursus eripere hostibus belli arcem, ac receptam Lubecam obsidione cinxit, sperans fore, ut hostes liberaturi urbem periculo, pugnandi copiã facerent: Nec fefellit Fridericum hoc consilium. Itaq; cum aliquot prælijs,

quæ interea dum urbem obsidet commissa erant, superior fuisset, recepta Lubeca, cum nollet implicari diuturno bello, præsertim in illis locis, & gentem fortißimam sibi conciliare, & adiungere certis conditionibus mallet, facile obtinuit autoritate sua, ut rex Danicus ad se in castra ueniret, de pace colloquaturus. Ibi exponit Imperator se bellum suscepisse, non ut aliena appeteret, sed ut fines suos tueretur: Idem si Dani facerent, ac suo regno contenti essent, se non solũ pacem cum eis facturum esse, sed eorum amicitiam etiam expetere, quia inuitus bellum gereret cum ea natione, quam iudicaret cognatam Germaniæ. Dani non tam fracti armis (& si Imperator non solũ prudentia & fortitudine singulari, sed etiam magna fœlicitate bellum illud gesserat) quàm capti iusticia & humanitate Imperatoris, pacis conditiones accipiunt. Ita bellum ingens & periculosum non solum armis, sed etiam æquitatis opinione confecit, & Regem uicinum sibi deuinxit. Hæc Regum societas atq; amicitia diuturnum & certam pacem illis locis peperit.

Postea ingressus Italiam, Romæ de more coronatus est. In eo itinere Mediolanenses non tam armis quàm autoritate compescuit, qui cupiditate dominationis, uicinas quasdam ciuitates iniuste occupauerãt. Sed hæc lenitas postea occasio fuit ingentis belli:

Post-

Postquam Imperator in Germaniam redijt, Mediolanenses Imperatoris lenitatem interpretantur esse metum aut animi mollitiem. Quare iam despondent sibi imperium Longobardiæ, sollicitant ad bellum potentißimas quasq; Italiæ ciuitates. Querunt sibi ius quarundam ciuitatum ademptum esse. Hortantur ut cõmunibus copijs Italiæ libertas defendatur. Hæc fuerunt asperrimi & diuturni belli initia.

Cum autem Fridericus intelligeret Italiam totam in armis esse, summa celeritate exercitum in Italiam ducit. Historia est longior, quàm ut in declamatione recenseri tota possit. Sed excerpam quædam facta, quæ ostendunt, & quanta animi magnitudine fuerit ipse Fridericus, & quantos motus quanta celeritate oppresserit. Itali exercitum in ulteriore ripa Abduæ habebant, Germanus in citeriore. Cumq; arbitrarentur Itali se tutos esse propter flumen, ferociter prouocant Germanos: In ipsum etiam Imperatorem conuitia superbißime dicunt. Etsi flumen intumerat, ut traijci exercitus sine periculo non posset, tamẽ Fridericus impatiens contumeliæ, traijcere exercitum asseruit, & fluminj se primus committit. Exemplum Imperatoris sequuntur primum equites, deinde & legiones: Non munierunt Itali castra, non instruxerunt aciem, quia loco se tutos fore

putauerant. Ita in imparatos subito facit impetum Fridericus, & totum Italicum exercitum fudit & fugat. Hæc una victoria propemodum totius Italiæ possessionem Imperatori restituit: Nam hostibus repressis, multas deinde ciuitates occupauit, socios confirmauit, & præsidia certis oppidis imposuit. Erat iam debellatum, nisi Ecclesiasticum schisma rursus inflammasset hoc bellum.

Romæ duo Pontifices creati erant, quorum alter Alexander, Imperatorem anathemate execratur, propterea quod Imperator uideretur alteri magis fauere. Incendit Alexander uniuersam Italiam, ac præcipue Venetos, aduersus Fridericum. Semper ambitio pontificum & ordinum Ecclesiasticorum ingentes tumultus peperit. Non leuiter autem initio perturbatus est Fridericus mentione anathematis, scribit ad collegium Cardinalium, ut res dijudicentur. Sed Alexander uetat cognitionem, propterea quod haberet in partibus maiorem Italiæ partem, & Gallos: Et ne quid à Cæsare periculi esset, recepit se in Galliã. Mouit hæc contumelia animum hominis Sueui, quare iratus, bellum acerrime gerit, multos hostium exercitus delet. Et quia Mediolanenſium præcipue fuerant in ea coniuratione partes, Mediolanum ui captum diripit, diruit, ac solo æquat: Reliqua Longobardia recepta, in Germaniam

niam reducit exercitum, quia Italia pacata, cæteras iniurias persequi noluit. Sed belli autor Pontifex Alexander è Gallijs redit in Italiam, cum iam tranquillam esse uideret, inflammat Venetos, ut bellum instaurent. Deficiunt ad eos multæ aliæ ciuitates. Hæc coniuratio reuocauit Imperatorem in Italiam, ubi rursus recuperata Italia, cum Pontifex uideret se Romæ non satis tutum esse, habitu nautico fugit, ac se Venetias contulit. Ad extremum cum alter Imperatoris filius in acie cecidisset ad Bononiam, alter natu minimus à Veneta classe interceptus esset, oblitus iniuriarũ, de communi pace agi passus est, quod ut faceret, mouerunt eum præcipue causæ publicæ. Tanti enim tunc erant in Asia Saladini fœliciſsimi Principis successus, ut nisi Imperator ei occurreret, uiderentur breui non in Syria tantum, sed in tota Asia regnaturi Mahometistæ: Et Italia fessa ubiq; pacem petebat. Credibile est autem præter has publicas causas multum ualuisse etiam paternum dolorem. Nam cum domestica uita Friderici plena fuerit humanitatis ac pietatis, haud dubie etiam ualde fuit φιλόστοργος, ut nunc quoq; in Germanis uehementiorem uidemus esse liberorum amorẽ, quàm in cæterarum nationum hominibus. Mouit igitur Fridericum, extincto altero filio, capto altero, patrius dolor, ut animum ad pacem constituendam adijceret,

ijceret, præsertim cum ipse semper à bello abhorruisset, et coactus scelere Pontificis sumpsisset arma. Itaq; tandem conuenit ita, ut Fridericus Venetias ueniret, & ibi se ad pedes Pontificis abijceret, & absolutionem peteret: Deinde constituta pace in Italia, duceret exercitum in Asiam. Has conditiones Fridericus, & si armis adhuc fuerat superior, accepit, tamen Venetijs abiecit se ad Pontificis pedes, petiuit ueniam. Nec fuit contentus Pontifex hac Imperatoris modestia, qui erat factus supplex, sed addidit contumelias insignes: Pedem collo Imperatoris imposuit, & iussit acclamari: Super aspidem & basiliscum ambulabis. O inauditam superbiam & tyrannidem. Ethnici Reges ac Duces reuerentia regij nominis, etiam ui captos Reges sæpe honorifice tractarunt. Certe simili superbia aduersus Regem in pacificatione nemo unquam usus est. Itaq; generosus animus in hoc ipso spectaculo ostendit se indignitate rei moueri: Fridericus enim palam interpellauit Pontificem: Non tibi, inquiens, sed Petro. Significabat enim se factum esse supplicem, non huic Tyranno, sed Apostolicæ autoritati. Reclamat Papa tyrannicè: Et mihi & Petro. Sic impetrata absolutione, Fridericus priusquam traijcit exercitum in Asiam, sumpsit sibi aliquantulum temporis ad pacem legibus muniendam, Mediolanum instaurari curat,

curat, & fert leges, quas uocant de pace constantiæ, quarum beneficio hodie quoque melius reguntur Respublicæ: Extant enim in iure, & earum autoritas in primis ualet.

Multa sunt in hac historia memoratu digna exempla: Monet enim, quanta sit pestis Rerumpub. ambitio in Principibus Ecclesiasticis: quanta sit uirtus, obliuisci iniurias, & cõdonare eas Reipublicæ: præterea qualibus exemplis Pontificia tyrannis creuerit: Sed nolo hæc omnia persequi. Illud miretur aliquis, quomodo ita frangi ingens animus Friderici potuerit, ut & supplex fieret in causa meliore, & insuper supplicem se affici tanta contumelia sineret. Certe non abiecit animum metu aut desperatione uictoriæ. Vicerat enim hactenus, & præcipuam Italiæ partem tenebat. Nec tantæ Venetorum opes tunc erant, ut sunt hodie: At ne nunc quidem pares sunt nostris Imperatoribus. Præterea Fridericus & si uno atq; altero prælio eius legati uicti erant, tamen ipse cum esset Imperator usu peritus & fœlix, & dimicandi cupidus, non propterea de summa rerum desperauit. Meo iudicio cum publicæ causæ hortarentur eum ad pacem, & uellet concordiam in Europa firmam constitui, reuerentia loci Apostolici & religione motus est, ut non recusaucrit fieri supplex. Audierat & Theodosium antea ab Ambrosio

brosio ueniam errati petijsse. Magna autem uis est religionis, cum in omnibus bonis uiris ubiq;, tum præcipue in Germanis, quos multa exempla testantur, magna constantia religionem non solum uitæ ac fortunis, sed etiam dignitati anteponere solere. Cessit igitur de suo iure non metu, non imbecillitate animi fractus, sed quadam religionis opinione, quæ in animis bene institutis ualere plurimum debet, adductus. Et cessit utilitatis publicæ causa, ut constituta firma concordia in Europa, latrocinium Mahometicum in Asia reprimi posset. Quod si Ennianum illud iure laudatur, quod de Fabio dictum est:

Non ponebat enim rumores ante salutem.

Dignus etiam laude Fridericus erit, qui dignitatis iacturam æquo animo tulit propter communem salutem. Præterea arbitror eum, etiamsi petendæ absolutionis causa, non dubitauit se ad pedes Pontificis abijcere, tamẽ reliquas ei contumelias accidisse præter opinionem. Homo Germanus, minimeq; suspicax, non præuidebat Pontificem tanta usurum esse superbia & crudelitate erga Regem supplicem, cuius consilia omnia spectabant iam ad defensionem totius Christiani nominis, non arbitrabatur fore, ut insultaretur atq; illuderetur sibi uelut Iugurthæ in triumpho. Illa immanitas credo homini Germano non uenit in mentem, unquam fore, ut sacerdos, qui debet

debet modestiæ exemplum esse, ceruici Imperatoris pedes imponeret, & adderet acclamationes contumelioſissimas. Hæc si præuidisset, ut ego quidem ratiocinor, pertrahi in illud spectaculum non potuisset: aut si præuidit, haud dubie nulla res alia, nisi honesta de religione opinio, animum uere Achilleum inflexit.

Sed quid ego Fridericum excuso? qui etiamsi uidetur dignitatem non satis uehementer defendisse, tamen culpa est potius Pontificis, à quo orta est iniuria: Quare potius accusanda est Pontificis superbia & crudelitas. Quantum enim sit in hoc facto sceleris & turpitudinis, ex eo existimari potest, quod nullum simile exemplum usquam in ulla historia ullius gentis, nedum Episcoporum, reperitur. Primum causa excommunicationis iniusta fuit: Sed finge fuisse probabilem, oportuit tamen Pontificem petenti ueniam dare: Deinde Pontifex non debuit afficere contumelia dominum. Sed omitto hanc subtilem de Christiana modestia disputationẽ, quæ iam olim Romæ exposa atque exibilata est, nec putatur magis conuenire Principibus, quàm illæ ridiculæ Stoicorum sententiæ, in quibus dicitur, Solos sapientes esse formosos diuites. Commune ius gentium uideamus, quod omnes Reges, nisi malunt esse tyranni, seruare solent. Violari creditur ius gentiũ, si ueniens

niens Rex ad pacem petendam, contumelia afficiatur: At Fridericus cum quidem esset victor, uenit non ad pacem petendam, sed absolutionem, in qua maior etiam religio inest. Hic Pontifex victorem uenientem in colloquium ac deliberationem de communi salute orbis terrarum, non aliter tractat, quàm Vlyssem Polyphemus in antro concluſum. Addit absolutioni contra diuina, & humana iura Cyclopicam immanitatem. Sed his exemplis immoderatam potentiam ac tyrannidem ſuam confirmare Pontifices conati ſunt, quæ cum diu iam fuerit Eccleſiæ pernicies, optandum eſt, ut tandem aliquando Synodorum authoritas liberet iniuſta & impia ſeruitute Eccleſiam. Reges decebat dignitatis ſuæ cauſa impatienter hanc ſeruitutem ferre, & ulciſci iniurias Regibus factas. Sed ſi hæc cauſa nihil mouet eos, debebant tamen conſulere Eccleſiæ ſaluti, & cohercere immoderatam potentiam: Nulla enim res magis inimica atque infeſta eſt Eccleſiæ, quàm tyrannis. Verum hanc diſputationem reijciamus ad futuram Synodum, ſi quid tamen ibi loci erit ueris deliberationibus.

Nunc ad Fridericum redeo, qui poſtquam ea quæ ad pacem, ſe abſente, retinendam in Germania & Italia neceſſaria erant, ſummo conſilio prouidit atq; conſtituit, legibus etiam optimis latis, contraxit ingentes

ingentes copias, easq; magna celeritate Byzantium duxit, ut inde in Asiam traijceret. Hanc expeditionem non ambitione aliqua aut superstitione susceptam putate: Nam Saladinus capta Hierosolyma, & occupata ferè tota Syria, iam Ciliciam & Armenias, quas ad id tempus tenuerant Imperatores Constantinopolitani, inuaserat: Emanuelem etiam Constantinopolitanum Imperatorem ceperat. Nullius Mahometici Ducis antea uirtus ac fœlicitas tanta fuerat, multos exercitus Christianos diuersis locis conciderat. Quare nisi reprimeretur, facile tota Asia potiturus uidebatur. Hoc tantum periculum, & ut ego existimo, etiam quædam heroica indignatio excitauit ingentem animum Friderici. Intelligebat sui officij esse, ut tam crudele latrocinium à Christiano rum finibus ubicunq; posset, depelleret. Existimabat etiam sibi turpe fore bellatori tanto, si domi ociosus spectaret grassantem uictorijs hostem Christiani nominis: Itaq; iustum & pium bellum ingenti animo mouit. Perfecit etiam, ut Richardus Rex Angliæ duceret exercitum in Asiam, ad recuperanda maritima loca.

Fridericus cum suis copijs in mediam Asiam ingressus est: Nec defuit Deus honestis consilijs. Tanta enim subito omniũ rerum mutatio in Asia & Syria facta est, ut Saladinus, qui antea deleuerat mul-

tos Christianorũ exercitus, lateq; uagatus erat in bona parte Asiæ, nunc tueri ea, quæ tenebat, non posset, Fridericus ei Ciliciam eripuit, fusis & deletis Saladini exercitibus: Alibi ad littus rex Angliæ multas ei urbes ademit. Ita cum in ipso uictoriarum cursu Saladinus repressus esset, Asia seruitutis metu liberata est. Quantum autem uerè laudis mereatur hic Fridericus, non possum pro dignitate explicare. Primum uoluntas fuit optima, quod occurrendũ esse Saladino censuit, ne in seruitutem uenirent Christiani, & ne Mahometistæ auctis uiribus latius propagarent suam impietatem. Deinde quantum decus est magnitudo animi, quod ausus est procul in Asia quærere hostem, & sumere difficillimam belli partem, quod nõ deterruit eum fœlicitas Saladini. Quare Fridericum nõ existimabitis mediocrem aliquem Ducem fuisse: Excellens ipsius uirtus, & in armis fœlicitas satis ostendunt, fuisse Achilleam naturam. Ita enim Saladini uirtutem & fœlicitatem conterruit Fridericus, ut nõ solum langueſcere statim Saladini animus cœperit, sed etiam postea diu res Christianorum in Syria fuerint superiores. Potuissentq; tum penitus deleri, aut certè ex Syria & Aegypto pelli Mahometistæ ac Turci, quorũ nomen tunc primum auditum est, si Fridericus diutius superstes fuisset. Sed fata, ut ego quidem interpretor, urgebant

Asiam

Asiam, & Deus pœnam differre aliquandiu, non prorsus remittere uoluit.

Cum igitur recuperata Cilicia Fridericus progressus, Saladini exercitus ex Armenia minori expulisset, cũ fortè defatigatus labore atq; æstu, quem Germani non satis ferre norunt, descendit in flumen lauandi studio. Ibi alij ferunt eum abreptum uorticе in flumine perijsse: Alij ferunt redeunti ex aqua epar male affectũ esse, ut fit: Meministis enim in Cilicia lauantem in flumine, incidisse in letalem morbum. Dicitur itaq; Fridericus epatis morbo intra paucos dies extinctus esse.

Hic fuit interitus Friderici in primis lugendus Reipub. Quo in loco subit recordari fata multorũ præstantium bellatorum, qui cum uirtute summa præditi essent, tamen leuissimis casibus afflicti, perierunt. Achilles dum apparat nuptias, per insidias ab homine ignauo interficitur. Deniq; Aeacidæ cæteri, Aiax, Pyrrhus, postremo Alexander sub ita & indigna morte perierunt. Quid dicam Samsonem ipsum, & alios multos, quorũ exitus indignè tanta uirtute fuerũt. Quare propter genus mortis, nihil de laude uirtutis Friderici detrahendum erit. Sed sit id quoq; exemplũ, quod nos admoneat humanæ miseriæ, quod heroici & fortissimi uiri, sæpe leuibus momentis oppressi, indigna morte pereunt:

Illa uero fœlicitati eius tribuamus, quod nõ ante ex-
tinctus est, quàm fractus esset Saladinus, & Asia li-
berata periculo. Domi etiam Respub. tranquilla
fuit, designauerat enim successorem filium, ne quid
electio tumultuũ pareret ipso amisso. Itaq; cum fue
rit in Friderico fortitudo & scientia rei militaris
eximia, & quanquam ipse uarijs iactatus est casi-
bus, tamen cum in armis fœlix etiam fuerit, & pro-
fligatis bellis, diuturnæ pacis & optimi status autor
in Germania & Italia fuerit, deniq; cum represse-
rit Saladinum, iure bonis Imperatoribus, & heroï-
ca uirtute præstantibus Fridericum annumeremus.
Postulabat hic locus, ut etiam de domestica eius uita,
& moribus diceremus, quos egregie prædicat Ligu
rinus. Et magnitudo rerum testatur eum non fuisse
deditum luxui, aut uoluptatibus: Fuisse in eo præ-
puum studium religionis, ostendunt monumenta plu
rima. Multa enim collegia Regularium, ut uocant
condidit, ut in illis colerentur studia doctrinæ Chri
stianæ, quæ tunc uidebat negligi in illis ueteribus &
opulentioribus collegijs & monasterijs. Tria memi
ni collegia ab ipso condita, Adelburgense, Hagonen
se, & Gelhusanum, cætera non memini. Curam le-
gum & disciplinæ publicæ summam in eo fuisse &
leges eius testantur, & quædam exempla. Palatinũ
Principem, propterea quod se absente quædam oc-
cuparat

cuparat in Vuormacensi Episcopatu, sæuere puniuit, & ueteri more coëgit per totã Vuormatiam canem in humeris gestare, prioribus apprehensum pedibus. Literas Latinas sic satis calluit, ac amasse ac prouexisse eum testantur Otho Frisingensis & Ligurinus. Nam Otho Episcopus Frisingensis, cum quidem fuerit eius cognatus, ait eum à se petiuisse, ut historiam scriberet. Et Ligurinus Poëta significat Fridericum non solum fouisse literas & ingenia, sed etiam curasse, ut filio probè traderentur literæ, Sic enim inquit:

O bene quod talem diuina potentia Regem
Instituit, qui sic studijs imbutus honestis,
Nouit ab insipido doctum secernere uulgo,
Iamq; diu mutas, solitasq; silere Camœnas
Excitat, ad ueterem digna mercede laborem.
Dixi.

HISTORIA DE HENRICO III. Imperatore, ac Rodolpho Duce Saxoniæ.

Vemadmodum in omnibus alijs artibus tradendis magna uis est exemplorum, ita præceptis rectè uiuendi res gestæ, & exitus bene, aut secus factorum, magnum lumen addunt: Et haud scio, an magis etiam quàm ipsa præcepta animos hominum ad uirtutem colendam excitent. Nam & Euander cum filio domi tradere omnia de regijs officijs præcepta posset, maluit ei uiuum exemplar proponere, in quod tota mente, totoq; animo intueretur, quodq; exprimere summis uiribus studeret. Sic enim commendat eum Aeneæ:

Tua cernere facta
Adsuescat, primis & te miretur ab annis.

Itaq; prudenter facere iudicandi sunt, qui in hunc locum memorabilia exempla afferunt, uel ut ipsi instructiores ad uitam rectè agendam tractatione illorum euadent, intuemur enim propius quæ ipsi scribimus, uel etiam ut aliorum utilitati consulant. Ego igitur non dubitaui historiam quandam huc afferre, nõ perinde omnibus notam: Sumpta est enim ex

ex rebus gestis Germanicorum Imperatorum, quæ nullum, ut scitis, literarum lumen habet. Quanquam autem uidebam non esse mediocris artificis, eiusmodi res è tenebris erutas illustrare ac ornare, tamen in patria aliqua historia malui operam sumere, quàm in peregrina. Turpè est enim nobis, cum in aliarum gentium rebus gestis inquirendis tam curiosi simus, domesticas ignorare, nec maiorum nostrorum salutem, omnes uires, omneq; studium contulerit, iure poterimus ingratitudinis accusari, si memoriam eorum, qui de nobis optimè meriti sunt, conseruare non conemur. Quare tametsi sentiebam me non posse pro dignitate hanc causam, quam suscepi exponere, tamen arbitrabar uos facile mihi ueniam daturos esse, quia pietate erga patriam adductus in tali argumento uires ingenij experiri non ostentare uoluissem. Ac principio uobis historiam recitabo, quàm potero breuissimè, postea exponam, quæ inde utilitas excerpi possit. Qui enim ita legit historias, ut nihil ad suum usum inde transferat, non satis perspicit, quid consilij habuerint sapientissimi homines, qui primi monumenta rerum gestarum ad posteros relinqui curauerunt.

Ante annos ferè quingentos, Romani Pontifices diuturnum bellum & calamitosissimum incredibili

dibili pertinacia cum nostris Imperatoribus gesserunt, dum ad se rapiunt ius Episcoporum creandorum in Germania: Nam ante id tempus Principes ipsi Episcopos suis prouincijs dederunt, nec passi sunt æquo animo sibi ius suum extorqueri: Neq; enim utile putabant esse patriæ infinitum Pontificis Imperium. Econtra Pontifices summa ui decertabant, non ut religionem defenderent, sed ut Imperium atq; opes amplificarent. Nec cum uno Imperatore dimicauerunt, sed aliquot seculis bellum perpetuum fuit, non perinde celebratum, ut Punica bella populi Romani, desuerunt enim & in Italia & in hac natione scriptores, sed non minus luctuosum ac funestum Germaniæ atq; Italiæ, atq; Punica bella Romanis & Carthaginensibus fuere. Sed acerrima ea de re contentio cum Henrico III. fuit. Incidit enim ille tanquam in epithasin fabulæ, in medium certamen: mouerant enim Episcopi bellum aduersus patrem, & quosdam Germaniæ populos ad suas partes prætextu religionis pertraxerant.

Cum autem Pontifex uirtutem Henrici sustinere diutius non posset, ac sentiret uictoriã inclinare ad Cæsarem, consilium cepit non minus impium quàm callidum, intestinum in Germania bellum excitat, ut Cæsar domi occupatus, ab Italia retraheretur, simul ut cũ suis ciuibus maiore cũ periculo pugnaret.

Nam

Nam cum haberet obnoxios Saxonum Episcopos, Pontifex egit per illos, ut Saxoniæ Ducem Imperatorem designarent. Accessit & Pontificis Romani autoritas, qui hunc de more Cæsarem salutauit. Nihil tale Princeps optimus ambierat, delatum etiam honorem fortiter recusabat suscipere: Nouum enim et inauditum ad id tempus in Germania exemplum erat, Cæsari redacto in ordinem successorem dari. Nec religione prorsus liber animus erat, quia alienum à boni ciuis officio uidebatur, Principis, cui fidem dedisset, maiestatem lædere. Sed ad extremum superstitione, qua nihil in Imperatorum animis potentius est, uictus atq; expugnatus est, ut Cæsaris titulum susciperet. Nam Episcopi persuadent fidem Henrico datam non esse seruandam, postquam is à Pontifice proscriptus esset, quia nulla ullius iuris aut officij societas cum excommunicatis esse debeat, docent contra religionem facturum esse, nisi obtemperet Romano Pontifici, uocanti eum ad suæ dignitatis ac libertatis defensionem. Magna erat autoritas Episcoporum propter opinionem uel doctrinæ uel pietatis.

Itaq; Princeps Saxoniæ assentitur eorum orationi, quæ in speciem plena pietatis erat. Bellum summa ui molitur, quod uaria fortuna plus annis octo gestum est. Quàm grauiter afflixerit Germa-

niam tam longum bellum, quantum ciuium absum-
pserit, pro uestra prudentia existimare facile pote-
stis. Sæpenumero iusta acie dimicatum est, sed ad ex-
tremum ad Picam flumen in agro Lipsensi opinor
summis uiribus prælium commissum est, in quo Sa-
xonum exercitus cæsus et fugatus est, & Imperatori
Saxonum cum fortissime pugnasset, manus præcisa
est. Princeps Saxonũ æger ex uulnere in oppidum
Mersburg illatus est, ubi cum decumbenti manus
quam amiserat, allata atq; ostensa esset, cœpit, ut fit
in rebus aduersis, ex euentu consilium æstimare: Et
quia manus præcisa erat, interpretatur fatalem fu-
isse casum, & manum ei datæ fidei pœnas dare. Con
uersus igitur ad Episcopos, quorum autoritatem
atq; consilium secutus erat, inquit: Videte Domini,
hæc est manus, qua fidem dedi Domino meo Henri-
co Imperatori: Nunc cogitate, an iustam causam de-
fectionis habuerimus. Nec post eam uocem diu su-
perstes fuit, sed ex uulnere mortuus est. Quid autem
querela illa acerbius cogitari potest? Est aliquid,
magnis crimen abesse malis, ut ille inquit, et pleniss-
sima consolatio est in rebus aduersis, mens sibi bene
conscia. At iste deplorans hoc modo suum fatum,
profecto significauit se sentire, suo scelere, suaq; cul
pa contractam esse calamitatem. Nullum autem sup
plicium, nulli cruciatus, quamuis horribiles, ad hu-
ius

ius doloris acerbitatem, quem turpitudinis conscientia facit, conferendi sunt. Exposui uobis historiam non ut debebam, sed ut potui. Nã tanta causa, tamq; uaria, in qua tot controuersiæ insunt, de religionibus, de colendis Magistratibus: præterea tam uaria consilia, & exitus mirabiles, non potest mediocri aliqua facultate ingenij explicari. Nos uero etiam breuiores iusto fuimus, propter angustias temporis, quod nobis ad dicendum præscriptum est.

Nunc uenio ad alteram orationis meæ partem: promisi enim me posteaquam recitassem historiam, dicturum esse, quid iudicem eam ad nostros mores utilitatis afferre posse. Etenim si res tanta diuino consilio accidit, quemadmodum sentire Christianos decet, profecto statuere debemus, ad nos id exemplum pertinere. Quemadmodum enim fabulæ, quæ in theatris aguntur, non propter eas personas quæ repræsentantur, sed spectatorum causa suscipi solent, ut quid in uita deceat, admoneantur: Ita nobis ostendit Deus uaria exempla maximarum rerum, ut officij nostri nos commonefaciat. Nec putate ea tantum exempla diuinitus nobis monstrata esse, quæ in sacris literis præscripta sunt, totus hic mundus uelut proscenium quoddam esse Dei, in quo omnium officiorum exempla quotidie exhibet. Proinde diligenter considerandæ est historia quã recitaui,

ut

ut quid admoneat nos intelligamus. Sed ut alios locos multos quos complectitur, omittamus, uox illa extrema miserabilis indicat, quid in exitu talis uiri nobis spectandum sit: Significauit enim Principem superstitione adductum esse ad bellum mouendum aduersus Imperatorem. Nihil superstitione pestilentius est, sed hæc tum maxime nocet, quando armat homines aduersus legitimos Magistratus. Nulla ferè gens est, quæ non olim humanas hostias mactauerit, atq; alij sæuierunt in liberos, alij suis dentibus senes parentes per sacrificij speciem laniauerunt: huiusmodi portenta superstitio parit, sed hic paucorum cæde contenta est, in bellis sæuit atrocius, ubi multa hominum millia simul trucidantur, ubi parentes in liberos, filij in parentes, cognati in cognatos ferrum aliquando stringunt. Nulla propemodum ætas ab hac peste fuit immunis.

Sed ut uetera exempla omittamus, ab hinc triennio quàm horribilis motus, quantum incendium subito exarserat, cum uulgus arma aduersus Magistratus cepit, cuius tumultus quàm fuerit luctuosus exitus, non ignoratis: Sic enim accepimus, cæsa esse supra centum millia hominum. Quæ res autem alia simplices homines initio decepit? quæ res alia induit arma imperitæ multitudini, nisi superstitio, seu quædam peruersa de religione persuasio?

Scitis

Scitis enim sparsos fuisse libellos, quibus tanquam ad pileum uocabantur, in quibus de publicandis syluis, fluminibus, de donatione creditorum, & hoc genus alia multa scripta erant, & male detortis scripturis, nebulæ erant offusæ oculis multitudinis: Hi libelli seditionis classicum maximæ parti fuerunt. Cum igitur tam pestilens res sit superstitio, diligenter aduersus eam animos nostros munire debemus, cum sacrarum literarum scientia, tum etiam historiarum cognitione, in quibus est uidere, quàm uarie occupet animos hominum. Neque enim semper eadem facies est, eademq; forma superstitionis. Nullus Protheus tam uarius est, quàm uarias formas illa solet induere. Videtis quàm callide obrepserit isti Principi, de quo hæc oratio instituta est. Magna erat in Germania dissensio Ecclesiarum: Nam Ecclesiæ Saxonum iudicabant reliquos Germanos, qui in fide Cæsaris manserant, nullas ceremonias recte posse tractare, propter Pontificium interdictum. Diripiebantur eorum templa uelut prophana loca, ad ipsas aras trucidabantur miseri sacerdotes. Quis autem non moueretur tantorum malorum contemplatione? Quis non cuperet has tantas calamitates sanare, si quid opis afferre posset? Sic affecto Principi insinuat se superstitio, ac persuadet id fore remedium publicorum

corum malorum, si oppresso Imperatore dissensiones Ecclesiasticas tollat. Sed uide quantum in isto consilio turpitudinis fuerit. Primum diuina ac humana iura uiolat, cum aduersus suum magistratum, quem & doctrina religionis, & omnium gentium leges bona fide coli præcipiunt, arma capit. Et cum talia fuerint auspicia noui imperij, nihil est quod miremur exitum tragicum esse. Quid enim accidit inito regno? Num restituit pacem? Num sustulit Ecclesiarum dissensiones? Nequaquam, sed morbum intempestiue medicando multo magis exacerbauit: Nam suscepto bello, nihil usquam tranquillum erat. Hic primum mutuis accensa odijs, utraque pars crudelius sæuire cœpit, quàm antea unquam. Postremo præterquam quod exitus Principis fuit miserrimus, tota etiam ditio amisso Principe uictoribus prædæ fuit. Hunc exitum superstitiosi consilij diligenter considerate, & sæpe uobis manum illam Principis præcisam ob oculos ponite, ne ipsi unquam superstitione adducti, Magistratuum autoritatem lædatis. Illa manus admoneat, neminem quantumuis magnis uiribus munitum, contemptum Magistratum impune ferre. Pinguntur in quibusdam urbibus brachia in foro, quæ significent, capitale esse, ferrum aduersus alterum stringere. Ita uos manum illam Principis

pingite

pingite uobis in animo, ut intueri eam, quoties opus est, positis, ac meminisse, qualis sit exitus eorum, qui Magistratus contumelia afficiunt.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS DICTA DIuo Maximiliano Cæsari Vuittenbergæ, à Philippo Melanchthone, Anno 1519.

IORDANI HERCZHAIMERO Philippus Melanchthon S. D.

ILlustrissimus & pientissimus Princeps Saxoniæ Fridericus, Vuittenbergæ Maximiliano Cæsari iusta fecit 18. die mensis Februarij, pro more Christiano, quas inferias, ut scis, oratione extemporanea prorsum dicaui, eam ad te mitto, non quod tam probari uelim tibi illam, quàm studium erga te meum, qui compertum habeam, eximiam Maximiliani uirtutem longe alijs celebrandam præconibus. Dignus enim Princeps fuit, excellentium ingeniorum conatu, atque ut Ale-

ut Alexandrum nephas erat, nisi à Lysippo & Apelle fingi, ita in hoc non liceat nisi summis ingenijs periclitari. Quibus quæ mea est oratio, cum accenseri nequeam, nolo uideri Cæsarem laudasse, sed uestris tantum studijs, hoc quicquid est officij dedisse. Nam siue id fatis, siue literis debeo, in omni prope cursu uitæ meæ nihil prius excolendis amicis habeo. Quanquam quid ista nimium sollicitus? qui probare mea nisi candidis & alioqui amantibus mei, non admodum contendo. Vale. Vuittenbergæ.

Si

SI unquam Illustrissimi Principes, Magnifice Rector, præstantiss. uiri, casus aliquis non modo uniuersæ Germaniæ, sed omnino toti Europæ acerbus accidisse uideri potest, hic certè multo maximè, optimi Principis diui Maximiliani interitus publicis omnium lachrymis deflendus est. Nam ereptus terris unus omniũ, qui Germanis imperauerunt Principum, multo sapientissimus & fortissimus, ad hoc eo tempore, quo nondum aliud fuit uel cõmodius declarandæ uirtuti Cæsarianæ, uel magis necessarium, cuius ille ambiguos casus sapientia sua temperaret. Quod enim fuit secu lum ab ipso Germaniæ regno dedicato, quo uel Ecclesiæ opes periculosiore loco fuerint, uel turbidi motus certius exitiũ uniuersæ Europæ, nedum Germaniæ portenderint? Horret animus dicere: Crudelissimus nominis Christiani hostis Turca imminet Italiæ. Roma in medijs fluctibus ἀλαόσκοπος, quæ debebat uniuerso orbi, nobis autem maximè, uoluti quoddam domicilium, & arx trepidantibus salutari. Galliæ quæ in armis annos iam ferè quinquaginta à Carolo usq; octauo agit assidua, nunquam neq; maiores animi, neq; spes impotẽtior, neq; occasio amplior, neq; fortuna indulgentior fuit. Reguli Germaniæ passim patriæ, ueræq; Germanicæ uir

tutis immemores, inteſtinis bellis ſua labefactare cœperunt. Hoc illo tempore ſublatus eſt ex oculis, mediaq; luce Cæſar, orphanis pater, cuius prudentia & incredibili moderatione animi, ut fœliciſſimo proficctu, eoq; prope ſupra fidem, in hunc uſq; diem Germaniæ laudes, opesq; auctæ ſunt: Itauſq; illo ipſo arbitro & ſeruatore, ſtare non temere poterunt. Iure igitur dolendum eſt amiſſo Cæſare, & bono Principe, & bono uiro, quo uiuo ut pulcherrimè floruerunt Germaniæ commoda, ita mortuo, non poſſunt non illa emarceſcere. O miſerabilem Reipub. mortem, ô acerba Germaniæ fata: quæ eſt quando unquam ſenſimus aduerſa, nunc certè maximè ſentimus. Atq; ut intelligatis merito lugendum eſſe, & Cæſaris interitum, & grauem patriæ caſum, obiter uitam illius uniuerſam, & eximia decora percurram.

Diuus Maximilianus Cæſar natus eſt patre Friderico Auſtrio Cæſare, Leonora Luſitana, utroq; parente inſigni clementia & pietate: quæ quanquã ſint Auſtrijs ceu gentiliciæ dotes, tamen adeo in patre, ut de Leonora interim taceã, excelluerunt, fuſſe runtq;: ut qui cum ipſo hac laude ſuperiorũ ætatum Principes comparaturus ſit, uideatur inuidere ſeculo noſtro ſingulare hoc ſpecimen, cuius uix umbram aliquam habent maiores: tantum abeſt, ut

æquã-

æquasse putentur. Patrijs uirtutibus adolescens imbutus, per omnia religionis, fidei, sancti, æqui, boni q; tenax fuit, sed aliquanto gloriæ militaris cupiditate patrem uicit, qua factum est, ut cum illum summum uirum artibus pacis prædicet Germania, hunc non posit & bellicis & ciuilibus decoris maximi facere. Tyrocinium egit maximis confectis rebus in Flamingis, Brabantinis, Holandis, Sycambris, idq; tale, ut in eo utramq; fortunæ uicem sit expertus: sic enim oportebat adulescentem summis natum rebus, summoq; Imperio gerendo uelut in stadio, in cursu rerum humanarum erudiri. Etenim cum in priuatis ingenijs ad ciuilitatẽ, erudiendamq; uitam pertinere arbitrentur utriusq; fortunæ periculum, quod hæc atroces ferè, illa abiectos faciat animos, uicissitudo cautos & memores humanæ sortis, in Rege imbuendo longe primum duci debet ambiguum fortunæ rudimentum, quod neminem tam referat res humanas omnes compertas, meditatasq; tenere, quàm Principem. In hoc Vlyssen sapiens Poëta Homerus πολύτροπον fecit, atq; adeo unicum boni Principis exemplar. Atq; ut uidemus luxuriantes primum segetes raro frugem maturare: Ita quibus immodica primum sese fortuna indulsit, ferè optima uitæ parte solent frustrari. Et ni si me fallit opinio mea, nulla omnino res est adeo ef-

ficax ad muniendum tuendumq; in exordijs uitæ hominis animum, ut iniquæ, & inconciliatæ fortunæ præludium, quum in primo, scilicet uitæ uestibulo, imperita cõmunium rerum adulescentia, male compos sui, impura & insolens eruditur, agitur, & ueluti putata in usum uitæ fingitur: statimq; humana odisse, libatis id genus aduersæ fortunæ primitijs, incipit: & hoc salutare carmen in imis conditum sedibus pectoris, sic in oculis, sic in ore semper, ut uniuersæ uitæ transigendæ scopum habet: Domino gloria, mihi autem confusio. Scythicos aiunt equos statim ut nati sunt, quia calceari ferro non solent, in salebras duci, & aspero silice fatigari, quo indurescant pullorum adhuc pedes: Ita conducit adolescentem hominem statim fortunæ lubrio βασανίζεσθαι, uti discat, quatenus illa sit fidendum, quàm sint omnia in hoc rerum humanarum theatro incerta, uaria, & planè, ut paucis dicam, nihil.

In hunc, uidelicet, modum adolescenti Maximiliano contigit fortuna, uictorijs aliquot interim læta, interim aduerso casu tristis. Etenim occupata Burgundiæ opulentissima ditio, cum aliquandiu ciuilibus flagraret odijs, iuuenem Principem fortè intercipit, captiuum in uincula conijcit: Idq; non modo præter dignitatem regiam, sed omnino contra natu-

ræ

turæ sensum, contra fas hominum, contra gentium more ausa: neq; his contenta, addit Morionem, cui captiuus Regulus quotidie ludus esset. O quantũ flagitium, ô inauditum nostris hominibus scelus, adolescentem Regem tot Imperijs, tot regnis destinatum, tam turpiter haberi. Sed uoluntate superum haud multo post proceribus Germaniæ deposcentibus redditus, pœnam de sceleratissimis Flamingorum populis sumpsit: non quantã tale merebatur facinus, sed quæ improbos homines flagitij admoneret: Nam & in gratiam postea recepit perfidos, & quæ belli impetu perculsa, & conturbata iacebant, magnifice erexit, instaurauit, auxitq;. Possem cõmemorare, quæ in eo bello gesta sunt, pleraq; incredibili moderatione, ut non tam quod Flamingos uicerit, quàm quod ipsum sese superarit, laudari debeat, ni satis eadem perspecta essent uobis, quibus eius belli Dux, fortis quidem uir, & minime barbarus, Princeps Saxoniæ Albertus non ignoratur. Iam in ipso Cæsare argumentum ingentis & inuicti animi perspicuũ erat, & immortale clementiæ exemplum, qui sibi à tam insolenti, inhumano, & crudeli hoste, adeo humaniter temperauit. Quod præconiũ, ut cum paucis commune habet (quis est enim qui talem unquam sit perpessus hostem?) ita prædicari omnibus bonorũ

uocibus, omnibus celebrari literis debet, ut aliqua saltem ex parte tantæ uirtuti præmiũ, gloria in posteris persoluat. Non est ut hoc loco dignemur Antoninos, Traianos, multis alioqui nominibus laudatos Principes, sed clementiæ laude cum Maximiliano, non temere conferendos, quæ uel hoc amplior est, quod ipsa sit omniũ heroicarum uirtutum summa, prora & puppis, ut dicunt. Etenim cum sacræ literæ Deum Opt. Max. mortalibus potissimum præconio clementiæ & φιλανθρωπίας cõmendant, non potest esse bonus Princeps, qui non pleno pectore sacrosanctam illã cœlestis philanthropiæ speciem complexus est. Nam hac una iubetur maxime referre superum, ac cœleste numen in terris.

Tandem uero sedatis intestinis motibus, Burgundiam Gallus inuasit, ubi sæpe cum hoste congressus est noster, signa sæpe retulit. In summa Gallũ Germania exturbauit, atq; hic quidem est adulescentiæ Cæsarianæ cursus, cuius uos tantum admonui, nam ut singula explicentur, neq; hoc patitur dicendi spatium, neq; ingeniũ meum. Iam & reliqua percurremus, melioribus inde usq; annis cum bello tum pace gesta, quæ omnia ingentem & uere heroicũ Maximiliani animum arguunt. Itaq; is indole tali, usu rerum iam non mediocri, spem sui tantam Germaniæ proceribus fecit, ut unum fascibus Romanis, &

& corona Germanici regni dignum censuerint. Imperator designatus, apud Aquisgranum Regio honore auctus est, idq; parente uiuo, quæ raris fœlicitas contigit. Primum omnium Germaniæ statũ confœderatione Sueuica sancita, confirmauit, utili sanè consilio, quo Germaniæ opes uel potissimũ communitæ sunt: fuit enim ea confœderatio hactenus in rebus dubijs certissimũ Germaniæ præsidium: Ostriam deinde ab Hungaris asseruit. Sub idem tempus imperauit Turcis notæ ferociæ Baiazeta rex, qui in Hellespontum grassatus, bello Illyrios afflixit: Dalmatas, deinde quæ sunt in uicinijs regiones, Carinthiam & Croatas inuasit, deprædaturo similis: pessimi fuerat exempli res futura, nisi irrumpentem Maximilianus prohibuisset: aliquot Turcarũ manipuli in fuga cæsi sunt. Iam tum hoc duce, Germania Turcas uinci posse didicit, ex quibus nos paulo ante, semper aliàs quoq; inuictis, grauissimã cladem sub Sigismundo Cæsare accepimus: uerum nihil fuerat periculi nostris rebus ex Turcis hoc uiuo, quem scilicet iam olim agnitum non temere in arma uocaturi erant: cætera Baiazeta inuictus, huius uim non sustinuit.

Regressus deinde in Sycambris bellũ gessit, quo essent accolæ à latrocinijs tuti. Nam ut assiduo in armis fuit, ita nõ gessit cum alijs bella, nisi cũ ijs qui

publicæ saluti infesti erant. Priuatam iniuriam uidetur tulisse minus ægrè, quàm soleant uulgo Regum ingenia. Sed quid non priuatim ferret is, qui non sibi sciebat Imperium geri, sed Christiano populo, imò Christo, nec aliud esse Regem, quàm bonum patrem familias? qui tum se demum beatum putat, cum beatam uidet sua cura, suis consilijs, sua industria familiam. Ita Regis est, non libidine sua modum statuere Imperijs, sed commodo publico. Quo minus bonos agunt Principes, qui sibi quiduis licere putant: peiores, quibus quiduis libet, ita uidelicet imbutis, ut nullo discrimine honesta ac turpia, phas nephas misceant: qui se regnare non putant, nisi per omnia libidinis, ac turpitudinis crudelissima exempla, Ius, phas, bonum, æquum, pium, sanctum, fidem, religionem, deniq; omnia publica & priuata conturbent. Nolo nunc meminisse Claudiorum, Neronum, Commodi, Heliogabali, Diocletiani, Maxentij, & similium. Ipsi nos in sinu nostro, Germani, qui assueuimus semper esse liberi, tales alimus Regulos: quos si cum maioribus sæuissimis & immanissimis flagitijs comparemus, facile crediderim, posse illos hodie in numerum bonorum Principum relatum iri. Quanto satius erat Principes huius ætatis è Maximiliani ingenio, sua temperare, ut quem à superis acceperant patrē, &

& seruatorem, eundem moribus referrent, uel hoc etiam, quo gratitudinem animi sui cœlestibus declararent, si illum sic essent complexi, ut eius quàm maxime similes se uellent. In hoc cum semper publicæ salutis arserit cura, nihil non datum est studio pacis, publicæ pietati & religioni. Ipse semper in armis fuit, ne unquam subito motu turbaretur Germania: Ipse semper bella gessit, ut ab omni metu bellorum tuta esset Germania: cum Geldris ideo dimicauit, ne uiciniam latrocinijs infestarent: cum Heluetijs, ut suos à ui assereret: cũ Palatino item, ne in Rhenum plus æquo grassaretur. Quis est enim qui nescit occupatum in Geldris, ad suscipiendum cum Heluetijs bellum graui rerum suarum periculo à Sueuis euocatum esse, qui iam ante bellum gerebant, quàm illius signa & aquilas uidissent? & cum Palatinis Principibus ante multa de iure acta sunt, quàm arma mouerentur, fortasse tum quoq; parsurus, nisi Palatinum conuerti ad uim sensisset. Ipse hoc scio, pars illorum malorum, cum comitijs Augustæ habitis multa utrinq; iactata essent, Palatinum nihil respondisse, nisi ut sui cum telo essent, uindicandam armis Bauariam. Videtis qua impulsus necessitate bella Germanica susceperit. Hoc autem memorabile sapientiæ suæ exemplum dedit, quod ea bella sic gessit, ut sontes tantum punirentur, reliquæ na-

tiones quietæ essent, interim undiq; præstans, quod in Regibus uolebat Homerus:

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

hoc est, & Rex consilio, & pugnando miles: Nam in utroq; bello, multa prudenter, multa fortiter fecit. Heluetios, gentem alioqui ferocem, bello eo usq; fatigauit, ut pacem libenter agnosceret, & per Gallos impetraret. Palatino auxiliaris ex Boëmis legio cæsa est, idq; dimicante Maximiliano ipso fortissime, tamen & ille receptus est in gratiam, quum satis pœnarum dedisset. Fallor, nisi singularis est sapientia, sic bella gerere, ut solis sontibus detrimento sint. Et incredibilis est magnitudo animi in eo, qui modum statuit pœnæ, non quẽ culpa meretur, sed quem facit uictoris mansuetudo. Ea tum erat Germaniæ fœlicitas, ut cum omnino esset aliquid Marti dandum, ita enim est gentis nostræ ingenium, tamen id fieret citra publica incommoda.

Quando enim unquam fuit Germania pacatior, quàm sub Maximiliano fuisse uidimus? Quoties sub Carolis uniuersa commota et labefactata est seditionibus intestinis? Dabimus aliquid Othonum fœlicitati & gentilitiæ laudi: semper enim Saxonia pacis amans fuit. Certe Francorũ Henricos tragica etiam mala afflixerunt, quum aliquandiu pars Germanorum

rum filio, pars patri studeret, ut reliqua prætereã. Ab eo uero tempore, quo imperauerunt Sueui, quæ so quid fuit in Sigismundum usque læti in uniuersa Europa, nedum Germania? Prudenter Fridericus primus, qui belli molem in Italiam, ac deinde Asiam uertit: Qui hunc secuti sunt omnia infœliciter. Regnum pariter uindicarunt Philippus Sueuus, Otho Saxo, deinde Adolphus Nassaensis, et Albertus Austrius: post hos Ludouicus Bauarus, & Fridericus Austrius. In hæc, ne quid deesset mali, quot Pontificum urbis Romæ dissidia, quot item Germaniæ deuotiones inciderunt, quibus semper aduersa fuit huius regni tranquillitas, ne sua in Italia tyrannis imminueretur: nam præter id quod aliquoties uniuersa Germania diras Pontificias pertulit, nõ raro priuatim quoque urbes ac ditiones aliquæ desecratæ sunt. Ita nunquam bellorum semina non ministrabant Pontifices Germanis, quæ hoc imperante nulla fuerunt: nunquam Germania uniuersa commota est, nunquam labefactata, hoc imperante, religio: quæ nisi admirabilis quædam sapientia, et planè cœlestis, integra et salua conseruari nõ potuit: et hunc Principem ereptũ terris non doleat Germania? Dederat Iulius Pontifex materiem intestini quoq; belli, sed quæ fuit Maximiliani prudentia, cauit ne Italia

Ἐξις, πολέμοιο τέρας μετὰ χερσὶν ἔχουσα

egrede-

egrederetur: Nam ultimum operum mortalium geſsit bellum Italicum, cuius euentus paulo iniquior fuit, reliqua enim fœliciter contigerunt, perfidia gentis in cauſa eſt: Eamq; fortunam cõmunem habet cum Carolis, Othonibus, Fridericis, Ludouico Bauaro, & Sigiſmundo: adeo ſemper gentis dubia fides, & Pontificum odia, malè conciliarunt noſtris Principibus. Id quod Rodolphus Habſpurgus, qui primus è familia Auſtriorum Romanis faſcibus auctus eſt, bello & pace clarus, intelligens, rogatus quur Italiam petere nollet, per apologũ Aeſopi

Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam, quia me ueſtigia terrent

Omnia in aduerſum ſpectãtia, nulla retrorſum. Bellua multorum eſt capitum Roma: Videlicet ſignificaturus nemini ex Germanis Principibus proſpere aduentum in Italiam ceſsiſſe. Cætera fœlix Maximilianus, hunc caſum fatis debet, quem tamen cõmunem cum omnibus alijs habuit. Atque hæc ferè ſunt, quorum uos obiter tantum admonui, quæ ille memorabilia bella geſsit, longe his præſtant decora pacis, quibus, ut nondum ullo tempore tam floruit Germania, ita cum eo nemo ſuperiorum Principum conferendus eſt. Liberalitas in eo ſumma, cultus pietatis præcipuus, plurimarum artium & linguarum cognitio, omnium ciuilium rerum tantus amor,

amor, quantum hodie illo ipso autore ciuilis cultus in Germania uidemus, quẽ omnes eo esse loco scitis, ut cũ nostris nulla possit comparari extera natio. Literas fouit, decretis in studia stipendijs Viennæ, ubi primum Mathematica et Poëtica reflоruerunt: cuius exemplo cum alij Principes ad literas animum adiecerunt, tum maxime optimus Saxoniæ Princeps Interrex Fridericus, cuius cura restituitur fontibus suis Theologia, hic tanto fœlicior, quanto omnibus alijs disciplinis sacræ præstant. Digna est omnino Principe uiro cura rei literariæ, & quod illa renata sapere incipiat Germania, & quod sine literis nemo imperare rectè sciat. Id quod dixisse fertur Sigismundus Cæsar ad Ludouicum Comitem Palatinum Rheni, auũ eius qui hodie ditionem gubernat, senemq; permouisse, ut iam canus Latinas literas disceret, non aliter quàm Cato Græcas. Mechanica uero quædam à Maximiliano inuenta sunt, quædam aucta: Nam ad illa eum miro ingenio fuisse, dignis fide testibus didici.

Sed quid ego singula commemoro? ante oculos ponite Reipub. Germanicæ statum, ut illius auspicijs erexerit caput nuper, hoc emortuo, ô fata, & ô necessitas modo rursum demittat. Videor mihi uidere ante oculos communem parentem omnium nostrum Germaniam pullatam ac sordidatam, miserabili

rabili gemitu, reuocare Seruatorem suum: stantes, hac proceres militiæ nostræ, illac effusum gregem eorum, qui studijs pacis hoc Principe stipendia fecerunt. O nos miseros, quibus hunc tam clarum solem inuiderunt superi. O infœlicem patriam amisso parente ipso tuo. O infœlicem pacis alumnam fidem, amisso assertore tuo. O infœlicem rerum publicarum custodem concordiam, amisso eo, qui per omnem uitam concordiæ iura religiosissime tutatus est. O infœlices Musas, amisso unico penè præsidio uestro. Quæso uos uiri, erigite animos, & Germaniam ipsam lapsantem, oculis contemplamini: Me enim plura dicere non sinit nunc dolor. Omnes interim tanti Principis memoriam contemplatione uirtutum sanctam ducamus, quo nondum alius in regno Germaniæ, neq; priuatim, neq; publice maioribus ornamentis illustrauit Europam. Doleamus casum nostrum, quibus alienissimo tempore, atq; adeo eo, cum sapientissimo nobis Principe opus esset, Maximiliano carendum est.

Vides autem Illustrissime Princeps Friderice, ut in te iam res uniuersæ Imperij Romani inclinatæ recumbant. Tu pacis studia, ius, fidemq; publicã, quæ in humeros iam tuos inciderunt, sustinebis, seruabis, ac tueberis. Magnum uirtutis tuæ documentum hactenus orbi dedisti: Iam nunc tibi commitendũ est, ut

ut cum salute nostra sapientiam & uirtutem tuam coniunxisse uidearis. Hoc superest, ut sacris uotis pijsq; inferijs Maximiliani animam prosequamur, quod illi, uel ut parenti, Principi, uel ut fratri, homini debetis. Tu quoq; per bonitatem tuam Christe Iesu Opt. Max. te quæso, da preces te nostræ supplices placent, da ut sentiant Maximiliani manes, profuisse sibi apud te pias Ecclesiæ preces, cui tu eum gubernatorem ac Principem fecisti. Per bonitatem tuam Christe Iesu Opt. Max. te quæso, interimplebem tuam assere, serua, protege, quæ sanguine tuo imbuta, non aliunde quàm ex te sibi salutem sperat.

Dixi.

Oratio

ORATIO DICTA IN FV-nere Friderici Saxoniæ Ducis.

Go in hoc publico luctu, acerbißimo q̃; omnium dolore, cum erat uel interitus Sapientißimi Principis deplorandus, uel iactura Reipublicæ quã illo amisso fecimus maximam, deflenda, uel oratione leuandæ mentes procerum, aut etiam popularium, non modo non satis præsentem animum ad dicendũ adferre me sentio: Sed hæc uox etiam testis officij pietatisq; nostræ, mœrore lachrymisq; impeditur. Et cum præclaræ uirtutes huius Principis hunc honorem, quo semper optime constitutæ ciuitates summis uiris parentarunt, in primis mereantur, grauiter crucior, quod pulcherrima eius merita, præsertim in recenti luctu, à nobis ornari nequeunt. Nam cum Reipub. orbitate, quæ in hoc motu, & his tenebris sapientiam huius hoc tempore tanquam lumen requirebat, uehementer perturbor, tum auget dolorem priuatus luctus. Etenim cum uiuum non modo propter beneficia quæ extant erga me ab illo profecta innumera, coluerim, sed etiam propter insignem uirtutem unice admiratus sim & amarim, non potuit fieri, quin tanti uiri

tiuiri interitu ualde consternarer. Nos igitur & ingenij inopia, & dolore impediti, non instituimus encomium laudum illius, tantum hac misera uoce, & his lachrymis gratitudinem animi nostri declaramus, ut intelligi possit iucundam nobis illius uirtutem, grata officia fuisse.

Sed ut intelligat rectius hæc turba, quantam gratiam manibus huius Principis debeat, attingam obiter quasdam eius laudes, & tanquã procul ostendam. Et quamuis non sumo mihi tantum, ut oratione mea leuari mœrorem illorũ posse sperem, qui iacturæ magnitudinem intelligunt, quam hoc casu Respub. fecit, tamen spero fore, ut illa ipsa memoria uirtutum, illius leniat acerbitatem luctus. Cum diuinæ literæ doceant diuinitus præfici Magistratus Rebuspub. & fato Principes dari, plurimum profecto superis hæc debet natio, postquã talis contigit Princeps, qui cum esset primum natura factus ad omnes artes pacis, & ad humanitatem & mansuetudinem, nihil antiquius, aut prius populi salute habuit. Prædicent alij maiorum imagines et uetera stemmata, qua laude quanquam abundent Saxoniæ Principes, tamen erant alia in Friderico maiora, scientia gerendi imperij, & animi magnitudo summa. Fallitur autem, si quis putat armis tantum, & uiteneri Respub. plus ad eam rem momenti adfe-

runt pacis artes, iusticia, moderatio animi, constantia, tangi cura publicæ salutis, diligentia in dicendo iure, in dirimendis ciuium dissensionibus, tolerantia in perpetiendis uulgi erratis, sæueritas in coercendis improbis, clementia in seruandis his, qui corrigi possunt. Ad uulgus in maiore admiratione sunt, clariusq; cernuntur bellicæ uirtutes, & pluris fit miles aliquis athletico robore, quàm moderatus & placidus ciuis. Togatæ uirtutes & urbanæ, ut aliæ res bonæ latent, nec satis notæ sunt imperitis. Itaq; leuiter laudari eos putant, quibus pacis studia, artesq; tribuuntur. Ego uero ita sentio longe præstare, siue quis utilitatem spectet, siue hominis naturam, castrensi usui pacis studia, nec patiar præponi Augusto Principi quietis, ociiq; amanti, Antonium Imperatorem magnum illũ quidem, sed pernicioſum Reipu. Nec Græcis plus contulit Alcibiades, quàm Solon: Quorum alter bellum ex bello ſerens euertit patriam, alter legibus latis & ciuitate iure conſtituta non ſemel tantum ſeruauit. Finxerat itaq; Deus ad has utiliores et meliores uirtutes Fridericum. Quapropter primum turbulentis Germaniæ temporibus, tamen ſemper cauit, ne quo bello ſuæ gentes uexarentur.

Quam mihi uictoriã audet aliquis ad hæc conferre, cum tam uarij motus annis iam plus triginta in tota

tota Germania fuerint, cũ toties uis paratetur, multi, ut fit in regno, inuiderent ei ocium, multi instigarent ad mouenda arma. Crede mihi, non mediocris illa tum prudentia erat, tum fortitudo, animum atq; iracundiam uincere, parcere populi uitæ, & pecunijs, ratione, consilioq; uim hostilem discutere. Periclem ferunt animam iam penè agentem, cum circumstantes amici prædicarent eius trophæa, & victorias, dixisse illam laudem non tam suã esse, quàm militum aut fortunæ: hanc esse proprie suam, quod nemo ciuis sua causa unquam nigram uestem induisset: uolebat enim docere, priuatæ dignitatis tuendæ causa neminem unquam ciuem interfectum à se esse. At hic noster non modo priuatas iniurias nunquam cũ periculo ultus est, sed bella etiam & uim publicam ratione, sine ciuium cæde oppressit. Verius hic de se prædicari possit: Cedant arma togæ: quàm Cicero, qui motum in Repub. ciuilem armis crudelius etiam, quàm res poscebat, uindicauit. Porro quemadmodũ periculosis tempestatibus sine summa uigilantia, summoq; labore nauem seruare incolumen gubernator non potest: ita tam duro tempore pacatam tenere prouinciam tot annos, non est uulgaris ingenij opus. Etsi uictoriæ sanguine partæ trophæis ac triumphis ornantur, quàm grata nobis esse debet harum uictoriarum memoria, ubi so-

lius Principis consilio, diligentiaq; bella profligata sunt. Quod si intelligeret uulgus, quantã perniciem ac uastitatem fœliciſsimum etiam bellum adferat, & uideret propius pacis cõmoda, profecto statueret nihil à Deo melius, nihil utilius, nihil diuinius his regionibus dari potuisse, quàm talem Principẽ tam pertinaciter fugitantem bella. Porro non caruerunt honore hæ uirtutes eius, dum enim uident publicis cõmodis tanta fide eum seruire populares, tanquam patrem ferè amarunt, nulla crudelitatis aut iniuriæ suspitio hæsit in ullius animo. Eratq; id consecutus, quod scribit Xenophon: Esse difficilimũ, & planè diuinum, ut uolentibus imperaret. Neq; uero Principi quidquam contingere potest honorificentius, quàm ut prudentiæ & iustitiæ laudem illi ultro concedant subditi, ut salutem suam tuto illi cõmissam putent. Sic ille æquitate diligentiaq; domi foriscq; Rem pub. pacatam annos plus triginta tenuit, legibus, moribus, ædificijs, ditionem undiq; exornauit. Id magis putauit regium esse, excolere, ornareq; bono publico prouinciam, quam maiores tradidissent, quàm cum multorum iniuria fines regni proferre, amplificareq;. Et ut Græci prouerbio monuerunt, Spartam nacto ornandã eam esse. Ita hic summa ui animi incubuit in hoc, ut tanq; domũ paterfamilias, redderet ditionẽ omnibus bonis rebus florentiorem.

Possem

Possem hic etiam cõmemorare, quàm periculosa dißidia exterorum Principum, quàm multa bella autoritate sua diremerit: Sed neq; tempus longiorẽ orationem, neq; uires meæ ferunt, & plerasq; res gestas notas esse uobis arbitror, quas si animo reputabitis, intelligetis summa prudẽtia, summoq; consilio in Repub. uersatũ esse, & uere salutarem Principem & patriæ & exteris fuisse. Ego profecto summam hanc, uerißimamq; laudem eius esse duco, quod ita pacem tutatus est, ut tamen à bello prouocatus etiam, abstinuerit: Qua laude nihil excogitari Principe illustrius potest. Diuina enim præconia etiam meretur, nam cum mundus Imperij possessionem ui atq; armis defendi debere existimet, Christus contra, pronunciat beatos esse mites, & à sæuitia alienos, eisq; possessionem terræ pollicetur. Et paulo post, pacificos etiam filios Dei adpellat. Erant tamen in eo priuatæ etiam uirtutes magnæ præcipuum religionis Christianæ studium: Nam sacra per omnem uitam religiose tractauit, & cum magna uarietas opinionum de religione his temporibus fuerit, tamen optima, certißimaq; semper delegit. Et cum ante hac Pontificum constitutiones, & quidam humani ritus pro religione soli docerentur in templis, præstitit ea quæ in moribus erant diligenter, id quod ego specimen bonæ mentis interpretor: &

quia putabat illos ritus cõducere ad adsuefaciendos animos uulgi, inuitandosq; ad studium cognoscendæ religionis, templa condidit, ceremonias inuexit, accersiuit undecunq;, qui sacra docerent. Et tamen accipio tum, quum animo requireret synceriorem tractationem Christianæ doctrinæ, sæpe cum doctis uiris confabulatũ esse de ui, naturaq; religionis. O altam, generosamq; mentem, neq; enim plebeios animos inceßit hæc cura contemplandæ, perueßtigandæq; religionis. Magnam quandã ingenij uim, & heroicam indolem animaduerto in eo fuisse, cum tantopere arsisse studio perdiscendorum sacrorum uideo: Est autem profecto hæc cura in primis digna Principe. Sepe detestatum ferunt, si quis humanas rationes in causa religionis adferret, propterea inquit, quod nihil tam acute colligi posset, quin idem euerti etiam queat argutando. Dicebatq; optare se ut de sacris ex solo Dei uerbo iudicaretur. Hæc tum agitabat animus eius, cum religio tota esset obruta Monachorum somnijs. Postea uero, quàm perpurgari cœpit, & tanquam reuiuiscere Christiana doctrina, adplicuit animũ ad eam penitus cognoscendam, ne quid temere aut probaret, aut damnaret. Vbi perspexit uim religionis, toto pectore amplexus est ea, quæ ad suam mentem conformandam facerent, & pietatem alerent: ociosis

sis disputationibus, quæ ad ædificationem nihil conducunt, longum ualere dixit, & in ritibus publicis, quia uidebat prophanos quosdam homines contemptis publicis moribus, prætextu libertatis Euangelicæ propemodum in belluas mutari, diligentißime cauit, ne quid mutaret temere, ne suo exemplo imperiti peccarent. Et sentiebat, id quod res est, publicam morum mutationem periculosam esse.

Cumq; de religione hoc modo, ut dixi, sentiret, & regionibus suis pure doceri sacra pateretur, quanta Deum immortalem constantia, quanto robore animi sustinuit inuidiam, qua in Pontificio regno flagrauit, uicit Pontificum fulmina, & minas summorum Regum, contempsit conuitia uulgi, sacrificulorum sacra in quæstu habentium. Qua in re satis declarauit se ex animo uereq; fauere Christo, cum illius notam sibi inuri pateretur, cum in corpore suo illius stemmata gestaret, hoc est, cũ ad Christi exemplum, ipse etiam laceraretur. Quid enim nisi perpetua carnificina animi fuit ille hostium impetus? Cuius mihi Eremitæ ieiunia & uigilias, cum his afflictionibus audet quisquam conferre? Non profecto grauius oppugnatus est Ezechias, quanquam mœnia Solymorũ cinxisset hostis. Vidit hic quoq; non semel expediri aduersus se arma,

& propemodũ iugulo gladium intentari. Sed quia religionis causam sciebat humanis uiribus sustineri aut defendi non posse, nihil ipse contra molitus, salutem suam & suarum gentium Deo committebat: Et quemadmodum uir fortißimus apud Poëtam ait:

Quidquid erit superãda omnis fortuna ferendo est.

Ita patientia, moderationeq; animi inuicorũ sæuitiam, quantum fieri potuit, mitigauit. Non uacat hanc laudem tractare pluribus. Prætereo iam quod schola constituta sensit, quantum adferat Reipub. scientia literarum, quas uulgus Principum odit cane peius & angue. Omitto qua diligentia, fideq; amicos adiunxerit, coluerit, & quod in regno difficilimũ est, retinuerit. Præterea quæ in adeundis periculis contatio fuerit, quæ constantia in perferendis fuerit. Non dico quanta suauitas in familiari congressu fuerit, quanta in sermone urbanitas, quanta ingenij argutia fuerit. Non cõmemoro scientiam rei familiaris gubernandæ, quæ fuit in illo mira, & qua nuper annonam ingrauescentem laxauit. Hæc omnia animo repetenda sunt uobis, & memoria omnium illius uirtutum ac meritorum reuocanda, ut expendatis primum, quantam Deo pro tali Principe gratiã, deinde quantã ipsius manibus debeamus, nulla ætas ex animis nostris memoriam tantæ

tantæ uirtutis ac beneficiorum delere debet. Amisit enim, miseros nos, patria non tantum Principem utilem ac salutarem, & diuturnæ pacis custodem, sed patrem etiam à quo bonis omnibus rebus exornata est. Diuinos honores meruerunt alicubi, qui culturam agrorum ostenderunt: Hic agrorum culturam, educationem sobolis, atq; institutionem, negociationem constantissime tutatus est, pace per tot annos conseruata. Amiserunt & studia nostra Mœcenatem, nemo enim Principum ingenia, aut norat melius, aut aluit benignius. Amisit uniuersa Germania Senatus imperij Principem. In hoc plurimum bonis omnibus præsidij erat, ad hunc proxime in magno Germaniæ discrimine detulerant rerum summam omnes ordines, huius sapientiam & autoritatem iudicabant parem esse gerendo imperio, hunc tanquam oraculum aliquod in ambiguis rebus consulebant. Et amissus est hoc tempore, cum tota Germania ciuili bello ardet, & ut ille dixit:

Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, sæuit toto Mars impius orbe.

Cumq; ad restituendam pacem, ad legum, religionisq; emendationem, huius autoritate, prudentia, et animi magnitudine maxime opus erat, nolim patriæ male ominari: at metuo tamen, ne Deus iratus terris hunc eripuerit, ne quem haberemus idoneum

publicæ pacis autorem. Multis iam prodigijs iram suam significauit Deus, nata monstra, Soles complures uisi, noctu irides conspectæ, sonitus in aëre tympanorum auditus, ut aut rerum omnium finis uideretur impendere, aut singularis Germaniæ clades. Acceßit ad hæc Friderici mors, quem unum habuimus Principem, cuius consilio publica mala sanari poterant. Et mortem tuam Friderice non deflere mus? non doleremus uicem nostram orbati, non Domino, sed patre, alienißimo tempore. Coniecit oculos patria in fratrem tuum, illius se fidei tuto quidem committi sentit, sed ipse etiam putat se sui aliquam partem perdidisse, te extincto, animi tui præsentiam & robur in asperis omnibus rebus desiderat. Hic Senatus etiam ditionis dolore mœstitiaq; exanimatus, caput publici consilij, tanquam in Imperatorem exercitus in dubia pugna requirit, tua signa, tuam uocem sequi adsuetus.

Sed nimium indulgeo dolori, quin recreo me, & colligo, quæ luctum aliqua ex parte minuant. Sunt autem à sapientibus uiris de breuitate uitæ mortalium, deq; communi nascentium conditione disputata ad assuefaciendos animos, ut communia mala æquius ferrent: Quæ nos hoc tempore non attingemus, Nam ego Friderico ipsi, quanquam & ratio et multarum rerum usus addiderat magnum quoddam

dam robur ad ferendas res duras, tamen aliam puto maiorem, efficaciorémque causam, firmo animo adeundæ mortis. Norat enim ex Christiana doctrina, mortem esse generi hominum diuinitus impositam, non modo, ut pro peccato pœnam lueremus, quod erat sanè miserum, sed, quod pijs esse pergratum solet, ut morte deponatur peccatum, & ingrediamur immortalitatis iter. Porro & ante acta uita, & illa demum animi præsentia, cum iam penè animam ageret, argumento sunt sensisse suam Deo salutem curæ esse. Nam præterquam quod religiose munijt sese Eucharistia, & Christianis precibus, sic accipio respondisse sub ipsum uitæ finem, cum consolaretur quispiam: Deus dedit, Deus abstulit, sit nomen Domini benedictum. O præclaram uocem, & testem bene sentientis animi de Deo. Nam mihi crede, quisquis ita adfectus est, ut sentiat huius lucis usuram diuinitus nobis concessam esse, deinde nos non temere occumbere, sed Dei arbitrio exuere hoc corpus, præterea non tantum deponi uitam, sed Deo iam committi: postremo etiam Dei nomen in extremo discrimine prædicat. Is procul dubio animaduertit præsto adesse Deum portum & profugium periclitanti. Nam impia mens nescit se diuinitus accepisse uitam, temere existimat se occumbere,

nihil

nihil in tanta calamitate præsidij habet. Postremo execratur etiam diuina omnia, cum deseri se sentit. Hic uero implorans opem à Deo ipso, et postulans, ut aliorum precibus iuuaretur, non semel professus est, quid speraret, ut se reiecisset totum in Christum, interim etiam uerissimo suauissimoq; præconio ornans Deum. Etenim cum quidam admoneret fauere Deum afflictis, ipse subiecit clara uoce, atq; alacri: Id uero mihi constanter de Optimo Deo meo promitto. Multa insuper precatus, condonari sibi si quem læsisset: mentio etiam facta eorum, quibus uidebatur subiratus, ut sentirent depositum odium fuisse. Multa constituit de Republica, deq; priuatis rebus, eodem uigore animi, quo in optima ualetudine fuerat, quædam ipse legit, multa dictauit, uerbis & sententijs ita collocatis, ut pristinam mentis acrimoniam agnoscere: postremo ex sententia constitutis omnibus, lenissimo genere mortis extinctus est, ut satis adpareret, & morbis corporis uires diu iam fractas fuisse, & animum satis obsequentem, facilemq; ad hunc extremum actum fabulæ suæ accessisse.

Magnus quidam uir inter Græcos scripsit, Philosophiam mortis commentationem esse, putatq; in eo summam esse sapientiam, si ad mortem obeundam bene comparatus assuefactusq; fuerit. Sed eum puta

puta recte assuefactum, qui ad Christi exemplum, Euangelij causa multa tulerit. Hic uero noster quàm uarie quassatus ac uexatus est annos iam aliquot religionis causa? Quæ mortis & exitij simulachra interea animo obuersata sunt? ut spe rem ueniisse ad extremam hanc pugnam paratissimum. Quod cum ita sit, & cum ille commode hanc calamitosam uitam deposuerit, gratulemur ei potius talem uitæ exitum, in quo tam multa signa extant, ut immortalitatem adeptus, non amisisse uitam, merito credi debeat. Et cum ipse æquo animo discesserit è uita, feramus ipsi etiam patienter uoluntatem Dei, atq; optemus potius, ut simili mortis genere, cum hinc euocabimur, defungamur.

Fœlicem existimemus Fridericum fuisse, in cuius uita tanta fuerit æquabilitas fortunæ, quiq; illam animi sui lenitatem moderationemq; ad extremum usque spiritum retinuerit. Pacem dedere superi per omnem uitam, mens contigit quæ & in gerenda Republica, quia tuta semper consilia bello præferebat, nusquam à fortuna destituta est, & in priuatis rebus si quid aduersi fuit, ut sunt humana, moderatione animi constantiaq; uicit. Hic illi uitæ cursus fuit securus, & fœlix, qualem optare sibi alij Principes merito debeant. Agamus itaq; gratias Deo, qui illi autor tantæ fœlicitatis fuit, quiq;

regionibus

regionibus nostris tam salutarem, tamq; fœlicem Principem donauit. Non debeo prohibere, ne iactu ram publicã hoc amisso factam deploretis: Verum interea postulo tamẽ in his querelis, ut officij etiam uestri recordemini, ac gratias referatis Deo pro illo cumulo beneficiorum, qui tali Principe uobis contigit, & memoriam uirtutum Principis animis uestris infigatis, cogitetisq; quid illius etiam manibus pro summo labore & magnis ærumnis, uestra causa susceptis, debeatis.

Debetis autem hoc primum, ut salutem animæ illius pijs precibus Deo commendetis, deinde ut religiose pareatis optimis Principibus, qui huius uicem subeunt, et publicæ salutis tranquillitatisq; tuendæ, turbulentißimo statu totius Europæ prouinciam suscipiunt. Hanc pro pulcherrimis meritis Friderici manes gratiam debitam reposcunt, quam nisi large præstiteritis, susciptetis non simplicem culpam. Non enim ingrati tantum aduersus beneme rentem Fridericum eritis, sed impij etiam in Deum & autorem beneficiorum, quæ illius imperio accepistis, & auspicem noui imperij. Nec erit impune in gratitudine Deum offendere. Precor autem Deum, ut Friderici animam pro sua misericordia seruet ac tueatur, deinde, ut nouum hoc imperium Fratris fortunet, & his miseris temporibus has regiones prote-

protegat, & uobis mentem det publicæ tranquillitatis amantem, ut Principes uestros, quemadmodum diuinitus præceptum, summa fide religioneq; colatis.

Dixi.

ORATIO FVNEBRIS IN MORTEM Ioannis Ducis Saxoniæ, Phil. Mel.

POstquam Principi optime de uniuersa Republica merito hoc postremum ac debitum officium persoluendum fuit, ut Reipub. parentaremus, non hoc mihi sumo, ut summam mœstitiam procerum, & ampliſsimi ordinis oratione leuem, qui acerbiſsime lugent interitum Principis, & propter gratam memoriam uirtutis & bonitatis eius, & propter Reip. pericula, quæ hoc extincto, qui semper pacis autor fuit, impendent plurima: Nulla enim oratio inueniri aut par magnitudini doloris iſtius potest, aut quæ animos à tanta mœstitia uideatur reuocatura, qua quidem ego quoq; penè exanimor. Sed quoniam ad populum oratio habetur, commonefacienda nobis est multitudo, ut memoriam uirtutis ac beneficiorum extincti

extincti Principis conseruet, eaq; in re pietatem & gratitudinem, quam Deus præcipue iubet reddere Principibus, præstet. Quæ enim ingratitudo, quæ impietas dici maior possit, quàm talis uiri interitu non adfici? cuius extant in uniuersam Remp. multa ingentia beneficia, quo amisso, quæ tempestates, quæ mutationes rerum impendeant, horret animus dicere. Itaque ut memoriam uirtutum ac meritorum eius conseruemus, quædam ex ipsius historia repetam breuiter, impedior enim dolore & lachrymis, quo minus possim multa dicere.

Nihil hic de generis nobilitate dicam, qua Saxoniæ Duces abundant: nihil de adolescentiæ studijs, quanquam hæc in isto habent eximiam laudem modestiæ atq; continentiæ, nihil dicam de reliquo uitæ cursu, tantum illud tempus attingam, quo rexit hunc Ducatum, fratre Friderico clarissimo Principe mortuo: Id enim multiplices habuit casus, in quibus perspici Ducis Ioannis pietas erga Deum, constantia, moderatio, studium pacis, & cæteræ uirtutes dignæ bono Principe possunt. Ac primum illud, quæ trophæa, quas gratulationes meretur, quod turbulentissimo tempore præstitit, ut hæ regiones essent tranquillæ & pacatæ, cum quidem perpetuo molirentur non pauci bellum aduersum nos, horum conatus profecto diuinitus repressi sunt.

Sed

Sed tamen id quoq; Principis officium est, quem Deus propitius texit. Deinde multa in his ipsis rebus ualuerunt eius authoritas, moderatio, diligentia, quæ extorserunt aliquoties arma de manibus quorundã cupidorum, nihil enim atrocius dicam. Et quàm late pateat hoc beneficium, facile iudicari potest, quia ea causa, quam tuebatur, non ad unam aliquam gentem, sed ad uniuersam Germaniam pertinet. Si quod exarsisset bellum, haud dubie futurum erat, ut inflammaretur tota Germania. Itaq; dum pacem domi retinuit, præstitit, ut plurimæ aliæ nationes tranquillæ essent. Ac uero non solum inimici eius autoritate & moderatis consilijs repressi sunt, sed socij etiam ferociores, quos continere & ad moderationem flectere, quanti fuit negocij, non potest hoc loco dici. Vidimus arma sumpta, & uictoria erat in manu, ubi tamen æquitate Ducis Saxoniæ perfectum est, ut quamlibet irati cæteri abijcerent arma, & componi sine cæde paterentur: qua in re uel præcipue enituit in eo magnitudo uere heroica, cum parceret inimicis eo tempore, quo nocere facile me poterat, & quidem talibus, à quibus uarijs iniurijs affectus erat, & à quibus deinceps plurimũ periculi esset. An non ostendit hac in re animum inuictum aduersus omnes priuatas cupiditates? Nam postquã spes ostensa est componendæ rei, non expe-

tiuit uictoriã, non gesit morem iracundiæ, sed his rebus omnibus prætulit tranquillitatem Reipub. Hæc est uirtus magno uiro, ac sapienti præcipuè digna, iracundiam uincere, et priuatis affectibus anteferre publicam utilitatem. Prædicentur in alijs res bello gestæ, hostes in acie uicti, paratæ armis prouinciæ, illa enim sunt magna, & sæpe necessaria: sed non minora sunt hæc, ratione & animi moderatione excitatos motus sedare ac mitigare, consilio prohibere, ne res ad arma deducatur. Itaq; rectè liceat usurpare illud:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Præsertim si quis etiam consideret, quantum hæc moderatio boni attulerit uniuersæ Ecclesiæ Christianæ. Quid enim futurum esset, qualis dissipatio Ecclesiarum ac religionum secutura, quæ sacerdotum in utraq; parte cædes, si bellum oriretur? & cum inter arma sileant leges, quanto magis disciplina Ecclesiastica, & religionis doctrina consilescceret, tum armis oppressa, tum fanaticis Doctoribus, quibus licentia belli locum præbitura esset.

Itaq; quidiuis semper maluit Dux Saxoniæ, quàm has religionis controuersias armis dijudicari, quod eius iudicium, quanti faciendum sit, uel ex eo existimari potest, quod in eadem uoluntate ad-

huc

huc quidem uidetis fuisse optimum Principem Carolum Cæsarem Augustum, ut alia mitiora remedia potius tentaret, quàm bellum moueret. Cum igitur Principis nostri tum fœlicitas, tum authoritas, tum etiam moderatio animi plurimum ualuerit hactenus ad retinendam pacem, quantum ei debeant omnes nationes, præcipue uero hæ regiones, non est obscurum. Quid autem dicam de eius domestica administratione, quæ tota clementiæ atq; humanitatis plena est? Homerus ait, Vlyssem uelut patrem bonum rexisse Thracenses, & Xenophon, qui quidem absolutum exemplar boni Principis in Cyro proposuit, inquit: Bonum Principem simillimum esse patris boni. Quis autem unquam ullum durius dictum, aut asperius nostri Principis notare potuit: Tantum abest, ut quicquam superbè, aut crudeliter unquam fecerit. Ac mihi uere uisus est prorsus paternum animum ergà ciues omnes habere. Animaduerti enim significationes suæ humanitatis cum in sermone, tum in alijs multis officijs. Vidi ipse quàm uere induebat aliorum affectus, si quid suis deberet, & tamen hanc lenitatem iure temperabat: Cohercere improbos uolebat. Ac si fortassis in ea re uisus est hominibus imperitis cunctantior, laus est bonitatis, quæ certe eminere debet in Principe.

Vita eius interior modestißima, nullus luxus, nullæ deliciæ uiro indignæ, nullæ libidines erant, quicquid à negocijs uacui temporis habuit, id totum contulit in lectionem sacrarum literarum, propterea quod religionis Christianæ amantißimus erat. In hoc etiam postremo tempore multa legit, & ut ex certißimis testibus cognoui, sæpe certas preces interdiu repetiuit: quæ pericula quàm patienter propter studium Euangelij tulerit, nemo ignorat. Et fauit Deus his uirtutibus, tot annis defendit eum, & uaria pericula discußit, ac sæpe eum propemodum non secus atq; Ezechiam obsidione cinctum liberauit. Nunc nostra adhuc tranquilla patria, eum ex hac uita euocauit bene præparatum ad mortem, tum alijs casibus, tum etiam morbi sæuitia. Iure igitur dolemus, orbati tali Principe, tot prædito uirtutibus, tanto pacis studio, tanta bonitate erga suos, ut non minus uere pater, quàm Princeps dici posßit. Nunc quibus in periculis, in quanto discrimine uersamur, non dicam, ne male ominari uobis uidear. Illud precor Deum Optimum Maximum, ut fœliciter conquiescat Dux Ioannes, & ut familiam tueatur, & filio uere successuro in patriam administrationem faueat, eumq; tueatur, ac defendat, inter hæc pericula, quæ impendent, & ut ipse ac

Reipu-

Reipublicæ pacem ac tranquillitatem donet, ad utilitatem Ecclesiæ, & laudem nominis Christi: Id enim agnoscimus & prædicamus, non posse Respublicas tueri, nisi Deo conseruante. Quare ab ipso opem imploramus, ad ipsum confugimus, qui quidem testatur, se auditurum esse preces afflictorum. Idem uos omnes adsidue petere à Deo debetis, ut Principem, sub cuius tutela latemus, seruet, & ut pacem & doctrinam Euangelij, & aliarum honestarum artium studia retineat.

DIXI.

DECLAMATIO SCRIPTA À VITO VUINSEMIO, IN QUA RECITATUR HISTORIA, QUOMODO GUELFUS DUX BAUARIÆ LIBERATUS SIT PERICULO, IN OBSIDIONE VUINSBERGENSI, CONIUGIS SUÆ HONESTISSIMO, & TAMEN UAFRO CONSILIO.

Vod facere solent hi, qui uel apud eos dicunt, quorum de uoluntate incerti sunt, uel causam dubiam & parum firmam agunt, uel nulla officij necessitate coacti, tantum ἐκ περιουσίας ociose ludunt, ut auditorum beneuolentiam initio dicendi sibi sollicite & accurate, ad id elaborato exordio uenentur, id ego in præsentia penitus prætermittere, et iuxta Atticas leges, ἄνευ παθῶν & προοιμίων protinus ab ipsa re incipere constitui, quod ut faciam, duplici ratione adduxor. Primum quod mihi persuadeo, uos Adolescentes, tã fauere his scholasticis exercitijs, quàm ea scitis ad publicam scholæ, ac uestram uitilitatem, non minus salutari, quàm fideli consilio instituta esse. Deinde quia eiu'modi argumentum affero, quod ipsum per se delectare auditores potest, etiam si sine Oratorio splendore recitetur. Nihil enim efficaciùs

cius est ad mouendos animos bonorum, ipsa uirtute. Commemorabo autem quoddam factum Imperatoris Chunradi Sueui, quod utinam ego tam dicendo ornare possem, quàm exemplum memorabile est & plenum humanitatis, summaq; laude dignum. Plurimum uero moribus, hæc moderationis, & clementiæ exempla conducunt, quia in eis τὸ ἠθικὸν, quod, ut suauissimum, ita in primis amabile est, præcipue lucet. Et nescio an unquam magis opus fuerit, proponi talia, quàm hoc nostro uere calamitoso, & turbulentissimo seculo, quo tanta est hominum atq; ingeniorum feritas, & uiolentia, quantam uix credi potest ullis retro temporibus fuisse. Merito uero nos magis nostra, quàm externa mouent: nam ingratitudo quædam est, tantum peregrina, & procul adscita admirari, sua ac domestica negligere. Quemadmodum enim quidam homines hoc uitio oculorum laborant, ut tantum quæ procul posita sunt, uideant, proxima uero, quæq; ante pedes sunt sita, non animaduertant: ita quidam hoc animi morbo affecti sunt, ut nihil ament, nisi peregrinum, & procul petitum: fastidiant, atq; adspernentur, quidquid uernaculum, & domi natū est. Qui uero rectius mente ualent, hi sua primum bona agnoscunt, & amplectuntur. Nam cum oraculo iubemur nos ipsos nosse, id eam opinor uim

habere, ut tum uitia, si qua in nobis hærent, tũ etiam bona nostra noscamus, illa ut corrigamus, ac uitemus, hæc ut excitemus, & augeamus, iuxta ueteris prouerbij sententiam: Spartam, quã nactus es, eam ornes. Est uero operæprecium uidere, quanta fuerit simplicitas, probitas, & humanitas maiorum nostrorũ ueterum Germanorum, quorum facta, si literis prodita, si ab historia lucem accepissent, ut quæ à Romanis & Græcis gesta sunt, cum utrisq; haud dubie essent omni genere præstantissimarum uirtutum certatura. Sed fuit illa ætas literarũ & eloquentiæ rudis, quæ nec describere commode, multo minus ornare tot insignia facta et res præclarè gestas potuit: Principes uero ipsi magis effectores magnarum rerum, quàm ostentatores esse studebant. Hinc factum est, ut multa illustrissima, & admirabilia uirtutis opera, diuturnitas temporis, & obliuio aboleuerit; quædã tamen, uelut ex incendio, aut ruina erepta, ad nostræ usq; ætatis memoriam permanarunt. Ex quibus facile adparet, quàm multa præclara, & immortali fama, atq; admiratione digna, interierint, & uel hinc æstimari potest, quantum sit in rebus humanis literarum beneficium, quibus debemus, quod aliquid, quidquid est, adhuc eorum restat, quodq; non ad unum omnia, unà cum corporibus, eodem puluere obruta, ac sepulta sunt. Nos uero ijs, quæ extant

extant, perfrui decet. Quapropter historiam quandam rei, à Chunrado Sueuo Imperatore gestæ, hoc in loco, ut potero, commemorare decreui, in qua uidere est insigne exemplum pietatis, humanitatis, ac summæ moderationis. Eam dum breuiter expono, uos benigne spero, pro uestra facilitate atq; æquanimitate auscultaturos esse. Gessit hic, quem dico, Imperator Chunradus Sueuus, cũ alia multa bella, propter legum & iustitiæ defensionem, & componendam ac stabiliendã in Imperio pacem, tum uero contra Guelfum diuturnum, uarioq; euentu bellum gessit. De cuius belli causis, non dicam in præsentia, ne mihi, dum singula persequor, accrescat oratio, quam ego, ut breuis sit, in pauca redigere studeo, sed tamen satis graues ac necessarias fuisse constat: Nam nostri homines non temere, nec leuibus de causis, bella suscipere, aut arma mouere consueuerunt. Erat autem ille Guelfus, Bauarorum Princeps, & nonnulla Sueuiæ oppida tenebat. Atq; ab ea familia Comites à Zollern, deinde originem duxisse, argumento est, catulus insigne gentilitium eius familiæ, quem & Marchiones Brandenburgenses, qui eosdem sui generis ac sanguinis authores ferunt, ut uetustæ originis monumentum in galeis gestant.

Inter hunc igitur Guelfum & Chunradum Sueum, cum per aliquot annos, uariante fortuna euen-

tum, belligeratum esset, & ancipiti sæpe Marte pugnatum, uulnera multa nunc illata, nunc uicißim accepta, tandem constitit id bellum ad oppidũ Vuinsberg. Quem in locum Guelfus omnes uires suas contulerat, eumq; communierat, ut, cum armis tutare impar esset, uallo ac mœnibus sese tutaretur. Obsessus est igitur à Chunrado, & post multas ac difficiles oppugnationes, quas sustinuit fortiter, tandem armis, & extremo humanorum malorum, fame expugnatus, coactus est irato uictori, quibuscunq; conditionibus, se et suos dedere. Ibi Imperator præcepit, ut Guelfus, cæteriq;, qui cum eo obsessi fuerant, Barones & equestris ordinis uiri uincti in custodiam traderentur, ut in eos iure belli propter rebellionem animaduerteret, oppidum à militibus diriperetur, ciues uitam ac libertatem retinerent. Tunc Guelfi, cæterorumq; nobilium uxores, antequam portæ aperirentur, petiuerunt, ut sibi saluis abire liceret, portantibus de suis rebus, quantum unaquæque posset. Quod cum à clementi uictore & optimo Principe facile impetrarent, capiunt mulieres consilium, pium ac memorabile: nam cum hostes, eas aurum & gemmas, mundumq; muliebrem, aut pecuniæ aliquid secum elaturas putarent, illæ omnibus his rebus militum prædæ relictis, maritos suos in humeros sublatos, & paruos liberos in sinu

atq;

atq; amplexu tenentes, urbe exportabant. Vidisses agmen mulierum, cuius agminis Dux erat Principis Guelfi uxor, per media hostium castra & tela incedere, gestantium dulcissima pignora sua, & lachrymis profluentibus, atq; hoc ipso facto suam pietatem testantium. Fiebat concursus ex totis castris, ad hoc mirum nouumq; spectaculum, effundebantur certatim omnes, uarijs interim sermones sereban tur, ita ut fieri solet, alijs humanam sortem, tristemq; casum miserantibus, alijs pietatem & neutiquam muliebre inceptum matronarum pleno ore prædicantibus, nonnullis & indignantibus, ac leges deditionis isto dolo uiolari frementibus: Prodierat & Imperator, militum per tota castra concursatione motus. Qui, ut ingeniosam philostorgiam mulierum uidit, subito ad hoc spectaculum ira, etiamsi non iniusta, optimi Principis resedit, amplectitur toto animo illam pietatem, miseretur afflictorum, memoria suæ quoq; conditionis, hoc est, mortalitatis, & fragilitatis humanarum rerum animo eius subit, non potest amplius irasci, non potest odisse eos diutius, quos tanta uirtute ac pietate præditos uidebat: Fœlices quidem, quibus à tali uictore uinci contigit, at multo fœlicior ipse, qui antea hostem, nunc seipsum, quod non paulo difficilius erat, multo generosiore, ac præclariore uictoria superauit.

Optabile

Optabile est, inquit Euripides, in hostem sapientem, nec stolidum incidere, cum hic superior factus tantum sæuire soleat: apud illum uerecundiæ, iustitiæ, ueniæq; locus sit. Hoc, ut in rebus aduersis, neutiquã aduersum contigit Guelfo, ab eo enim hoste uictus est, à quo illi etiam optabile erat uinci. Falisci, cum se ultro dederent Senatui Romano, non quidem armis eorum, sed iustitia & humanitate Camilli superati: Victi sumus, inquiunt, P. C. à uobis uestroq; Imperatore uictoria, cui nec Deus, nec homo quisquam inuidebit. At nunquid hæc quoq; Chunradi uictoria talis fuit, quæ haud dubie Deo summe placuit, & cui liuor ipse nihil detrahere potuit, nec eius ullam partem sibi fortuna uendicare? Et tamen non deerant ex aulicis, qui id grauiter acciperent, quiq; Imperatori sæuiendi authores essent, ut sunt Principum domus fœcundæ crudelibus consultoribus. Et sæpe fit, ut Principe nihil melius sit in aula. Circumsonabant iam aures eius impijs atq; inhumanis uocibus, iubentium eum suo iure in uictos uti, & collo mulierum detrahere maritos, amplexu matrum liberos auellere, non enim corpora illis uirorum & liberorum donata, sed quantum de ornatu aut rebus alijs quælibet auferre posset, leges pacis per fraudem uiolari. At tua, inquiunt, Imperator existimatio, & imperij dignitas ac maiestas agitur,

ne

ne his impune sit, arma contra te mouisse: quos si ita aperte tibi illudere, & incolumes hinc abire patieris, non dubium est, quin importuna hæc clementia plures ad rebellionem sit inuitatura. Magnifice hæc, nec prorsus falso iactabantur, & poterant mentem etiam per se placabilem irritare, præsertim cum callida hæc & speciosa conditionum ac iuris interpretatio crudelitati prætexeretur. Sed erat Chunrado pectus non penetrabile telo calumniæ, aures non admittentes, nec ad animum perferentes istos sermones: & quemadmodum de Latino Virgilius ait:

Ille uelut pelagi rupes immota resistit,
Vt pelagi rupes magno ueniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus undis
Mole tenet, scopuli nequicquã et spumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illisa refunditur alga.

Vtq; sagittæ à duro firmoq; scuto resiliunt, ita isti sermones in pectore uirtute roborato non hærebant, sed animus tantum in huius pietatis admiratione defixus erat, & ut oculos suauiter uirens color, aut aures dulcis concentus, ita animum generosum totum ceperat, occupauerat q; conspectus uirtutis: Ego ne igitur, inquit, tantæ uirtuti ac pietati iram meam non condonem, qui sæpe multo leuioribus causis condonauerim? plusq; apud me ualebit

offensio

offensio prior ad pernitiem horum, quàm præsens admiratio uirtutis ad salutem? Scio quàm dulce sit ulcisci inimicos, præsertim eos, quibus iuste iraſcaris, sed hoc quoq; scio præclarum & laudabile esse, illum impetũ cohibere ac refrenare. Scio decere Regem sæueritatem, sed idem non ignoro, quàm non deceat eundem sæua, & inexorabilis ira, mihi uero horum tacita pietas supplicat. Grauiter illi in me deliquerunt, commeruerunt pœnam, esto, sed Rex debet se talem præbere ciuibus, qualem sibi Deum uelit: ego autem quàm sæpe, & quàm multo grauius contra Deum pecco? cui si quoties causa est puniendi, toties & uoluntas esset, quæ illi fulmina, quæ tormenta inferorum in meas unius pœnas sufficerent? Nam quod conditiones pacis quasdam durius atque inclementius interpretari audio, quanto honestius est nos audire uocem nostrarum legum, quæ odia restringere, fauorem uero ampliare iubent? Quanto æquius conditiones pacis flectere ad laudem, non ad fraudem? quantoq; Principe dignius, magis ad clementiam quàm sæuitiam ingeniosum esse? Cum his atque alijs hoc genus sermonibus eos refutasset, qui illius crudelis sententiæ authores fuerant, iubet mulieribus nunciari, bonum animum haberent, nec à se quidquam triste metuerent, daturum se operam, ut præmium pietatis apud se positum sentirent

sentirent: imperat deinde ad se acciri uictos, & ut res etiam suas saluas retinerent, pronunciat: Deq; fœdere ac pace cum eis æquissimis conditionibus egit. Et cepit uberrimum fructum illius clementiæ suæ, neminem enim deinde fideliorem aut amantiorem sui in imperio habuit Chunradus, quàm Guelfum, & qui cum eo capti, uitam ac res suas beneficio Imperatoris retinuerant. Et dignus erat, quem omnes mortales benignissimi ac mitissimi parentis loco amarent, omniq; genere obseruantiæ ac pietatis colerent, qui iram & ius suum in uictos remisit, condonauitq; uirtuti ac pietati, quem non offensæ priores, non præsens dolor & ira, quæ clementiæ, æquitati, moderatis consilijs inimicissima est, eaq; neutiquam iniusta, non ipsa uictoria, quæ natura insolens & superba esse solet, non multiplicitter circumsonantes auribus crudeles instigantium uoces perpellere potuerunt, non speciosius ille conditionum prætextus inuitare, ut sæuiret, retinuit eum, non ut Achillem, apud Homerum Pallas, sed pietas, ad eius conspectum statim ira conquieuit cessitq; subijt in locum illius mitis ac placida animi affectio, induitq; eum ipsum habitum, quem in uictis perspexerat: tanta uis est uirtutis, ut etiam in hoste habeat ingentes stimulos admirationis & amoris. Præstitit igitur animũ plane paternũ erga hostes, iu

dicauit

dicauit pro peccato magno paululum supplicij sa-
tis esse, ostendit iram & sæueritatem in abdito, cle-
mentiam uero in promptu se habere, ad uindictam
non nisi coactum, ad clementiam sponte currere:
Et declarauit re ipsa uerum esse, quod dicitur ἑκὼν
λῶν φρένες ἐναντέσαις. Nam hoc certißimum
argumentum est bonæ mentis non esse μνησικα-
κόν, non tenacem offensarum, hæc proprie diuina
uirtus est, & qua homines, quàm proxime ad simi-
litudinem Dei accedunt: In magnis igitur & heroi-
cis animis ea præcipue lucet, sicut contra pusilli ani
mi & indomitæ iræ laxare frenos, eaq; pro duce,
non pro milite uti, & uindictæ nimis cupidi esse,
muliebre, neutiquam uirile, multo minus heroicum
est.

Pallas apud Sophoclem ostendit Vlyßi Aiacem
inimicum, in media strage pecudum, quas pro Prin
cipibus Græciæ per furorem mactauerat, discursan
tem, & duos è grege grandiores arietes, cum alte-
rum Vlyssem, alterum Agamemnonem putaret fla
gris cædentem, & interrogat ipsum, ecquam uolu-
ptatem capiat, cum inimicum suum ita in furorem
actũ, miserumq; ac calamitosum uideat. Cui Vlys-
ses respondet, sibi neutiquam lætum, sed triste ma-
gis id spectaculum uideri: Primum, quod cum com-
miseratione spectet huius uiri, & si inimicus sit, ta-
men

men tanta uirtute præditi, miserandam sortem: deinde quod suæ quoq; conditionis hoc exemplo admoneatur, & uideat, quanta sit humanarum rerum fragilitas, & quàm homines, qui uiuant, nihil aliud sint, quàm uelut inania simulachra, & leuis fumus. Laudat hunc sermonem Minerua: Et tu si hoc, inquit, animo fueris, superis charus eris, & uitam fœliciter exiges tuam. Nam Deus insolentes & uindictæ cupidos odit, mites uero, & moderate agentes, diligit. His uocibus Vlyßi clementiam modestiamq; Minerua cõmendat, quæ uirtus non ab re tantopere prædicatur, quàm enim diuina ac præclarißima est, tam rara, & id quod dicitur reuera heroica uirtus est, utpote quæ paucis, & non nisi heroibus contingit. Magna enim uis est iræ, imperiosa cupiditas uindictæ, præsertim si cum nocendi facultate coniuncta est.

Has igitur pestes, hæc monstra in nobis ipsis grassantia uincere, nonne id Herculeum est opus? Quàm impotẽter ira sua utitur Sylla, qui tot inermium, ac deditorũ ciuium millia crudeliter post uictoriam occidit, tantum sanguinis in urbe fudit, luctu ac terrore omnia compleuit? Is cum in uicino ad ædem Bellonæ sedens, senatum haberet, et miserabilis clamor accomploratio, tot millium sub gladio gementiũ exauditus consternasset Senatum, hoc agamus, inquit,

P. C. pauculi seditiosi foris meo iussu interficiũtur. Addit crudelitati mendacium, nisi forte pauci uiſi sunt Tyranno, cui quenquã bonum adhuc uiuere dolebat. Theodosius Imperator, ob unius equitis, nec omnino iniuste interfecti necem, septem hominum millia in urbe Thessalonica contrucidari iußit. Quem cum ob id factum diuus Ambrosius excommunicasset, tandem ad corpus Ecclesiæ iterum recepto, hanc pœnam imposuit, ut quotiescunq; seiratum sentiret, nullum uerbũ priusquam alphabetum Græcum ordine recensuisset, proloqueretur, futurum ratus, ut hac mora interposita, prima rabiosi affectus uiolentia nonnihil deferuesceret, & memoria admiſi per iram crudelis facinoris, per iram patrati delicti, animo subiens, ad saniorem mentem eum, & placabilitatem reuocaret. Hoc remedio usus est diuus Ambrosius ad sanandum morbum Theodosij. At Chunrado Sueuo nihil talibus ad iram frenandam remedijs opus fuit, quem naturæ suæ bonitas, & conspecta in hoste uirtus statim placauit: uicit non minus fortiter seipsum, quàm antea hostẽ uicerat, & ex illa, quàm ex hac uictoria, multo nobiliorem ac gloriosiorem triumphũ reportauit Philippus Macedo pater Alexandri Magni, cum Olynthum, quam diu magno conatu & periculo obsederat, tandem expugnasset. Potitus difficili uictoria,

ria, dicitur ludos festi ac lætitiæ causa fecisse, quorũ ludorum die cum sacrificasset, & conuiuio amicos suos ac Duces accepisset, in uinum & hilaritatem effusus, iussit unumquenq; conuiuarum aliquid à se petere, quod cuiq; commodum, & dignum esset à Rege peti: Alijs igitur aliud petentibus ac impetrantibus, prout cuiq; usus erat, solus iam restabat Satyrus Comœdus, qui propter artem, & ingenij dexteritatem, præcipua apud Regem gratia erat: Eum cum nihil adhuc petiuisset, inuitant cæteri primum, deinde ipse Philippus, ut quemadmodũ alij fecissent, ipse quoque aliquid peteret, nec donum aut beneuolentiã Regis adspernaretur. At ille: Quando à te iubeor, inquit, Rex, petam id, quod & mihi petere, & tibi largiri maxime honestum iudico. Fuit mihi uetus amicitia & hospitium cum Apollophane Pydnensi, qui cum ex insidijs interijsset, me tuentes cognati iram Regiam, filias eius paruas adhuc Olynthum, ut ibi tutior uita illis esset, transmiserunt: Hæ nunc capta urbe captiuæ tenentur, nubiles iam, atq; ea ætate existentes, quæ præcipue est opportuna iniuriæ. Has igitur à te Rex peto, ut eas mea pecunia eloccm, ne quid turpe aut indignũ nobis atq; illo parente suo, per fortunæ iniquitatem patiantur. Alij quod sibi lucro arbitrati sunt fore, id à te optarunt, & optatũ abstulerunt: ego si impetra-

uero dotem, insuper de meo addidero, hãc fidem memoriæ extincti amici, & relictis ab eo filiabus, debere me existimans. Ad hunc sermonem à toto conuiuio plausus cum approbatione excitatus est, uictusq; Philippus iussit puellas Satyro adduci, atq; in manus tradi, admiratus hominis fidem et in colenda amicitia constantiam, & insuper dotem Rege dignã adiecit. Etsi Apollophani ac toti familiæ ipsius non immerito irascebatur, is enim ex coniuratis unus fuerat, à quibus Alexander Philippi frater per insidias interfectus fuerat, condonauit tamen iram, ac ius suum in captas pietati Satyri, atq; eum deinde magis charum habuit. Digni laude uterq;, ille, quod fidem amicitiæ propria utilitate potiorẽ duxit, maluitq; cum periculo amicis, quàm tuto sibi consulere: hic quod dignam tali Principe placabilitatem, atq; clementiam erga inimici filias præstitit, nec iram apud se plus ualere, quàm uirtutis admirationem passus est.

Sed non paulo maiorem laudem meruerunt Germanicæ matronæ quàm Satyrus: Hic enim aliquid commodi amici causa proiecit, uenit in periculum, ne excideret beneuolẽtia Regis: illæ in humeris maritos, liberosq; per medios hostes extulerunt, in quibus indolem longe maiorem illo sexu, ac ueterum heroinarum similem fuisse adparet, quas non tot arma

tæ manus, tot gladij, ac circumstantia tela retinuerunt, quin unà cum suis, si quid periculi esset, subirent, & potius semel unáq; perirent, quàm solæ in orbitate ac luctu, quod reliquũ esset uitæ, exigerent. Laudantur in historijs Romanis priscæ Sabinæ, quod precibus & intercursu suo prælium inter maritos ac parentes diremerunt. At quanto iustius laudantur nostræ, quæ longe pulchriore facinore pacem confecerunt? Illustri & ad omnem posteritatis memoriã celebri facto pietatem suam erga coniuges declararunt Minyarum uxores, cũ enim uiri ex ea familia omnes, numero circiter xxx. propter affectati suspicionem regni à Spartanis publicæ custodiæ inclusi, & supplicio capitali iam destinati essent quod cum uetere instituto Lacedæmoniorũ nocturno tempore passuri essent, coniuges eorum ex nobilissimis familijs natæ, cum uelut postremum allocuturæ perituros uiros à custodibus aditum impetrassent, carcerem ingressæ, cõmutataq; cum maritis ueste, per simulationem doloris uelatis capitibus eos abire passæ sunt, sua corpora pro illorũ salute, supplicio & præsenti periculo offerentes, dignæ quidem, quæ in eam familiam Principũ nuberent, quæ uetustate, nobilitate, & uirtutis fama olim clarissima fuit. Nec minus periculoso, ac non paulo generosiore consilio suos maritos Guelfi & Germanorũ

coniuges liberarunt. Hæ enim non nocturno dolo fallentes, sed aperta & plane Germanica uirtute, media luce palam, inspectante toto exercitu, tantũ facinus tantoq; cum periculo ausæ sunt. Varias occasiones declarandæ uirtutis ac pietatis sæpe casus, & fortuna, sæpius huius miseræ uitæ multiplex uicissitudo ac necessitas offert.

Quædam suos parentes, ne fame perirent, cum alia uitæ subsidia deessent, suis uberibus lactasse dicuntur. Quemadmodũ de Cimone quodam memorant, qui uir iam magnus natu, cum capitis damnatus, atq; in custodiam, ut ibi fame necaretur, traditus esset, filia, impetrato á custodibus aditu, quotidie patrem inuisere solebat, sed non nisi prius excussa, ne quid ei quod esui esset, afferret. At illi tandem admirati senem tam diu absq; cibo uitam sustentare, cum mulierculam curiosius obseruarent, animaduerterunt eam exerta mamilla patrem lacte suo alere, perculsiq; tam mirabilis spectaculi nouitate, rem iudicibus ac Magistratibus indicant, qui tantæ pietati eum honorem habuerunt, ut patrem filiæ cõdonarent. Quem non commoueat ista omnem laudem ac prædicationem exuperans ἀνυπερβολή? At nostræ, quæ maritos & liberos per media hostium arma extulerunt, si quod tale tempus incidisset, haud dubie nullum, quod ab humana mente cogita-

cogitari potuit, amoris aut pietatis officium pro redimenda suorum salute recusassent. Nam si quis ipsam pietatem pingere uellet, quam aliam eius imaginem apud animum concipere posset aptiorem, quam si matronam, liberos & coniugem per media hostium arma, ex capta urbe efferentem pingeret: Ita Aeneam suum Virgilius confectum senio parentem ex incensa urbe in humeris exportantem fingit, cum hunc haud dubie summum pietatis gradum ei tribuere uellet. Prædicat etiam Tacitus uirtutem ac constantiam fœminarum Germanicarum, atq; ex hoc facto satis apparet, quæ fuerit grauitas, pietas, uitæq; ac morum sanctitas in hoc sexu, apud maiores nostros.

Cæterum omnem laudem exuperat incredibilis, ac plusquam heroica placabilitas, & clementia Chunradi, quem cum consiliarij, commemoratis haudquaquam uulgaribus offensis, ad sæuiendum inuitarent, respondit, non sibi placere odio & ira, sed potius pietate ac benignitate cum hostibus certare, quemadmodum apud Sophoclem Antigone humanissime ait: οὐ πρὸς τὸ συνέχθειν ἀλλὰ πρὸς τὸ συμφιλεῖν se natum esse. Ita Chunradus proposuerat sibi inimicitias mortales, amicitias uero immortales esse debere. Merito prædicatur moderatio Thrasibuli in uictoria, qui urbem Athenarum á triginta

ginta Tyrannis liberauit, quod multum de iure suo, quo sine reprehensione, ut victor uti potuisset, multum de iustissimo dolore remiserit. Sed magis etiam laudatur, quod præclaram illam ἀμνηστίαν sanxerit, qua concussum, ac labentem ciuitatis statum in pristinum habitū nonnihil restituit. Sed multo stabiliorem ἀμνηστίαν sanxit Imperator Chunradus clementia sua, & parcendo, ignoscendoq; arctius sibi animos hominum deuinxit, quàm ullis legibus, uiribus, aut ulla sæueritate potuisset. Hoc fuit firmissimum atq; immortale fœdus, quod ortum à pietate, & à clementia firmauit iustitia, adprobauit ipse Deus.

Sed hæc quoq; laus non dissimulanda est, planè digna Germano Principe, quod non passus est illa callida conditionum interpretatione, & specioso iuris prætextu sibi imponi. Ex quo facile adparet, quantopere nostri maiores ueteres Germani delectati sint simplicitate & probitate, quamq; longe abfuerint ab huius calamitosi, & tragici seculi uersuta, & perplexa sapientia: placebat illis nuda & Germana ueritas, callida, insidiosa, fucataq; omnia peius oderant, quàm mortem & infernum. Et cum uera uirtute niterentur, hoc studio habebant, ut non ui, sed clementia, non metu, sed fide, amore, ac beneuolentia ciuium stabilirent imperium, sapientia illis erat

erat omnia in meliorem partem interpretari, non calumnioſe & uafre inuertere. At hæc unica hoc tempore ingenij laus eſt, ſi quis quod ſimpliciter ac recte factum dictúmue eſt, arte contorquere, & malitioſe, uerſuteq; interpretando deprauare nouit, idq; eo indignius eſt fieri, ac prope iam pro uirtute haberi, in ea gente, quæ ſemper candoris, probitatis, ac ſimplicis ueritatis amica fuerit, eamq; laudem præ omnibus totius orbis nationibus, inde uſq;, ab antiquis temporibus obtinuerit, unde et hoc nomen ſortiti putantur Germani, quod natura ſimplices, aperti, candoris, ac libertatis amantes eſſent, nunc uero ueneno peregrinarum ac peßimarũ gentium, noſtrorum hominum ingenia inficiuntur, & Deum immortalem, quàm longe degenerant à maiorum uirtute? Quos ſi ueteres illi Germanici Heroës, Caroli, Henrici, Othones, Friderici, atq; hic ipſe, de quo nobis in præſentia ſermo eſt, Chunradus, ita moribus & ingenijs mutatos corruptoſq; uideant, quàm eos miſeraturos putemus Germaniæ ſuæ ſtatum? quam illi omni genere ornamentorum belli ac pacis decoratam munitamq; reliquerunt. Non tuti fuerunt olim Turci ab eorum armis in intimis Aſiæ ac Syriæ angulis, quos nunc in ueſtibulo Germaniæ omni genere immanitatis impune graſſari uidemus: ſed deſino commemorare publica mala horum

temporum. De laudibus Chunradi Sueui et ueterum Germanorum mihi instituta est oratio, quorum si nos integritatem ac uirtutem imitaremur, nec eam peregrinorum morum colluuione misceri corrumpiq; pateremur, haud dubie successum quoq; fœlicio rem omnibus in rebus essemus habituri, & Remp. non minus florentẽ posteris nostris tradituri, quàm à maioribus accepimus. Psylli gens Lybica soli ex omnibus mortalibus dicuntur à natura uim insitam contra uenena habere, ita ut impune in medijs serpentibus & atrocißimis uenenis habitare possint, eam uim in sanguine retinent, ac inter se propagant, nec cum alijs hominibus miscent aut communicant, sedulo tamen conferunt ad salutem hominum, ut Lucanus ait:

Nec tantum gens illa sua contenta salute,
Excubat hospitibus, contraq; nocentia monstra
Psyllus adest populis.

Cumq; puer apud illos in lucem æditus est, statim eum abreptum à matre in medio aspidum collocant. Ita τὸ γνήσιον generis & sanguinis explorantes, à quo uenena fugere uident, eũ agnoscunt & ample ctuntur pro suo. Quemadmodum & aquilæ marinæ suos fœtus contra aduersos solis radios sistere dicuntur, quiq; per diem eos recto obtutu ferunt, pro suis fouent ac nutriunt, quos uero ad lumen solis conniuere

conniuere uident, ut adulterinos & nothos in mare abijciunt. Ita Germani nostrum natiuum candorem, naturam apertam ueri rectiq; ac lucis amantem, uelut sanguini nostro genericq; tueri ac conseruare debebamus, et si quem inter nos ingenio tecto, obscuro, perplexo, ambagum ac tenebrarum amanti esse uideremus, eum ut degenerem ac nothum odisse atq; detestari.

Ita in hoc exemplo quod recensui, trium præclarissimarum uirtutum imaginem expressam uidemus, nempe, pietatis, clementiæ, & candoris. Quibus cum hic mundus nihil pulchrius aut præstantius habeat, nec homine dignius, nos quoque eas amplecti & colere decet, præsertim cum à maioribus nostris ueteribus Germanis tam sancte cultas uideamus.

Dixi.

Ad

AD NOBILEM ET GENEROsum Comitem Ioannem à Vueda &c. Epistola Philippi Melanthonis.

NOBILI ET GENEROSO COmiti, Ioanni à Vueda &c. Philippus Melanthon S. D.

MAgnam cepi uoluptatem ex oratione Petri Medmanni, cum mihi generosam indolem tuam, studia, & rectam uoluntatem prædicaret. Quid enim optabilius est, q̃ ut nobilitas Reipub. gubernaculis destinata, & bonitate naturæ excellat, & doctrina ita excolatur, ut suum munus uere intelligere & tueri possit.

Itaq; cum de studijs nobilitatis, deq; cæteris partibus Reipub. colloqueremur, existimaretq; Petrus meas literas tibi non ingratas fore, facile me ad scribendum perpulit. Erit autem humanitatis tuæ, & literas & officia nostri ordinis non aspernari. Porro semper ita sensi in heroicis familijs uim naturæ præstantiorem esse, quàm in reliqua multitudine. Nam cum ordinum distinctio diuinitus facta sit, & Deus heroicum genus cæteris hominibus præfecerit, addidit

addidit etiam motus animorum acriores, meliores, & fœliciores, ut Plato uere tradit. Quod cum ita sit, profecto dolendum est, illã uim naturæ eximiam, sæpe uel ignauia extingui, uel corrumpi malis exemplis.

Quare te adhortor, primum, ut sæpe diligenterq; consideres quod munus attribuerit Deus heroico generi, deinde ut indolem diuinitus donatam, doctrina, moribus, disciplina, liberalium artium cognitione expolire studeas. In hanc sententiam multæ extant adhortationes, & in sacris literis, & alibi à politicis uiris luculenter scriptæ, quas cum arbitrer te quotidie in manibus habere, non putaui uetendum longiore oratione.

Sed quoniam in hanc commonefactionem ingressus sum, facere non potui, quin adijcerem narratiunculam, quæ quodam poëmate extat, non illam quidem historicam, sed uenustam, & erudite confictam admonendæ adolescentiæ causa, ut cogitet & discrimina ordinum diuinitus instituta esse, & unicuiq; elaborandum esse, ut uirtute suam personam tueatur. Quod si Platonem decuit grauissimis disputationibus inserere interdum μυθολογίας, concedatur & nobis in Epistola, quæ non multum est absimilis familiari colloquio, figura aliqua uti.

Fertur autem hæc narratio: Longo interuallo

post

post conditionem Adæ & Euæ, cum primi parentes iam haberent familiam, uisum est Deo, semel prodire, ac se illis patefacere, ut in illa mundi solitudine quotidianis conflictantes ærumnis consolaretur. Fortè igitur è fenestra prospiciens Eua, uidit uenientem Deum conditorem, cum comitatu Angelorum. Et quoniam postridie festus dies futurus erat, liberos cœperat lauare, ad futuros patris sacrificio & concioni. Cum autem nondum omnes lauisset, et uereretur squalentes ac sordidos producere in conspectum Dei, iussit ut hi se in fœno & stramini-bus occultarent, quæ ad usum pecudum proxime congesta erant. Cæteris comptis mandat, ut stent ordine, expectantes Deum in atrio, cumq; fuerit ingressus, & à matre salutatus, accedant ipsi, porrigant dexteras, paululum flexo poplite, et dicta salutatione, postea taciti suo loco atq; ordine consistant. Hæc cum imperasset, ingreditur Deus in atrium. Procedit obuiam pulcherrima mater, pudorem ac pauorem uultu significans, & uenientẽ reuerenter excipit amplexu. Deus comiter eam affatur, ac iubet bono animo esse, se patrem miseris esse, & non defuturum ipsis, quibus & uitam & mentem, imaginem diuinitatis suæ impertiuisset. Postea accedunt pueri ordine, ut iussi erant, porrigunt dexteras, salutant, deinde taciti regrediuntur.

Laudat

Laudat Deus matris diligentiam, quod non modo ornasset liberos, sed etiam ad morum elegantiam assuefaceret. Sed hi gestus, inquit, elementa sunt disciplinæ, alia grauior doctrina accedere debet, ut sciant se præcipue nasci ad agnitionem Dei, ad propagandam eius noticiam, ad conseruandam promissionem uobis traditam, ad exercendam obedientiam erga Deum, iubet doceri eos de immortalitate, de pœnis impiorum æternis.

Mater respondet, sedulo hæc inculcari ipsis ab utroq; parente, & addit illachrymans: Memini miserandi lapsus nostri, & quanta benignitate nos receperis, eoq; omni contentione annitimur, ut sobo-
les nostra sit in officio, ne grauius te offendamus. Prospicimus quantæ pœnæ impendeant posteritati nostræ, si te deseruerit. Hæc igitur præcipua nostra cura est, ut te conditorem ipsis monstremus, & doceamus eos, quæ officia requiras, & quam proposueris nobis spem salutis. Sed ipse uelim eos audias, ut si quid non recte didicerunt, tua uoce emendetur. Iubet igitur stantem Abelum primo loco recitare parentum dictata, & iubet clare, ac præsenti animo pronunciare.

Puer incipit: Credo unum esse Deum, omnipotentem, sapientem, iustum, ac bonum, conditorem totius mundi, qui in hac rerum mole admiran-

dam

dam uarietatem operum proposuit, certissimum ordinem cœlestium motuum, temporum uices, leges, acuires nascentium, ut hæc omnia testarentur mundum non casu extitisse, sed ab aliqua æterna mente conditum esse. Nobis uero hominibus mentem indidit, in qua tanquam imagine lucere diuinitatis notiam uoluit: addidit & intellectum, quæ officia requirat, quæ improbet, ut ipsi obediamus: addidit & mandatum parentibus, quo ostenderent, se conditori suo libenter parere, & debere obedientiam. Quod si paruissent, sine peccato, sine morte uixisset genus humanum, & in hac uita fulsisset multo illustrior noticia Dei, arsisset in pectoribus nostris ingens amor Dei, & sine prauis cupiditatibus Deo fuissemus morigeri.

Sed odio Dei diabolus, ut deformaret opus diuinum, circumuenit nostros parentes, & obiectis falsis opinionibus, caliginem mentibus eorum offudit, ne cogitarent quantum Deo deberent, quantopere requirat Deus, ne à suo uerbo discedamus. Ita impulsus perdidit, quia uiolata lege Deum offenderunt. Quare cum omnia diuinitus condita bona essent, peccatum non à Deo, sed à diaboli & hominum uoluntate ortum est. Hinc mors secuta est, & tyrannis serpentis, qui aduersus genus humanum hostiliter grassatur, & omnibus calamitatibus homines opprimit. Sed

Sed tamen ut essent in hoc mundo cultores, & præcones Dei, noluit Deus prorsus perire genus humanum, ideo admiranda misericordia promisit semen nostræ matri, propter quod uelit placatus esse generi humano, nos exaudire & saluare, ac reddere nobis æternam uitam, lucem, sapientiam, & iusticiã. Præcipue uero immanitas odij in serpente inflammabitur aduersus hoc semen, infiget serpens dentes eius calcaneo, & crudelissimo morsu lacerabit omnes ei addictos. Sed interea caput serpentis ab hoc semine conculcabitur, uiuet enim in hoc semine diuina natura. Ideoq; mortem abolebit, & Tyrannum serpentem in horribiles cruciatus abijciet.

Credo etiam sacrificia, quæ à patre fieri uideo, signa esse sacrificij, quod pro nobis illud semen offeret, ad placandum Deum. Sic enim Deus nobis fit propicius, si credimus non propter nostra sacrificia, sed propter illud semen, nobis ignosci, nos exaudire, & saluari. Et quanquam in hac mortali uita hærebunt peccatum, mors, & cæteræ calamitates, tamen inchoatur diuinitus noua lux, & uita, in his, qui hæc credunt, qui quidem placent Deo propter illud semen, ac incipiunt ei obedire: quod ueniet etiam, ut iudicet mundum, reddat uitam perpetuam ijs, qui ipsi credent, & puniat æternis sup-

plicijs Diabolum, & omnes, qui semen promissum contemnent.

Ad hunc cultum credo præcipue uocatos esse omnes homines, ut hæc admiranda Dei opera, & beneficia prædicent, ut Dei ira & misericordia innotescant, ut Deus timeatur & glorificetur, & multi salui fiant. Nec deterreri homines ullis periculis debent, quo minus hunc cultum præstent: Erit enim semper cœtus aliquis præconum Dei, & si serpens & contemptores Dei immanem sæuitiam aduersus eos exercebunt usq; ad iudicium, in quo immortalis gloria piorum patefiet, qui & si erunt imbecilles, tamen in certaminibus suis diuinitus adiuuabuntur, ac seruabuntur. Hunc igitur Deum conditorem nostrum, qui pollicetur nobis salutem propter promissum semen, timeo, inuoco, adoro, huic me commendo, ab hoc peto, ut mihi propter semen promissum sit propicius, gubernet uerbo suo, defendat me aduersus serpentem Tyrannũ, inserat mihi suam lucem, & pios affectus, ac credo me uere propter promissum semen exaudiri, ac respici. Oro item, ut conseruet & augeat inter nos ueram noticiam iræ & misericordiæ suæ, ac promissi seminis, nec sinat obrui ueros cultus astutia serpentis, ut regat meos mores, ne ipsum offendam, & ne mea exempla cæteris noceant. Et quoniam ipse nobis

bis uitam impertit, & ut alat nos, terram facit fœcundam, rogo ut suppeditet corpori uictum, & conseruet ualetudinem, seruet etiam parentes nostros, ne desint nobis doctores & gubernatores, seruet & regat meos fratres & sorores, ut piè & fœliciter uiuant, & ornent gloriam ipsius.

Cum Abel finem dicendi feciſſet, interrogati cæteri, Seth, & sorores, recensent eadem. Deus igitur non modo studium eorum & pietatem laudat, sed etiam orationis & sententiæ συμφωνίαν & concordiam, ac hortatur eos, ut hanc sententiã constanti pectore amplectantur ac profiteantur, diligenterq; de doctrina parentes audiant, nec opinionibus adulterinis contaminari doctrinam cœlestem patiantur. Iubet & in reliqua uita parentibus morigeros esse: Testaturq; hos cultus sibi gratos esse, ac pollicetur se ipsis opitulaturum esse in omnibus periculis. Deinde matrem alloquens, parentum diligentiam comprobat. Iubet accersi cæteros liberos, maximum natu Cain, & sorores reliquas, obiurgat Euam, quod existimarit minus cerni occultatos, quàm præsentes.

Soror igitur accersit reliquos. Prodit et accedit Cain ad fratres, stat rigidus, toruitate uultus contumaciam animi & ferociam præse ferens, hærebant in crinibus stipulæ & fœni gramina, non gestu, non

uoce salutabat Deum. Interrogatus ut parentum doctrinam recitet, incipit, & mutilatam ac corruptam κατήχησιν recitat: Credo unũ esse Deum, omnipotentem, conditorem totius mundi, quem colendũ esse censeo sacrificijs, propter quæ fœcundat agros nostros: Sed an exaudiat inuocantes, an peccata remittat, ambigo: de immortalitate etiam tunc uidero, cum ex hac uita discessero. Sentio autem bonos mores colendos esse, ut uita tranquilla sit. Hæc cum ille contumaciter dixisset, obiurgat eum Deus, quod oblitus sit promißionis, quod fidei doctrinam non teneat, ac iubet redire eum in uiam, & integram pietatis doctrinam discere.

Deinde, inquit, cum uos parentes humani generis futuri sitis, uelim uos posteritati etiam prælucere doctrina, pietate, & uirtute. Non minus uos oppugnabit serpens tyrannus, quàm oppugnauit parentes uestros. Sed his, qui meam promißionem conseruabunt, opitulabitur aduersus serpentem Heros promissus. Et quoniam regi genus humanum uerbo Dei, & coherceri disciplina uolo, deligam ex uestro cœtu idoneos.

Tu igitur Abel ad me accedito, ut manus imponens capiti tuo, te consecrem, tibi meum spiritũ impertiam, ut sis sacerdos, eritq; tuum munus, doctrinam diuinitus traditã, cæteris omnibus proponere, &

& sacrificia facere diuinitus monstrata, eáq; recte interpretari. Nec defugies pericula, quæ propter hanc professionem subeunda erunt: Nam agones tui testabuntur piorum ærumnas esse cultus mihi gratissimos, & significabunt, quale sit futurum sacrificium promissi seminis.

Te uero Seth Regem cæteris præficio, sciesq; & tuum munus geminum esse: Primum, doctrinam quam frater professus est, omnibus uiribus tueberis, & impios, qui conuicia aduersus Deum dicunt, punies ac tolles, punies & cæteros, qui societatem uestram turbabunt. Vobis duobus uentura posteritas obtemperet, & hunc rusticum Cain, qui ut est inculto corpore, ita mores habet agrestes & feros, seruum esse uolo, & metu legum & pœnarum coherceri, ne aut religionem contumelia adficiat, aut conturbet societatem uestram.

Ita distributis ordinibus, Euam rursus alloquitur, eiq; curam liberorum regendorum & erudiendorum committit. Illa lachrymans testatur se consumi perpetuo dolore & cruciatu, quem adferebat horrendi lapsus recordatio: Tandem, inquit, re ipsa comperi, cœlestes minas non esse irritas, quæ mortem nobis irrogarunt. Assiduam enim mortem mecum circumfero: Quoties aspicio liberos, ac præsertim hunc rigidum filium, & prospicio uentura

mala, toto corpore perhorresco & exanimor. Veniam igitur grauissimi erratimei iterum peto, & mitigari calamitates oro. Deus adfirmat se illi ignoscere, & quanquam genus humanum exerceri calamitatibus uelit, tamen rursus admonet eam promissi seminis. Hunc Heroa inquit non defuturum esse inuocantibus ipsum, & ijs olim daturum cœlestem uitam & gloriam.

Hac consolatione cum nonnihil leuasset eius luctum, discessurus porrigit dexteram pueris, mater abeuntem comitatur: cumq; incensa studio sermonum dulcissimorum, & amore conditoris, procul iam à domo progressa esset, amplexus eam, iubet Deus ad liberos redire, & pollicetur & ipsi & marito suam opem, docet etiam hos suos comites Angelos, custodes esse familiæ, qui gerant perpetuum bellum, κὰι ἀπαρσον ὁμ cum serpente. Quare solitudinem minus moleste ferre iubet, promittit deinde futuram maiorem familiaritatem Angelis cum tota familia, ut tædium solitudinis minuant. Hæc cum dixisset, nube tectus in cœlum redijt.

Habes narrationem, quæ etiamsi non est historica, tamen res ueras & magnas adumbrat. Significat enim distinctionẽ ordinũ diuinitus factam esse, quod uerum esse ostendunt grauissima testimonia in sacris literis: uides & eos ornatos esse honoribus, qui

qui præstabant indole, doctrina, morum elegantia, studio pietatis, ut significetur, quibus rebus instructos esse oporteat uos, qui dignitate cæteris antecellitis. Sed multorũ mores nequaquam generi ac naturæ respondent, ut nonnulli uideantur ab inculto illo & fero Euæ filio propagati, non ab alijs. Nec tamen hæc est generis culpa, sed ipsi semina uirtutum accepta à maioribus non excitant doctrina & disciplina, aut obruunt etiam accersitis malis moribus, qui quàm multipliciter peccent, etiam atq; etiam generosi adolescentes considerare debent.

Primum, ut desertores lædunt Imperatorem suum, sic isti, diuinitus ad gubernationem rerum destinati, Deum contumelia adficiunt, qui cum eis, tanquam in acie, locum attribuerit, non intelligunt suum officium, neq; curam ullam adhibent, ut eas artes sibi comparent, sine quibus tueri locum nullo modo possunt. Deinde commune ius societatis humanæ uiolant, quod ei debitam operam præstare non possunt.

Si sentiunt se sua causa natos esse, ut uoluptatibus perfruantur, ut habeant omnium cupiditatũ licentiã, quid aliud, quàm Giganteum genus esse censendi sunt? Longè aliter Achilles sentiebat, qui interrogatus ab Aiace, quos sustinuisset omnium maximos ac difficillimos labores, respondit, susceptos

pro amicis. Cumq; pergeret Aiax interrogare, quos omnium iucundißimos ſuſtinuiſſet, rurſus Achilles, Eoſdem, inquit, ſignificans heroicum uirum flagrare immenſa quadam cupiditate iuuandæ Rei pub. qua incitatus res ſuſcipit aſperrimas, non ut ſuæ utilitati, ſed ut communi conſulat. Cum hoc enthuſiaſmo rapiatur, nihil ei dulcius eſt, quàm res quamlibet difficiles, tamen in cõmune utiles gerere, ut Muſico nihil dulcius eſt eruditißimis artis ſuæ exercitijs. Præclare Achilles: Et quanquam uigor ingenij non eſt ſimilis in omnibus, tamen bonos omnes, qui præfuturi ſunt cæteris, decet ſerio amare Rempub. & anniti, ut ad eam accedant, optimis artibus inſtructi.

Nam etiam acres impetus in generoſis naturis, ſi non regantur doctrina, ſæpe aberrant. Itaq; & ſi in Hercule maxima uis erat ingenij, tamen eum ad Doctores deducunt: Extat enim Theocriti carmen, qui eius magiſtros ſex recenſet.

Γεάμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Λίνος ἐξεδίδαξεν &c.

Nec adoleſcens tantum literas & Muſicam didicit, ſed ſenex etiam Atlantis doctrinam de ſyderum motibus percepit. Quali doctrina inſtitutus fuerit Achilles, ſignificat Homerus, cum ait eum laudes clarorum Principum, ludentem cithara, decantaſſe:

qua

qua ex re apparet eum & historias, & reliquam eius ætatis doctrinam & Musicam didicisse. Nec de cuisset in eius clypeo pingi cœli & elementorum seriem, & sydera, quæ disterminant Septentrionem & Meridiem, si tantum fuisset rudis & sine pectore miles. Sed fabulas omitto.

Regum omnium haud dubie ingeniosissimus Alexander, non modo primas literas, sed uniuersam Philosophiam & medendi artem percepit. Et ut bellatori nihil sit opus his togatis artibus, certe ei uiro, qui in pace gubernabit Rempub. aut ad consilia adhibendus erit, opus esse omni genere doctrinæ res ipsa loquitur. Nec enim Augustus domi leges emendare, iudicia constituere & regere poterat, nisi & ipse multiplici eruditione instructus fuisset, & ad consilia doctissimos uiros adhibuisset, Trebatium, Capitonem, Asinium, & alios plurimos.

Si cæteros Romanos aut Græcos Principes eruditos enumerare uellem, quàm longus esset futurus catalogus? Et tamen hactenus loquor de ijs Principibus, quibus uera religio ignota fuit. Nunc quanto maius onus sustinent hi, qui sedent ad gubernacula, qui non solum ciuilem disciplinam tueri debent, sed etiam gubernare religionem? Hanc enim curam præcipuam Deus omnibus, qui præstant cæteris, iniunxit, ut efficiant, ut recte doceantur homines de

Deo. Vt enim præcipua causa est, cur ad societatem homines conditi sunt, ut alij alios de Deo, & eius uoluntate docere possent, ita huius maximi ac summi operis ἀγωνοθέτας ante omnia Magistratus esse debent.

Quomodo autem possunt sine magna scientiæ copia religiones regere? An existimandum est, Constantinum, nisi ad pietatem adiunxisset magnam eruditionem potuisse controuersiam ab Ario motam uel intelligere, uel iudicare? Ille uero nequaquam erat in cœtu Episcoporum κῶφον πρόσωπον. Sed cum in disputatione Arium dextre refutauit sua oratione, collectis Apostolorum & probatorum autorum testimonijs, tum pleraſque alias Episcoporum contentiones eruditis sermonibus mira comitate diremit.

Sed obuia sunt in historijs exempla plurima, etiam quorundam nostrorum Principum, qui tametsi ex hac horridiore natione orti, tamen inter tubas, & armorum strepitum aliquid temporis etiam literis & liberali doctrinæ tribuerunt, ut essent instructiores cum ad pleraſq; alias uitæ partes, tum uero maxime ad pietatis cognitionem, & religionis gubernationem. Quoties enim incidunt in Rep. tempora, quæ requirunt & bonos & eruditos Principes? An non hoc tempore in his publicis

diſsidijs bonorum & eruditorum cognitio deſide-
ratur? Ariſtoteles definit Magiſtratum his uerbis: ὁ
ἄρχων φύλαξ ὄν τοῦ νόμου. Breuis eſt, ſed uera
et apta deſcriptio, ac prorſus oraculi ſimilis, ſi quis
euoluat ea, quæ complectitur. Finge enim ob oculos
ſtantem Magiſtratum, cui Deus tradat utranq; De-
calogi tabulam, eumq; iubeat eſſe cuſtodem harum
legum, quantas illi res commendari exiſtimabis? Re
ligionis & ciuilis diſciplinæ cuſtodiam ac defenſio-
nem ſuſcipit: Quomodo autem cuſtodiet, hoc eſt, re-
get, conſeruabit, propugnabit, ſi non mediocriter
intelliget? Quid quod ne amare quidem poteſt quiſ-
quam illud quod ignorat, ut uere dicitur: Ignoti nul
la cupido. Itaq; indoctis tradere magnarum rerum
gubernationem, quid aliud eſt, quàm legum tabu-
las trunco aut parieti affigere? Nec iam de tyrannis
loquor, qui petulanter has tabulas abijciunt, colli-
dunt, & frangunt, tantum de indoctis loquor, & ſi
inſcitia quoq; ſæua tyrannis eſt. Sed iam de bonis &
mediocribus ingenijs loquor: hæc expolienda eſſe
doctrina cenſeo.

Nunc in hac morum corruptione ſatis eſſe pu-
tant aulici, ſi ad negocia adferant quandam ingenij
dexteritatem, aut calliditatem, quæ fortaſſe ſuffice-
ret, ſi nihil differrent ij, qui rerum maximarum
conſilia regunt, à ſeruis in Comœdijs. At aliæ artes

requi-

requiruntur in curia. Deinde etiam si qui literas attingunt, tamen fastidiunt religionis doctrinam. Et ut quondam erat opinio, Philosophiam imperaturis officere, ita nunc nobilitas studia religionis relegenda esse censet ad Monachos, ad infirmam plebeculam. Hic error quantum Ecclesiæ ac uniuersæ hominum uitæ noceat, ostendunt multa Reipub. uulnera. Si Magistratus est legum custos, ut recte dictum est, primum ei diuinæ leges custodiendæ sunt, de quibus incidunt inter homines grauissimæ controuersiæ. Harum arbiter sine locupletiore eruditione nemo esse potest, ut de Musicis erratis nemo surdus iudicare potest.

Memini audire à quodam hospite, Regem Hispanicum Alfonsum usitato more Principum, suo quodam symbolo delectatum esse: passim enim pinxit pelecanum, fodientem rostro pectus, & elicientem sanguinem, ad pullos pascendos. Huic picturæ addidit epigramma: PRO LEGE ET PRO GREGE. significans Principem omnia pericula adire debere, & religionis ornandæ causa, & pro populi defensione. Sapienter uidit Alfonsus præcipuum munus esse superiorum ordinum, religionis studium, conseruationem et propagationem. Cumq; omnes homines ad hoc opus diuinitus uocentur, ut suo quisque loco conferat aliquid studij ad illustran-

dam

dam Dei gloriam, non existiment superiores ordines, hoc officium nihil ad se pertinere.

Quare quod amas & colis Christianæ pietatis doctrinam, & quod adhibes pios & eruditos interpretes, magnopere hunc tuum animum, & tibi & Reipublicæ gratulor, teq; adhortor, ne te ab hoc curriculo ineptis iudicijs indoctorum depelli sinas. Non alius Deo cultus gratior est, quàm & cognoscere doctrinam ab ipso traditam, & aliquid conferre operæ ad eam illustrandam. Ac remuneratur hoc officium Deus cumulate, sicut inquit: Glorificantes me, glorificabo. Erit fœlicior cursus tuus in omni uita, in rerum administratione, si ueræ pietatis doctrinam & amabis, & ornare contendes.

Adiunges autem & alia studia, ut facis, quæ & ipsa seruiunt religioni, & ad uarias partes in uita conducunt. Audio te grauissimum scriptorem Thucydiden in manibus habere, qui multis de rebus admonere lectorem potest, de uarietate ingeniorum & uoluntatum in Principibus, qualis exitus fuerit uiolentorum ciuium, qualia consilia, qualis exitus bonorum, ex quibus causis oriantur ciuitatum conuersiones. Recte Plutarchus: Vt Musicus organa sua nosse debet, ita ei uiro, qui in Republica uersatur, diligentia adhibenda est, ut sensus Principum ac populi calleat, quam ad rem

descriptio

descriptio personarum in historijs non parum conducit. Obseruabis igitur in Thucydide summorum uirorum naturas, sed dissimiles, Themistoclis, Periclis, Cleonis, Alcibiadis, Niciæ, Brasidæ, Theramenis: Deinde quàm uariæ unius ciuitatis Atticæ conuersiones secutæ sint, postquam temere motum est bellum inter Græcas ciuitates: Quoties temere fœdera rupta sint, uel cupiditate paucorum, uel propter inanes potentum suspiciones: deinde alia multa.

Sed cum Thucydides ipse in uestibulo commemoret, quæ sint ex historijs utilitates petendæ, hortatur, ut omnium temporum historiam discamus. Tibi uero præcipue cognoscenda est sacra historia, & legendæ res huius Germanici imperij, quæ te multa admonebunt de Ecclesiæ mutationibus, quæ scire homines nobiles plurimum refert. Existimabis igitur tibi cum ad priuatam uitam, tum ad publica negocia magna adminicula parata esse, si et religionis doctrina, & hac historiarum & humanitatis cognitione fueris instructus. Sed quarum artium atq; autorum cognitio expetenda sit, quem ad usum comparandæ singulæ, quæ metæ singulis præscribendæ, ne confusio corrumpat iudicium, si intempestiue miscentur sacra prophanis, nihil adscribere opus est: Habes enim monitorem assiduum, & prudentia & fide

fide egregia præditum, Medmanum, quem non dubito tibi dextre & artium præcepta tradere, et monstrare usum in uita.

Etsi autem is quoq; sedulo moneat, quæ causæ discendi auiditatem in uestro ordine excusitare debeant, & qua doctrina uobis maxime opus sit, tamen quoniam me prædicatione indolis atq; humanitatis tuæ sic accenderat, ut aliquid ad te literarũ dare cuperem, hoc argumento potißimum usus sum, ut intelligeres cum iudicio Medmani etiam aliorum congruere sententias. Postremo etiam publica studia tibi commendo: Magnam enim uitæ humanæ partem regunt literæ, continent religionis doctrinam, leges, omnia officia humanitatis, deniq; multa uitæ præsidia. Quam ob causam sapientes moderatores ciuitatum semper iudicarunt hanc curam ad se pertinere, ut studia literarum excitarent & adiuuarent, quæ in tanta ingeniorum humanorum infirmitate, inconstantia, addo etiam peruersitate, uarijs modis periclitari solent.

Superiori ætate barbaries cum cæteras disciplinas corruperat, tum uero fontes doctrinæ Christianæ indigne contaminauerat. Naturaliter autem ita fit, ut in quolibet genere recta & simplici doctrina amissa, succedat Sophistica, & infinita opinionum confusio. Inde magnæ tenebræ bonis artibus inuectæ

sunt.

sunt. Secuta est ætas recentior, quæ repurgare arbores cœpit, & reuocare hominum studia ad fontes. Ac principia satis læta fuerunt, & magnam lucem, cum cæteris disciplinis, tum etiam religionis doctrinæ attulerunt. Sed hæc meliora studia subito ingenti perculsa ruina, langueſcere cœperunt, quia cecidere in odia potentum. Cum autem uita hominum & Eccleſia nequaquam carere literis possint, omni ope annitendum est tibi & tui similibus, ut hac parte opem feratis literis & Eccleſiæ.

Quælibet ætas habet sua incommoda, quibus mederi maxime debent ij, quorum præcipua est auctoritas, ac uerissimum est, quod ait Vergilius, similem esse uitam hominum nauigationi contra fluminis cursum, ubi si leuiter cessauerint remiges, impetus fluminis nauim retro trahit. Meministi enim uersus:

Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri:
Non aliter, quàm qui aduerso flumine lembum
Remigijs subigit, si brachia fortè remisit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amni.

Sed uestri muneris est, non remittere laborem, ac omnibus uiribus repugnare infirmitati, & prouehere res bonas inter ingentes difficultates: Hoc uere heroicum est. Quare quantum poteris dabis operam

ram, ut non deleantur, sed conseruentur bonæ artes. Mihi crede, præclarè de tota Ecclesia merebuntur Principes, qui suam authoritatem ad conseruationem rectorum studiorum conferent.

Nec ulli triumphi plus habent uerę laudis. Bene uale XXIII.

Martij, Anno

M. D. XXXIX.

EPISTOLA PHILIPPI Melanthonis de Conuentu Augustano.

PHILIPPVS MELANthon Ioanni Silberbornero S. D.

Iteras tuas, in quibus prædicas mihi Gallorum studia, magna cum uoluptate legi, gratulor autẽ non minus ipsis literis, quàm Gallis, quod in his miseris tumultibus Italiæ et Germaniæ alicubi tranquillum portum, & quasi certũ domicilium nactæ sunt. Quod autem petis à me, ut aliquid de Conuentu Augustensi ad te scribã, quanquam minimę delectat me illarum rerũ recordatio:

tamen ne tibi optimo uiro parum officiosus uidear, mos geretur uoluntati tuæ. Et quemadmodum Poë ta inquit: A Ioue principium, ita nos à Cæsare exordiemur: Nihil enim in hoc Conuentu cognoui memorabilius, quàm ipsius historiã Cæsaris. Magnam haud dubie admirationem apud uos habet eius perpetua fœlicitas, sed hoc longe admirabilius atq; honestius est, quod in tantis successibus & rebus omnibus ad uoluntatẽ fluentibus, moderationem animi tantam retinet, ut nullum eius dictum aut factum paulo insolentius notari possit. Quem mihi regum aut imperatorũ ex Annalibus proferes, quem secundæ res non inundauerint? In hoc uno non potuit indulgentia fortunæ animũ à suo statu deijcere. Nulla in eo cupiditas, nulla significatio superbiæ, aut sæuitiæ animaduerti potest. Nam ut alia omittã in hac ipsa causa religionis, in qua contra nos ab aduersarijs miris artibus incenditur, tamen hactenus nostros ciuiliter audiuit. Interior uero eius uita plena est honestißimorũ exemplorum continentiæ, temperantiæ, & frugalitatis. Disciplina domestica quæ olim apud Principes Germaniæ sæuerißima fuit, nunc tantũ retinetur in familia Cæsaris. Itaq; nemo improbus in familiaritatem eius insinuare se potest. Amicis utitur tantum Principibus uiris, quos ipse iudico propter uirtutem delegit. Et quemadmodũ fertur

fertur Alexander Imperator unicè delectatus esse cõsuetudine Vlpiani Iurisconsulti, ita accipio familiarissimum Cæsari nostro fuisse Mercurinũ Cancellarium quoad uixit. Hunc prædicant uirum optimum & sapientissimũ, planèq; Vlpianum alterum fuisse. Hac ex re coniecturam facere potes de uolũtate & moribus Cæsaris, ὅτι τοιοῦτος ὄζιν ἕκαστος, ὁίωπερ ἄρλετῆ ξύνωμν. Itaq; quoties aspexi Cæsarem, uisus sum mihi aliquem ex illis laudatissimis heroibus ac semideis, quos quondam inter homines uersatos esse credimus, uidere. Ac multo uerius in hunc competere iudicaui, quod de Augusto scripsit Horatius, quàm ad illum ipsum quantumuis bonum & laudatum Principem:

Hoc nihil maius meliusúe terris
Fata donauere, bonique diui
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priscum.

Hæc habui de Cæsare, quæ & mihi iucunda erant recordanti, & tibi arbitrabar uoluptati futura. Quem enim non delectaret hic concentus pulcherrimũ uirtutum, præsertim in tanto Principe? Reliqua historia conuentus longam habet Tragœdiã: Nos obtulimus Confessionem fidei, moderatissime scriptam, ut appareret, nos non abhorrere à consiliis pacis. Hoc unum petiimus, ne sæuiretur in Ec-

clesias nostras propter id doctrinæ genus, quod ibi proposueramus, cum quidem res loquatur ipsa, nos nullum dogma defendere contra Euangeliũ, aut Catholicam Ecclesiam, imò multis locis doctrinæ Christianæ, qui antea prophanis opinionibus iacuerant oppressi, lumen attulisse, uidelicet, de iusticia fidei, de pœnitentia, de usu Sacramentorũ, de autoritate traditionum humanarum. Quod si hoc ab aduersarijs impetraremus, ostendebamus nos prolixe illis concessuros esse omnia, quæ ad dignitatẽ Episcoporum stabiliendam pertinent. Neq; enim id egimus unquam, ut politia Ecclesiastica dissolueretur, modo ut Euangelium non damnarent Pontifices. Ostendimus etiam nos in ritibus Ecclesiasticis omnes, qui uiderentur ἀδιάφοροι, cõmuniter cum ipsis seruaturos esse. Nullum detrectauimus onus, quod sine scelere suscipi posset. Verum ne his quidem, quamlibet æquis conditionibus placare aduersarios potuimus, qui prorsus suo more agebant, postulabant, ut confessionem nostram abijceremus. Id nos facere recusauimus.

Gregorius Nazianzenus scribit nullũ se uidisse conuentum Episcoporum, qui non magis accenderit discordias, quàm derimerit. Sic enim inquit: ἔχω μὲν ὅτως, εἰδ' εἶτ' ἀληθὲς γράφειν, ὥστε πάντα συλλογομ φεύγειν τὴν ἐπισκόπων, ὅτι

ὅτι μηδ' ἐμοῖς συνόδου τέλος εἴδου χρυσόν, μηδὲ λύσιν κακῶν μᾶλλον ἐγκυίας ἢ προσθήκην: ἅς γὰρ φιλονεικίας καὶ φιλαρχίας λόγος κρίνειν ἐστὶν &c. Quod si hoc accidit illis melioribus temporibus, quid nunc expectandum sit iudicari facile potest, cum ut cætera paria sint, certè φιλαρχίαι longe uehementiores sunt.

Video futurum, ut hæc mala uiolentis remedijs magis etiam exulcerentur. Nec obscurum est, per quales Sycophantas incitentur Principes & Episcopi. Ipse coràm audiui quorundam aduersariorum eruditissimos sermones.

Multa hoc anno prodigia nunciata sunt: Nam mulam Romæ peperisse accepimus, & exundatio Tybris nuper mirum in modum deformauit urbem Romam, et in agro Augustano uitulus biceps natus est, quæ haud dubie mutationẽ Reipu. portendunt. Verum hæc importunitas aduersariorum certius credi prodigium debet, quàm ulla alia portenta, ἢ δὲ κακὴ βουλὴ βουλεύσαντι κακίστη &c.

De nobis extabunt testimonia ad omnem posteritatem, nos pie & religiosè sensisse, & studium collocasse, in illustranda doctrina Ecclesiæ Catholicæ, & amplificanda gloria Christi. Hic cultus est uere λογικὴ λατρεία, quæ maxime placet Deo, uerbum Dei pure tractare ac docere.

Quod si iniustis armis oppressi fuerimus, tamen præstabimus, ut literæ nostræ depingant posteritati aduersarios nostros, qui cũ prætextu nominis Christi contra nos incitant Principes, non constituunt Ecclesias, non curant Euangelium doceri, & Christi gloriam illustrari. Et in his sunt quidam belli homines palam Epicurei, ἄθεοι, qui secure irridentomnes religiones. Tales ferunt nobis de religione leges: Sed reprimo me.

Quoties autẽ memoria repeto ueteres motus Rerumpu. & Ecclesiæ, & exitus colligo, reperio plerosq; fœliciter natione sedatos esse, et æquitate Principum. Ac uix unq̃ uiolenta consilia profuisse animaduerto. Cum Athenis infinitum bellũ inter ciues futurũ esset, propter mutuas iniurias et proscriptiones ἀμνηστία sancita est, quæ minime utilis erat principib. ac uictoribus, sed ad publicã tranquillitatẽ proderat. Longum esset Romana exẽpla recitare

In Ecclesia uero sæpe compertum est, quàm sit inutile controuersias armis dijudicare, de quibus docendæ & sanandæ erant conscientiæ. Itaq; optandum est, ut Cæsaris fœlicitas in hac re etiam saluti sit orbi terrarum, qui quidem hactenus tanta moderatione usus est, ut in magnam spem nos erexerit, talia remedia publicis dissidijs adhibiturũ esse, quæ non lædant pias conscientias, aut in posterum pariant

riant nouos tumultus. Non satis considerant magnitudinem causæ & Ecclesiæ periculum, qui autores sunt, ut Ecclesiæ nostræ dissipentur armis, & trucidentur sacerdotes. Episcopos præstare conuenit, ut propagetur ad posteros pura Euangelij doctrina, hoc præcipue postulatur ab isto ordine.

Non potest autem fieri, quin inter tumultum armorum conticescat Euangelium. Et illi qui iubent arma sumere, non hoc agunt, ut postea constituant Ecclesias: Quando enim ista officia curauerunt Romani Pontifices? Ita accidet, ut penitus extinguatur religio, ubi defuerint Ecclesijs idonei Doctores Euangelij.

Possem alia multa recensere, nisi dolore impedirer, qui me penè exanimat, uersantem in harum rerum cogitatione: et quidem semper sunt ob oculos. In hanc sententiam multa disputaui cum bonis quibusdam uiris Augustæ, exponens, quæ mihi uiderentur impendere, si nihil remitterent aduersarij, uidelicet horribilis confusio dogmatum, & infinitæ Ecclesiarum dissipatio. Commemorabamus etiam his postremis temporibus singulari prudentia opus esse, de quibus prædixit Christus, plus fore periculi quàm antea. Sed res est ὧν γοῦναι θεοῦ: quare orabimus Deum, ut propter gloriam nominis Christi, mitia remedia ostendat his, qui præsunt, & ne

patiatur interire puram Euangelij doctrinam. Neq; enim hoc negari potest, nos in discrimen uocari hanc unam ob causam, quod sentimus Deum placari, non nostris obseruationibus, sed propter Christum.

Huius gloriam cupimus illustrare & amplificare, ut rectè intelligant Ecclesiæ, quæ beneficia Deus per Christum nobis donauerit. Neq; ignoramus quàm ridicule uideantur hæ disputationes de religione, & de Euangelio Epicureis illis, qui Principes concitant aduersus nos. Sed faxit Deus, ne nos Euangelij pudeat.

Hæc tibi prolixius scripsi, libenter enim quasi in sinum tuum depono has meas curas. Tu quod facis, pergas illa studia colere, in quæ ingressus es quadã cum expectatione tuorum, quæ ad dignitatem tuam augendam, & ad Rempub. regendam conducunt. Nihil enim opus est pluribus uerbis hortari sponte currentem. Illud tamen oro, ut quantum poteris, adiungas illi doctrinæ alias etiam literas, quarum cognitio homine ingenuo digna est, & non minus necessaria Reipub. quám illæ artes, quæ celebriores habent titulos. Fratrem tuum meis uerbis amanter salutã. Vale.

Epistola

EPISTOLA PHILIPPI MELANthonis ad Venetos quosdam Euangelij studiosos.

VM anno superiore Braccietus mecum, & de studijs optimarum artium, & de religione pleraq; disputaret, facile perspexi, eum non modo singulari eruditione, sed etiam prudentia & grauitate eximia præditum esse: Itaq; magno studio eum complexus sum. Delectabar cum ipsius ingenij uenustate, quam in carminibus suauissimis scriptis exprimit, tum uero sermonibus ipsius multiplicem doctrinam redolentibus. Sed nescio quod fatum mihi diuturnam eius consuetudinem inuidit. Scitis enim anno superiore domestico quodam negocio in patriam statim reuocatum fuisse, in quo prædicat se à uobis amanter & summa fide adiutũ fuisse. Postquam autem nunc recurrit ad nos, & tot Alpium iuga, ac Hercinios saltus, in ipsa brumæ sæuitia emensus est, non obscurum specimen ostendit præcipue erga me beneuolentiæ, & in nostra amicitia constantiæ. Quare reditus eius mihi iucundissimus fuit, ac magnopere optabam me diutius eius consuetudine frui posse. Fuit autem mihi periucundum, quod grauissimorum quorundam

uirorum iudicia æquiora commemorauit, de emendatione Ecclesiasticorum abusuum, quæ à nobis profecto non iniusta aliqua cupiditate, aut studio contendendi instituta est. Sed initio quidam boni uiri prouocati, impudentissimorum quorundam clamoribus, de uenijs Pontificijs, coacti sunt officij ratione, purius docere Ecclesias. Hinc exarsit discordia, quam paulatim incendit aduersariorum saeuitia. Tanta autem diligentia causa à nobis acta est, ut semper uim, ac tumultus populares prohibuerimus, ortos etiam propter aduersariorum rabiem oppresserimus. Præterea in doctrina præstitimus debitam fidem, ut abusibus correctis, extaret pura ac Catholica Ecclesiæ Christi doctrina. Scimus semper in mundo dissimilima fuisse iudicia de religione, & diabolum, cum sit hostis Christi, in hoc præcipue intentum fuisse ab initio, ut sereret impias opiniones, ac obrueret gloriam Christi: Ac incitat diabolus curiosa & praua ingenia, ut corrumpant aut conuellant uera dogmata. Hæc pericula Ecclesiæ cum intelligeremus, magna cura adhibita est, ne extra metas, ut ita dicam, proueheremur. Etsi igitur taxamus recens natas falsas opiniones, tamen ueram Ecclesiam defendimus, nec discedimus ab Apostolicis scriptis, nec à symbolis, Apostolico, Niceno et Athanasiano, nec quidem à ueteri consensu Ecclesiæ Catholicæ

tholicæ, deniq; illud Tertulliani sequimur, ut rectum esse quodcunq; primum fuit statuamus, posterius uero adulterinũ. Si quis autem adeo securo est animo, ut nihil uitij in Ecclesia hærere putet, nec ambitione, auaritia, superstitione, deniq; non diaboli fraudibus uetera instituta mutata aut depraua-ta esse uideat, is persimilis est ijs, quibus in magnis doloribus mens ægrota non sentit uim morbi. Quis autem ex sanioribus, non ante hanc ætatem deplorauit Liturgiæ abusum, quæ ad sacrilegum quæstum conferri solet? Diuorum cultus quantulum abest ab ethnicis opinionibus & ritibus? Iure queritur Gerson recens autor, ita occupatos esse hominum animos, cura humanarum traditionum, ut diuina præcepta negligantur. Idem ante hunc deplorauit Augustinus, & tamen post ætatem Augustini, quantus accessit cumulus traditionum? Nec uero ignoramus semper eam esse generis humani infirmitatẽ, ut nulla ætas sit futura sine uitijs, & meminimus præceptum politicum multorum literis ac monumentis celebratum, quod docet publicæ tranquillitati & concordiæ, quædam incommoda condonanda esse, ac uetat, ut Græci loquuntur, malum bene positũ moueri. Sed tamen eius præcepti modus etiam aliquis sit, necesse est, præsertim in Ecclesia, in qua Deus ueritatem ac doctrinæ puritatẽ conseruari præcipit, sicut

inquit

inquit Paulus: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Quanquam igitur quædam morum uitia toleranda sunt, tamen doctrinæ errata, quæ tenebras offundunt Euangelio, quæ idolatriam pariunt, reprehendi necesse est. Primum igitur à nostris repurgata est doctrina de pœnitentia, reiectæ humanæ satisfactiones, quas sic uocant, ut beneficium Christi clarius conspici posset, ac extaret doctrina de ea fide, qua remissio peccatorum accipienda est. Patefecimus & discrimen legis & promissionum, quæ sunt Euangelij propriæ: hæ res maximæ iacebant obrutæ densissima caligine, in tanta mole traditionum ac labyrinthorum, qui extant in scriptoribus, qui commentarios ædiderunt in Petrum Longobardum. Deinde emendata est Liturgia, & mos uetus restitutus in Ecclesijs. Nihil temere, nihil nostro consilio mutatum est, sed secuti sumus non modo Apostolorum scripta, sed etiam ueteris Ecclesiæ ac purioris iudicia & exempla. Reieci mus & diuorum inuocationem, ornauimus ueris encomijs munera politica, ac œconomica, & ostendimus esse cultus Dei præcipuos, cum antea longe anteferrentur nugacissimæ traditiones. Admonuimus quid de indifferentibus ritibus sentiendum sit, & quatenus retineri possint. Deniq; summa nostræ sententiæ extat in quodam meo scripto, cui titulus

est,

est, Loci communes, in quo satis apparet nos tueri ueterem consensum purioris & Catholicæ Ecclesiæ, ac reuocare studia ad ueterem puritatem. Etsi autem profani homines partim deridet has nostras disputationes, partim tanquam seditiosas execrantur, tamen nobis ratio nostri consilij constat, ac norunt pij ac prudentes, hæc certamina in Ecclesia necessaria esse, uidentq; diu iam opus fuisse quorundam abusuum emendatione. Meministis historiam apud Herodotum: Cum Astyages Harpago filium edendum proposuisset, interrogassetq; miserum parentem, quo animo filij necem ferret, respondisse Harpagus narratur: Mihi uero placet, quicquid Rex facit. Talis seruitus nequaquam in Ecclesia constituenda est, ut propter tranquillitatem omnia errata illorum qui præsunt, comprobare cogamur, maximeq; eruditis tuenda est in dicenda sententia, seu in docendo, libertas. Cumq; unica sit urbs uestra in toto orbe terrarum, in qua uera est aristocratia tot seculis conseruata, quæ semper inimica fuit tyrannidi, maxime decet in eo loco esse libera bonorum iudicia, & improbare iniustam sæuitiam, quæ alibi in Ecclesiam exercetur. Quare uos quantum possum adhortor, ut ad gloriam Dei ornandam, studia atq; autoritatem ueſtram conferatis: hic cultus Deo gratissimus est.

Intellexi

Intellexi autem isthic circumferri Serueti libellum, qui renouauit errorem Samosateni initio Ecclesiæ damnatum, & labefecit sententiam de duabus naturis in Christo, negat in Ioanne uerbum significare hypostasin, seu personam, ut nunc uocant, cum ait Ioannes: In principio erat uerbum, & postea: Et uerbum caro factum est. Etsi autem extat meum iudicium de hac controuersia, ac nominatim in locis damnaui Serueti sententiam, tamen nunc quoq; uos admonendos atq; obtestandos esse duxi, ut hortatores atq; autores sitis, ut fugiant, abijciant, execrentur impium Serueti errorem. Scio absurdum uideri, quod interpretatur Ecclesia, uerbum esse personam seu hypostasin: sed in his cœlestibus dictis, non quid concinnum rationi humanæ uideatur, spectandum est, sed quid certo doceant ac affirment testimonia diuinitus proposita in Apostolicis scripturis, quæ Seruetus astute eludit, sed calumniæ præcipue remouendæ sunt à sacris dogmatibus. Nos, ut decet pios, primum consideremus, quid senserit certo prima Ecclesia: Nam Seruetus iniuriam insignem facit Ireneo et Tertulliano, quos fingit sibi patrocinari, cum Tertullianus diserte instituat quæstionem, an uerbum sit hypostasis, aut significet patrem cogitantẽ, aut deliberantem, seu constituentem aliquid. Sæpe autem affirmat uerbum esse hypostasin

sin seu personam, & allegat prioris Ecclesiæ auto-
ritatem. Ireneus citat Polycarpum auditorem Ioan
nis, estq; autor in primis purus, is clare affirmat uer
bum esse hypostasin seu personam, etiam antequam
inquit humanam naturam. Extat & Gregorij Neo
cæsariensis confessio, cuius Gregorij autoritate præ
cipue refutatus est Samosatenus: extant multa alia
testimonia Origenis, Dionysij Alexandrini, qui fe-
rè attigit Apostolorum tempora. Basilius ait sibi
Gregorij Neocæsariensis confessionem tanquã nor-
mam & regulam doctrinæ Ecclesiasticæ fuisse. Inuo
cat Ecclesia Christum in quotidianis precibus, neq;
hic mos nouus est, sed etiam à Paulo usurpatus, ut
Epistolæ eius testantur, & habet testimonia in Psal-
mis, qui iubent inuocare Dominum illum promis-
sum. Tribuit autem inuocatio diuinitatis hono-
rem, cum agnoscimus eum, quem inuocamus, om-
nium pectorum motus uidere, quod non est nisi im-
mensæ potentiæ ac Dei. Tollit igitur re ipsa Serue-
tus inuocationem, etiamsi in specie retinet. Primum
igitur testimonium primæ Ecclesiæ opponamus, à
qua commonefacti, confirmemus etiam animos di-
ctis Apostolicis, quæ satis perspicua sunt, si non de-
prauentur cauillationibus. Si uerbum in loco illo Io
annis nihil significaret, nisi patrem cogitantẽ, non
recte postea diceretur: Et uerbum caro factum est.

Deinde

Deinde Ioannes de Christo inquit: In mundo erat, & mundus per eum factus est. Constat autem mundum non esse per humanam Christi naturam conditum, ergo necesse est, alteram in Christo naturam esse, quæ fuerit initio, per quam mundus conditus est. Sic & Paulus ad Colossenses clare inquit: Omnia per Christum condita esse, eamq; sententiam aliquoties repetit. Et Epistola ad Hebræos inquit: Per quem condidit secula, qui est fulgur gloriæ, & character substantiæ eius. Quid in his uerbis est ambigui, si simpliciter & sine cauillatione accipiantur? Affirmant conditum esse mundum per filium Dei. Necesse est igitur in Christo esse alteram naturam, quam Ioannes uocat uerbum. Epistola ad Hebræos imaginem seu effigiem patris appellat. Hæc apte inter se congruunt: Nam uerbum est imago. Hæc etsi extra captum humanæ rationis posita sunt, tamen non propterea cauillationibus eludenda sunt, imò quo secretiora sunt, eo maior est audacia & impietas, conuellere non intellecta. His & similibus testimonijs certis ac firmis assentiamur, cum aperte hoc efficiant, quod docet Ecclesia de filio Dei. Adiuuemur etiam consensu ueteri primæ Ecclesiæ, ac cogitemus de Dei natura & uoluntate non humanis ratiocinationibus, sed cœlestibus testimonijs credendum esse. In hac caligine mentium humanarum, præ

lucere

lucere nobis uerbum Dei debet. Belligeratur autem Diabolus cum uera Ecclesia, & gloriam Dei obscurare conatur, quibus potest artificijs. Has insidias intelligere pios conuenit, ac stare in procinctu ad tantum hostem depellendum, cum offundere opiniones contra uerbum Dei, cum auellere animos ab illa regula conatur. Sed hæc militia paucis nota est: Ideo omnibus ætatibus ab initio mundi, passim sparsi & propagati errores sunt omnis generis, ac labi facile est. Cum enim omnium hominum mentes natura ducantur, ut aliquid de religione quærant, & tamen negligenter tueantur uerbum Dei, ac libentius assentiantur humanis speculationibus, facile excutitur hominibus uerbum Dei. Quare & in hac controuersia, & in cæteris cauendum est, ne assentiamur cauillationibus confictis ad eludendum ueram scripturæ sententiam. Hæc scripsi uerbosius quàm modus Epistolæ patiatur, sed multo angustius, quàm magnitudo causæ postulat. Verum iudicij mei testimonium uobis significare uolui, nec grauatim de tota controuersia, si quis petet, copiosius disputabo. In Locis collegi præcipua testimonia ad hanc causam pertinentia, quibus confirmatæ mentes facile possunt contrarias cauillationes refutare. Porro ut quondam Lex Castrensis notabat ignominia, non eum, qui gladium, sed qui clipeum

abiecerat, quia prior esse cura nostri tuendi debet, quám hostes feriendi: Ita in his contentionibus prior esse cura debet, nostras mentes rectè confirmandi, posterior refutandi aduersarij.

Ex Lypsia.

M. D. XXXIX.

EPISTOLA PHILIPPI Melanthonis, ad Ioannem Oecolampadium, de Cœna Domini.

DOCTISSIMO VIRO D. Ioanni Oecolampadio, suo amico, Philippus Melanthon.

Aliquot accepi tuas Epistolas, quæ quoniam extant in eis multæ non obscuræ significationes ueteris tuæ erga me beneuolentiæ, & uoluntatis in amicitia constantißimæ, uldegratæ mihi fuerunt: Nam meus animus idem est erga te, qui fuit semper. Ego autem admiratione doctrinæ & uirtutum tuarum incensus, semper & amaui

mauite plurimum, & singulari quadam pietate colui. Atq; utinam ea essent tempora, ut frui hac nostra amicitia posemus. Sed incidit horribilis dissensio de Cœna Domini, quæ ueterem consuetudinem officiorum, quibus inter nos certare solebamus impediuit, beneuolentiam uero erga te meam non labefecit. Itaq; si quid in me desideras officij, tempora magis quàm fidem meã accusare te uelim. Quod ad causam quam agis attinet, ualde doleo ea de re dissensionem exortam esse, quæ à Christo ad glutinandam charitatem instituta est. Scis autem me hactenus magis extitisse spectatorem huius fabulæ, quàm actorem. Et multas graues habui causas, cur non admiscuerim me tam odioso certamini. Interea nulla alia cura ullius rei animum meum magis exercuit, quàm huius negocij. Et non modo cogitaui ipse, quid in utranq; partẽ dici posit, sed inquisiui etiam ueterum ea de re sententias: Ego enim nolim alicuius noui dogmatis in Ecclesia uel autor, uel defensor existere. Cum omnia quæ in utraq; parte firmissima uidentur, expendi, dicam pace tua, non tamen eo in sententiam tuam: Nullam enim firmam rationem inuenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate uerborum satisfaciat. Nihil autem ad hũc diem de hoc negocio scripsi, quia uidebam futurum quicquid scriberem, ut me allegari à Luthero tan-

quam domesticum testem, iniqui iudices dicerent. Nihil autoritatis in nostra sententia futurum erat, quia in alterius gratiam scripta uideretur. Sed spero te melius de meis moribus sentire:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Qualiscunq; enim sum, certe nunquam amaui Epicureos istos, cuiusmodi multi sunt hoc tempore, qui religionem irridēt, & quibus uoluptati est, de maximis rebus homines fallere. Semper, ut scis, studiosus fui doctrinæ Christianæ: fuitq; ob eam causam mihi curæ, ut eam diligenter cognoscerem: nec sine paruo negocio, dum quæro quid sequi tuto possim, extricaui me ex Scholasticis disputationibus, partim etiam ex amicorum meorum disputationibus, cuius rei nonnulla extant testimonia. Quod si gratiam aucuparer, non ignoro, quàm multos & magnos eruditos uiros habeat uestra factio, horum amicitiam non contemnerem. Itaq; si mihi uestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer. Vos absentis Christi corpus, tanquam in tragœdia representari contenditis: ego de Christo uideo extare promißiones: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi, & similes, ubi nihil est o-

pus

pus diuellere ab humanitate diuinitatem, proinde sentio hoc Sacramentum ueræ præsentiæ testimoniũ esse. Quod cum ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνίαν esse. Cum proprietas uerborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deseramus. Et hæc sententia de præsentia corporis, conuenit cum alijs scripturis, quæ de uera præsentia Christi, apud nos loquuntur: nam illa est indigna Christianis opinio, quod Christus ita quandam cœli partem occuparit, ut in ea, tanquam incluſus carceri, sedeat. Tu colligis absurda multa, quæ sequantur hanc sententiam. Colligis etiam quasdam ueterũ sententias, quæ pro te uidentur facere. Sed absurda minus offendent eum, qui meminerit de rebus cœlestibus ex uerbo Dei, non ex Geometria faciendum esse iudicium, quiq; tentatus didicerit nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere posßit, cum à uerbo Dei discesserit.

In ijs locis, qui citantur ex ueteribus, agnosco quandam esse dißimilitudinem, sed tamen ex his, si quis prudenter eliget grauißimorum autorum dicta, inueniet pleraq;, quæ ostendunt hanc, quam nos sequimur, ueteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam, tametsi tu quidem homo diserus, quosdam locos nimis callide interpre-

taris, & ad tuam causam detorques. Veteres cum de resurrectione disputant, allegant cœnam, nec inepte, meo quidem iudicio: significauit enim Christus Apostolis se resurrecturum esse, quia sui corporis κοινωνίαν instituit. Necesse enim erat, ut ueueret corpus, quod nobis impartiendũ erat. Quod si ueteres sensissent absens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? quia etiam si non resurrexisset Christus, tamen absens corpus, & consumptum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur. Sed non instituui nunc disputationem, tantum hæc scripsi, ut meam erga te beneuolentiam perpetuam cognosceres, neq; tamen uolui, quid sentiam, dissimulare. Teq; rogo, ut consideres, quantam rem, quamq; periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti ueritatem: atq; hæc multo magis periclitatur in his tam uiolentis concertationibus. Quare satius esset hac de re aliquot bonos uiros in colloquium unà uenire. Video quæ semina harum disputationum sparsa sint in ueterum libris, sunt & in quibusdam nuper natis ante hunc tumultum. Video causam uestram præsidijs ingeniorum niti, & uos habere studia theatri, non tantum manifesta, sed occulta etiam, quæ haud scio, an efficacius uobis suffragẽtur, quàm manifesta. Satis nota est mihi tua modestia, quare non

non arbitrabar opus esse, ut te admonerem, ut cogitares homines ingeniosos & prudentes, interdum labi posse, & in negocijs spiritualibus in primis periculosa est ingenij fiducia. Scis scriptum esse: Abominatio apud Deum est, quicquid est sublime in mundo. Et multo plures sunt, quàm putentur, qui tantum ea amplectuntur in religione, quæ ingenijs eruere, ac comprehendere potuerunt. Postremo te rogo, ut hanc meam Epistolam, optimo atq; amicissimo scriptam animo, boni consulas. Vale. Spiræ,

Anno

M. D. XXIX.

ORATIO OLYNTHIAca Prima Demosthenis, Philippo Melanthone interprete.

On dubium est, quin magno emptu ri sitis rationem, qua perspicuum fieri possit, quid in hoc negocio, de quo deliberatis, Reipub. conducat. Quando igitur hæc cura tantopere uos sollicitos habet, cupide audire eos debetis, qui consilium uobis pollicentur. Neq; enim tantum facultas fuerit, cognoscere, si quid meditati attulerimus, quod in rem uestram sit: sed facit urbis fœlicitas, ut multa utiliter in re præsenti dicturis in mentem ueniant. Proinde facile fuerit deligere, atq; ex uarijs multorum sententijs excerpere, quod maxime prosit. Porro hoc tempore tantum non res ipsa loquitur, oportere uos hanc causam suscipere, si quam modo salutis uestræ rationem habetis. Verum in tantis rebus gerendis non satis strenue aduigilamus. Ego quidem sic censeo: Auxilium decerni debere, & comparari copias primo quoq; tempore, ut dubijs rebus medeamini, ne rursus desimus ipsi nobis, quēadmodum antea sæpe. Mittendi etiam legati, qui pollice-

polliceantur auxilium, & coram Olynthios confirment, ne Philippus (est enim ueterator minime uulgaris, et uti foro nouit) technis suis hos à nobis alienet, ac circumueniat: alicubi per occasionem cedendo, alicubi minitando: neue absentiam uestram calumnietur, & fidem uestram in suspicionem adducat, ut & conuellat omnia, & rei summam ad se retrahat. Quin etiam hoc spectandum est, quod uestris commodis id nunc maxime opportunum est, quod alias in primis obesse solet. Nam quod penes unum Philippum summa consiliorum publicorum & arcanorum est, quodq; apud exercitum unus omnia tenet ac moderatur, & quaquà te ueteris ab uno pendent omnia, ad bellum gerendum, & ad urgendas belli temporibus occasiones, magnum hoc momentum habet. Verum hic obstat, cupienti cum Olynthijs in gratiam redire. Aegre enim Olynthij uni se committunt, sentiunt enim se non de gloria, neq; de finibus dimicare: sed periclitari urbis libertatem ac salutẽ, & exemplis Amphipolitarum & Pydnæorum cõmouentur, quorũ neutris deditio fœliciter cessit, & in summa, sentiunt id, quod res est, infidos urbibus tyrannos esse, præsertim uicinis. Hæc cum satis comperta uobis sint, Cives: cumq; plaraq; alia, quæ deceant, per uos cogitare posßitis, censeo debere uos tandem expergefieri, & ac-

cendi, & ad bellum (si unquam aliàs) nunc maxime gerendum, animum adijcere: pecunias liberaliter conferre, ciuium delectus agere, neq; usq; cessare. Neque enim reliqua est ulla ratio, quæ cessantibus patrocinetur. Nunc enim ultro accidit, id quod uulgo optabatis, ut Philippo bellum Olynthij facerent: & res ita susceptа est, quemadmodum maxime uobis conducebat: nam si à uobis impulsi, bellum susciperent, parum firmos socios, & ad periculum usque fidos futuros fuisse suspicarer. Verum cum ipsi per sese oderint, priuata contumelia irritati, consentaneum est fore, ut exerceant cum eo firmam inimicitiam, cum & indignissimè tractati sint, & certum exitium sibi impendere sentiant, si ille uicerit. Quare non patiamur talem occasionem diuinitus oblatam, elabi: nec committamus, ut fraudi nobis sit contatio, quemadmodum sæpe antea. Si enim cum Amphipolitarum legati, Hierax & Stratocles ex hoc loco uos adhortabantur, ut missa classe eorum ciuitatem tueremini, perinde salutis nostræ rationem habuissemus, atq; Euboensium habuimus, quos paulo ante auxilio iuueramus, & Amphipolin tum retinuissetis, & eadem opera acerbissimam calamitatem, quæ postea secuta est, præuortissetis. Item cum Pydna, Potidæa, Methone, Pagasæ, & pleræq;

pleræque aliæ urbes (longum est enim singulas recensere) obsidione premerentur: si tum opem tulissemus alicui ex ijs, quas principio Philippus oppugnauit, uteremur eo placidiore aliquanto, & minus ferociente. At cum subinde præsentem opportunitatem rei bene gerendæ amittimus, & futura putamus dormientibus nobis sua sponte bene casura esse, Philippi opes auximus, efficimusq; tantum, quantus nemo Macedoniæ rex unquam fuit. Nunc uero nouam occasionem sua sponte offerunt Olynthij, nihilo superioribus deteriorem, per quam corrigere liceat, quicquid antea peccatum est. Et mihi quidem uidetur, si quis recte ratiocinetur, ac reputet ea, quæ huic urbi diuinitus acciderunt, tametsi pristinum statum non teneat, tamen hunc merito dijs gratiam esse habiturum. Nam quod nonnihil detrimenti cepit Respublica, ignauiæ nostræ iure adscripserimus. At id serius accidit, quodq; auxilia offeruntur, quibus iacturam illam uirium nostrarum, quam tot acceptis hactenus cladibus fecimus, sarciamus, modo uti libeat, diuinum beneficium interpretor. Verum haud scio, an aptissime huc quadret, id quod in re pecuniaria euenit. Nam ita demum fortunæ gratias agunt, ubi partam pecuniam seruare contigit.

At

At si incautis forte perijt, ne sentiunt quidem de se bene meritam esse fortunam, cum pecuniam donauit. Idem solemus in rebus multo grauissimis. Nam qui occasione non utuntur, non agnoscunt beneficium Deorum, qui occasionem obtulere. Ab exitu enim plerunque & causæ euentuum æstimantur. Proinde quæ restant, diligenter uobis, accurateq; agenda sunt, ut restituamus urbis pristinum statum, & publicam infamiam purgemus. Sin autem & hos prodiderimus, occuparitq; Olynthũ Philippus dicat aliquis mihi, quis arcebit hunc porrò, quo minus irrumpat, quo libitum fuerit? Expendite quæso apud uos, quomodo cum primũ, modicæ Philippi opes essent, sensim creuerint, primum Amphipolin cepit, aliquanto post Pydnam, deinde Potidæam, item Methonem: postea & Thessaliæ bellum intulit, cepit Pheras, Pagasas, & Magnesiam. atq; his omnibus ex sententia cõfectis, in Thraciam perrexit: ubi regna alijs ademit, alijs tradidit. Ibi uero accepto malo, cum rursum conualuisset, non recepit se in ocium, sed continuo Olynthios inuasit. Omitto expeditiones in Illyrios, Pæonas, aduersus Arymban, et quæcunq; tandem reliqua sunt. Quorsum hæc? dicat aliquis, ut cognoscatis, Ciues, utrunque: & perniciosam subinde fuisse cessationem nostram, & quanta sedulitate gerat omnia Philippus: qui

qui cum hactenus haud ferè præsente fortuna contentus fuerit, nunquam acquiescere poterit. Quod si subinde hic maius aliquod animo facinus concipit, uosq; nusquam occurritis, cogitate quæso, quis exitus illi tantarum rerum futurus sit. Deum immortalem, quis est adeò stupidus, qui non oculis iam præuideat, inde impetum in nos facturum esse, nisi cauerimus? Atq; si id acciderit, uehementer metuo, ne sicut ij, qui cum ingens æs alienum fecere, paulum modo nummati uidentur, postea fœnore ingrauescente fortunis omnibus exuuntur: ita & nobis uoluptas, qua modo perfruimur, magno constet. Verum dicat aliquis fortasse, facile & cuiuis in promptu esse superiora reprehendere: docere uero quid in præsentia faciundum sit, id modò consultoris munus esse. Non ignoro equidem, sæpe uos succensere, non ijs qui culpam commeruerunt, sed oratoribus, sicubi non succesßit res ex sententia, neq; tamen officio meo deero, priuati periculi metu: aut dißimulabo, quid conducere uobis existimem. Censeo itaque periclitanti reipub. dupliciter succurrendum esse: primum iuuandi sunt Olynthij, mißis illo copijs: deinde populanda est & Philippi ditio alia classe, alioq; exercitu. Quod si alterutrum omiseritis, periculum est, ne frustra bellum suscipiamus. Nam si tantum in fines incursionem feceritis, feret id tanti-

sper,

sper, dum Olynthum ceperit, postea facile recurret sua propugnaturus. Sin autem Olynthũ duntaxat exercitus missus fuerit, ubi ille domi omnia in tuto esse uiderit, urgebit obsidionem, & instabit, donec pertæsos belli moram Olynthios expugnet. Quare dupliciter tentanda res est. Atque hæc quidem sententia mea est de iuuandis Olynthijs. De belli impensis uero, ciues, sic statuo plus pecuniæ publice in stipendium uobis superesse, quàm ulli usquam urbi, sed hac priuatim, ut libet, utimini: quam si militibus adsignaueritis, abunde fuerit stipendij. Quod si à uobis impetrari non poterit, ne suppetet quidem undecunq; pecunia, nedum collatione opus fuerit. Legem autem fortasse ferre uideor, ut theatralis pecunia in stipendium uertatur. Atqui id ego non fero, tantum hoc censeo, copias esse contrahendas, & omnibus rebus necessarijs iuuandas, in quem usum undecunq; acceperimus pecuniam, eam stipendiariam esse duco. Et cum quid agendum sit constituitis, simul unde sumptus tantarum rerum petendus sit, constitui debet. Porrò cum publicam pecuniam in ferias insumatis, pro qua uicissim operæ nihil facitis: reliquum est, ut oporteat uiritim conferre, multum, si sit opus: parum, si res patietur. Nam omnino pecunia opus est, neq; quicquam sine ea recte geri potest. Verum indicabunt alias alij paran-

dæ pecu-

dæ pecuniæ rationes: è quibus eam deligite, quæ maxime uidetur è Rep. fore: modo maturetis bellum, dum est bene gerendæ rei opportunitas. Neq; uero alienum est, expendere etiam, quo in statu Philippi res sint. Neq; enim usq; adeò florent, ut uideri fortasse illi possunt, qui non est propius contemplatus. Non enim hoc bellum suscepit aut fiducia uirium, aut quod arbitraretur futurum, ut maiore negotio gerendum esset: sed spectauit fore, ut initio cætera responderent. Fefellit opinio: id adeò uehementer perturbat atq; angit eius animum, quod hoc inceptum frustra fuit. Sollicitat et Thessalorum perfidia: qui cum omnibus gentibus, tum huic infidi sunt, idq; hoc tempore in primis. Decretum enim de reposcendis Pagasis factum est, & Magnesiam munire uetuerunt. Quin & ego accipio, uectigali pecunia priuatum esse à Thessalis: quod satius ducant, ea pecunia suas ciuitates tueri, quàm in Philippum effundere: quasi carendum fuerit, peregrinum militem alere non poterit. Iam & Pœonas, & Illyrios, & reliquos Barbaros quid dubitemus se in libertatem uindicaturos esse? Quanto enim seruitute præstat libertas? et illi non adsueuere imperium ferre, præsertim hominis tam superbi, ut ferunt: idq; consentaneũ est. Nam secundæ res incautos, quibus præter meritum contingere, sæpe dementant atq; euertunt. Nec raro acci-

accidit, ut difficilius sit tueri partas opes, quàm parare. Proinde, quo iste minus paratus est, eò magis opportunum uobis esse ducite: & mature comparate omnia, propere legatos mittite, ciuium delectus agite, instigate ad bellum, si quos potestis: & rè putate, quàm uigilanter omnia facturus sit Philippus, si aduersum uos talis contigisset occasio, aut bellum suæ ditioni illatum esset. Non pudet ignauiæ, dum ei parcitis, qui uobis exitium machinatur, modo ut possit? Restat hoc etiam considerandum uobis, quod modò integrum est deliberare: utrum satius sit, uos in eius ditione bellum gerere, an illum in uestra. Si enim illius impetum sustinuerint Olynthij, in eius ditionem excurretis, eamq; populabimini, commeatus inde & ex uestris finibus abunde suppetet. Quod si in Thracia uicerit Philippus, quis arcebit quo minus huc irrumpat? Thebani ne? Hi uero (ne sit acerbum audire) unà in nos impetum facient. At Phocenses? qui nisi uos opem feratis, ne se quidem tueri possint. At non uolet fortasse? Immo ridiculum est, arbitrari facturum non esse, ubi possit: cum modò stultus id minari non dubitet. Quantum autem interfit, in uestris finibus, an illic castra sint, in propatulo est. Si enim ex uestris agris exercitus uester uel unum mensem alendus esset, plus damni acciperetis, etiam si hostile nihil fieret,

ret, quàm sumptuum facitis in toto præterea belli adparatu. Id uero si acciderit, quanta in agris uastitas fiet? Huc accedet contumelia & dedecus, quæ cordati in maximis damnis numerant. Hæc omnia quæso diligenter expendite, ut auxilium decernatis, & bellum hinc arceatis. Id opulentiores adhortor, ut modico sumptu reliquas opes, ut frui tuto liceat, redimant. Incumbant & Iuuenes, ut in alieno solo ad bellum adsuefacti, patriæ, dum incolumis est, fidi custodes fiant. Dent & Rhetores operam, ne periclitentur, cum gestæ Reipub. rationem reddent. Nam ferè iuxta consiliorum euentus de eis iudicare soletis. Opto autem, ut ab omni parte Superi inceptum fortunent.

ORATIO DEMOSTHE nis Olynthiaca Secunda, Philippo Melanchthone interprete.

VM in alijs multis rebus perſpicere poteſt, ſingularem eſſe deorum benevolentiam erga hanc urbem, tum uero in hoc negotio maxime. Hæc enim prorſus Dei beneficio accidiſſe apparet, ut Philippo bellum uicini inferant, quique uires non contemnendas habent. Denique quod præcipuum eſt, ut magno conſenſu pacis conditiones primum infidas, deinde exitiales patriæ, ſi reciperentur, fore ſtatuant. Iam igitur nobis prouidendum erit, ne noſtræ utilitatis rationem minus habere uideamur, quàm fortuna, quæ nos ſuo beneficio prouocat. Turpiſſimum enim eſt, non ſolum oppida & loca, quæ tenuimus proijcere, ſed etiam auxilia atque occaſiones à fortuna oblatas. Neque uero prodeſſe mihi uidetur, ad uos exhortandos atque incitandos, commemoratio illa, quàm ſint exiguæ Philippi uires. Nam tota illa oratio iſti glorioſa eſt, nobis dedecori. Quo enim ille maiora geſſit, quàm pro uiribus, eò exiſtimandus eſt formidabilior: Vobis autem turpe eſt, cũ & potentia præſtaretis, & occaſio eſſet

esset bene gerendæ rei, neq; intentos, neq; pares illi fuisse. Hæc igitur omittã, ne uos obiurgare uidear: Nam si quis uerè rem æstimabit, comperiet Philippum nostra ignauia creuisse, non suis uiribus: ac debere gratiam eius rei proditoribus, qui hic in publicis consilijs utilitati Philippi seruierunt: de quibus uos supplicium sumere oportuit. Sed nunc non est locus de his dicendi. Cæterum præter hæc, illa dicenda esse duxi, quæ uobis utilissimũ est audire, & quæ continent maxima istius probra. Si quis autem eum perfidum et periurum uocet, sine commemoratione rerum gestarum ipsius, uidebitur tantum inania conuicia in eum dicere. Verum si quis omnes eius res gestas recensebit, ibi deprehendet & comperiet, quibus artificijs singula adeptus sit, et q̃ sint eius res infirmæ. Itaq; propter duas causas hanc cõmemorationem prodesse iudico, & ut conspici possit eum improbum ac perfidiosum esse: & ut illi qui metuunt eum tanquã inuictum, uideant eũ omnia illa artificia consumpsisse, quibus initio decepit alios, & potentiam auxit, & ad metam ac finem iam peruenisse. Ego quoq;, Ciues, ualde formidandum esse Philippum censerem, si uiderẽ eum uirtute & iustitia tantam potentiã consecutũ esse. Sed cum has res consydero, animaduerto eum initio egregie nobis imposuisse, nihil prospicientibus: nosq; in suam so-

cietatem traxisse, cum Olynthios nollemus audire: eò quod ille pollicebatur, se nobis Amphipolin traditurum esse, & arcanũ illud quod ferebatur de Potidæa restituenda perfecturum esse. Deinde Olynthios auersos à nostra societate sibi adiunxit hoc beneficio, quod Potidæam nobis ereptam tradidit eis: nec ueritus est nos, cum eius socij essemus, iniuria afficere. Thessalos autem sibi conciliauit, pollicitus se Magnesiam eis traditurum esse, & ipsorum causa moturũ bellum aduersus Phocenses. Ita omnes quibus aliquid cum eo negocij fuit, arte fefellit. Et hoc modo auxit potentiam, dum errore in fraudem inductos alios in suas partes trahit. Vt igitur horum societate creuit, cum singuli aliquod ipsius beneficium expectarent: ita ijdem euertent eum, postquã uiderint se ab eo delusos esse. In hoc articulo sunt iam res Philippi. Aut prodeat aliquis, et mihi seu uobis potius, ostendat falsa esse hæc, quæ cõmemoro: aut illos, qui ab eo decepti sunt, in posterum ei fidem habere: aut Thessalos redactos in seruitutem, non expetere rursus libertatem. Ac si quis hæc ita se habere intelligit, uerum existimat, Philippum iam ui imperium suum retinere posse, quia oppida, & portus occupatos præsidijs habet, non recte iudicat. Tunc enim manere socij in fide, & unà labores, & pericula adire solent, cum mutua eos beneuolentia coniungit

iungit, & pariter expedit omnibus commune periculum depellere. Cum autem unus aliquis fraude, & scelere potentiam consecutus est, prima occasio & leue erratum omnia retro agit ac dissoluit. Nam potentia iniurijs, perfidia & mendacijs parta, non potest esse diuturna: sed durat aliquantisper, ac fieri potest, ut ualde etiam floreat: propterea quia multi spe inuitantur, sed paulo post deprehensa perfidia sua sponte dilabitur.

Vt enim ædium, aut nauigij, aut alterius ædificij fundamenta firmissima esse oportet, ita negociorum causæ debent esse iustæ & ueræ. At Philippi res longe aliter se habent. Quare censeo, Olynthijs auxilia mittenda esse: ac sententiam probaturus sum, quisquis dicet quomodo & optime instructa, & quàm primũ mitti possint. Censeo & ad Thessalos mittendam esse legationem, quæ eos & de apparatu nostro certiores reddat, & ad belli societatem hortetur. Decreuerunt enim Pagasas repetere, & de Magnesia cũ Philippo expostulare. Sed uidete, ne tantum uerba legati uestri perferant, sed ut possint etiam res ostendere, quod iam eduxeritis exercitus, quod bellum moueritis, quemadmodũ Repub. uestra dignum est. Nam oratio sine factis est inanis, præsertim de nostra ciuitate. Quo enim paratiores erimus, & citius bellum inferimus, eò facilius impel

lemus alios, ut ab eo deficiant. Nam si quem uobis adiungere uultis, necesse est, ut magnã mutationem apud uos conspiciat, ac uideat uos cupide conferre tributa, educere copias, deniq; omnia prompte obire. Hæc si perficietis, quemadmodũ conuenit, non solum sociorum uoluntates erga Philippum labascẽt, sed etiam domesticas uires intelligetis languidiores, & infidas esse. Nam Macedonici exercitus, tantum ualent appendicis uice, sicut olim Timotheo duce nobiscum aduersus Olynthios ualuerunt. Deinde Olynthijs cõiuncti, aduersus Potidæam rem bene gesserunt. Quodq; nunc Thessalos subegerunt, ita accidit, quia ipsi inter se dissentiẽtes Thessali, adiuuerũt eos contra tyrannos. Semper autem quamlibet parua accessio, multũ adfert momenti. Ipsæ uero Macedonum res per sese infirmæ sunt, & plenæ difficultatum: quas auxit etiam Philippus his ipsis bellis, & expeditionibus, quibus potẽtior factus uidetur. Non enim eædem res iuuant Philippum & subditos. Nam ipse gloriam concupiscit, & hanc assequi summa contentione animi conatur: Ideo nullos labores, nullum periculum detrectat, ut maiores suos magnitudine rerum gestarum superet. Hanc gloriam magis expetit, quàm ut secure uiuat: Sed populus non uenit in societatem huius gloriæ: at interim uexati assidua militia, dolore afficiũtur, & perpetuarum=

erumnas sustinent, cum non concedatur eis spacium res suas curandi, aut fruendi suo, nec ea quæ lucrantur quoquo modo bene collocare possunt: quia emporia propter bellum clausa sunt. Inde facile æstimari potest, quomodo populus in Macedonia erga Philippum affectus sit. Sed milites & pedites quos habet, existimantur egregia uirtute præditi, & exercitati in re militari. Verum ego ex quodam graui uiro, cui regio illa nota est, audiui, milites illos non esse præstantiores cæteris. Nam si qui excellunt uirtute ac scientia rei militaris, hos per ambitionē à se remouet Philippus, dum uult uideri omnia suo consilio & sua uirtute gerere. Nam præter cætera uitia, dicitur intolerabili superbia atq; arrogantia præditus esse. Si quis autē modestus est, aut alioquī probus, cui displicent quotidianæ eius helluationes, ebrietates, & saltationes: hunc dicebat negligi, & in nulla gratia apud eum esse, sed familiares ei esse latrones & assentatores, & tales qui solent ebrij saltare, et talia facere quæ nominari non possunt. Hæc uera esse constat. Nequissimi enim homines, quos hinc expulistis, ut Calliam seruum publicū, & similes alios mimos et scriptores obscœnorū carminum amat, & in familiaritatē admittit. Etsi autem hæc uidentur leuia et exigua, tamen prudentibus grauissima signa sunt perditæ mentis, et impendētis exitij.

Hactenus prosperi successus hæc uitia texerunt. Nam secundæ res talia dedecora obscurant: sed si quid ei aduersi accidit, tunc deprehensa plurimum ei nocebunt. Erumpent autem breui, si dij uolent, & uos non cessabitis. Vt enim in corporibus, si quod membrum male affectum est, non adfert dolorem, si alioqui recte ualemus: sed ubi morbus aliquis accesſit, cientur etiam illæ ægræ partes, uidelicet, fracta aut luxata membra. Ita donec Tyranni aut ciuitates foris rem fœliciter gerunt, domestica uitia latent: Sed cum in suis regionibus bellum gerendum est, interiora mala omnia se proferunt. Si quis autem fœlicitatem Philippi considerans, propter hanc formidabilem esse iudicat, prudenter cogitat. Nam fortuna multum adfert momenti in omnibus, imò in eius potestate sunt omnia. Hoc quanquã ita se habet, tamen si mihi sit alterutra fortuna optanda, non dubitem præferre nostræ urbis fortunam, modo nos ei non deesse uelimus, sed paulum modo anniti, & facere ea, quæ conuenit. Plures enim occasiones rei bene gerendæ nobis se offerunt, quàm Philippo: quæ sunt significationes beneuolentiæ Deorum erga nos. Sed ut uideo, sedemus otiosi, nihil conamur. Ridiculum autem fuerit, si ipse nihil agat, amicis imperare ut probe obeant ea, quæ sibi facienda erant: tantum abest, ut dijs multa manda-

mandare poßimus, ſi ipſi non connitamur. Nihil igitur mirum eſt, Philippum uincere, qui eſt aßiduo in armis, & militiæ laborem perfert, & adeſt ipſe omnibus rebus gerendis, & in omnes occaſiones intentus eſt? uobis interim cunctantibus, & decreta facientibus, & rogantibus ſententias. Quare nihil miror, Philippum ſuperiorem eſſe: imò contrarium mirarer, ſi nos in tanta ignauia ſuperiores eſſemus illo, qui ſumma induſtria & acerrima contentione animi facit omnia, quæ in bello requiruntur. Deinde hoc miror, adeò uos dißimiles eſſe maiorum ueſtrorum, qui pro libertate Græcorum Lacedæmonijs bellum intulerunt: & quum multæ eſſent occaſiones augendæ potentiæ huius urbis per fraudem, tamen id facere noluerunt: ſed alienæ libertatis cauſa ſuo ſumptu bella geſſerunt, & primi pericula adierunt. Nunc autem, cum ueſtræ res in diſcrimine ſunt, militare & conferre ſtipendium ceſſatis. Cumq; alios interdum uniuerſos, interdum ſingulos ſeruaueritis, amißis ueſtris rebus ſedetis ocioſi. Inſuper et hoc miror, uos non expendere, cum longo iam tempore cum Philippo bellum geſſerimus, uniuerſum illud tempus ita abiiſſe, ut à nobis nihil memoratu dignũ actum ſit. Dum enim cunctamur, & ſperamus alios noſtra cauſa bellum moturos eſſe, & mutuo nos in iudicia uoca-

mus, deinde rursus speramus: postremo dum propemodum facimus talia, qualia nunc fiunt, tempus omne exactum est. Postea adeo stulti estis, ut quibus modis Resp. ex meliore statu in deteriorem lapsa est, his ipsis modis ex his calamitatibus in meliorem conditionem restitui posse speremus. Sed neq; consentaneum est, neq; natura hoc patitur. Facilius enim est retinere parta bona, quàm de nouo omnia parare. Iam uero bellū nihil reliqui fecit, quod retineamus: magno labore omnia de nouo paranda sunt. Censeo igitur, uos debere stipendium conferre, non grauatim ipsos militare, neminem accusare priusquam de bellatum sit, deinde ex rebus ipsis iudicium faciendū erit, benemeritis reddenda gratia, perfidi puniendi. In præsentia uero auferte excusationes uestras, in quibus singuli culpam in aliorū errata conferunt. Non enim acerbe aliorum errata reprehendenda sunt: nisi ipsi prius nostrum officium faciamus. Quam enim ob causam existimatis duces nostros omisso hoc bello, potius captare occasiones commorandi in alijs locis? siquidem pro ducibus ingenue dicendū est, id quod res est. Nam in bello Macedonico præmia sunt uestra, capta Amphipoli, uos fruimini redditibus, pericula uero sunt ducum propria, & stipendia parce mittitis. Sed in alijs bellis periculi minus est, & præda est ducum et militū, direptis opidis,

pidis, aut spoliatis nauibus. Singuli autem malunt suæ utilitati consulere. Sed uos in his publicis malis tantum accusatis duces: quando autem in iudicijs facta dicendi potestate auditis, quibus impediti fuerint difficultatibus, has non emendatis, sed inter uos rixamini, & alius alias causas commemorat publicorum malorum: cum interea omnes fateantur, grauiter afflictam Rempub. Olim tributa conferebatis iuxta collegiorum descriptionem, nunc litigatis iuxta has classes: & habet quælibet pars suum ducem, uidelicet Oratorẽ, & huic adiunctum Imperatorem, & trecentos sui collegij stipulatores. Accedunt deinde studia ciuium, partim huic, partim illi factioni fauentium. At omissis factionibus, & studijs partium oportebat unumquenq; liberum esse, ut libere posit Reipub. consulere: & oportebat omnes pariter dicere sententias, & obire munera. Sin autem distracta ciuitate in uarias partes concedetis aliquibus, ut uelut Tyranni soli regnent in Repub. deinde alios cogetis instruere naues, conferre, militare: postea alijs permittitis, ut contra illos decreta faciant, ne conferant pecuniã aut operam, nihil unquã rite fiet. Nã illa pars quæ accepit iniuriã, non potest perpetuo tantos sumptus tolerare, deinde uos ciues bene meritos male plectetis pro hostibus. Censeo igitur in sũma, omnes debere conferre pro modo facul-

facultatum, militare omnes per uices, omnes dicere sententias, ut optima eligatur: non quomodo hic aut ille dixit. Hæc si feceritis, non solũ in præsentia laudabitis oratorem, sed etiam uobis ipsis gratulabimini, postea Rep. restituta in meliorem statum.

DEMOSTHENIS OLYNthiaca Tertia.

NOn eadem sese mihi noscenda præbent, uiri Athenienses, quoties ipsa negotia intueor, & sermones quos audio. Video enim sermones hominum esse, de mulctando Philippo: res uero ipsas eò tendere, ut necesse sit uidere etiam atq; etiam, ut ne ipsi prius mulctemur male. Nihil igitur, qui amplectuntur famam istam, aliud mihi peccare uidentur: quàm quod exhibent argumentum uobis, non quod sit nunc, sed de quo adhuc consultandum sit. Ego uero, quod urbi quondam licuit, & sua sibi obtinere tutè, & mulctare Philippum, sanè optime noui. Meo enim adhuc tempore, neque olim, utraq; res ista accidit. Nunc equidem persuasus sum, hoc satis esse, si occupetis primo quoq; tempore, ut socios tueamur. Nam hoc siquidem certo fiat,

fiat, tum & quonam quispiam pacto mulctare illum possit, dispicere licebit. Priusquam uero recte principium ieceritis, uanum arbitror, de fine qualemcunq; facere sermonem. Præsens igitur occasio, uiri Athenienses, siquidem unquam, nunc maxime multo & studio & consilio opus habet. Ego uero, non quid de præsentibus rebus oporteat consultare, difficilimum puto: sed istud uehementer anceps sum, quopacto, uiri Athenienses, dicere de ipsis apud uos oporteat. Nam persuasus planè sum, quarum rerum & uidens & audiens conscius sum, plerasq; effugisse uos: dum non uultis quod rectum est, quodq; oportet facere: non qui id non intelligatis. Obsecro autem uos, si libere dicturus sim, æquo ut ferre animo uelitis: hoc considerantes, an uera dicam: & per hoc, ut quæ sunt reliqua, fiant rectius. Videtis enim, quod ex eo, quia pleriq; ad gratiam tantum concionantur in Repub. ad extremum malorum res in præsentia uenerunt. Necessarium autem arbitror, paucis admonere prius uos, eorum quæ facta sunt. Meministis enim, uiri Athenienses, cum nunciatum uobis esset, Philippum esse in Thracia, tertio aut quarto abhinc anno, & oppugnare Heræum præsidium? Tunc igitur mensis quidem erat Mæmactrion. Multis uero sermonibus, & tumultu apud uos habito, decreuistis quadraginta tri

remes

remes demittere, & homines annorum quinq; & quadraginta ipsas conscendere, & talenta sexaginta in publicum conferre. Deinceps uero transacto hoc anno, labitur Hecatombæon, Metagitnion, Boëdromion, hoc mense uix tandem post mysteria Charidemum misistis cum decem nauibus, ijsq; uacuis, et quinq; argenti talentis. Cum enim nunciatum esset, Philippum non bene ualere, & mortuum esse (allatum enim est utrunq;) non amplius ullam ferendi auxilij occasionem putantes, dimisistis, ô uiri Athenienses, classis præfectum. Erat autem hæc tum occasio ipsa. Si enim tũc illic succurrissemus, quemadmodum alacriter decreueramus, non esset nunc molestus nobis Philippus, tũc ualetudini restitutus. Quæ igitur tunc acta sunt, non habent aliter. Nunc uero alterius belli occasio quædam adest, per quam & illorum uos admonere uolui, ut ne idem quod tum, uobis accidat. Quam igitur ad rem, uiri Athenienses, utemur occasione ista? Nisi enim auxilium tuleritis omni robore pro uiribus, uideritis quo pacto militaturi sitis non pro ipsa urbe, sed Philippo. Habebant uim quandam & Olynthij, & sic res eius erant compositæ, neq; Philippus eos contemnebat, neq; Philippum ipsi. Fecimus nos, & illi nobiscum pacem: erat hoc uelut obstaculũ quoddam Philippo, ac molestum, urbem magnam concedere ad nos, suis tempo-

ribus

ribus ab ipso alienatã, infensos reddere illos oporte re Philippo putauimus omnibus modis: et quod omnes iactabant hactenus, idipsum actũ iam est quomodocunq;. Quid igitur sit reliquũ, uiri Athenienses, nisi ut auxiliemur fortiter et prompte, ego certe nõ uideo. Præter enim ignominiã, quæ circũstaret nos, si harum rerũ quicquam neglexerimus, neq; metum uiri Athen. paruum uideo, qui incumbit post hæc nobis: dũ quod ita erga nos sint affecti Thebani, ut sũt: dumq; opibus desperant Phocenses, neq; quicq̃ præterea Philippo est obstaculo, præsentẽ rerũ statũ perturbaturo: eò inq̃ res inclinare uideo. Verũ enimuero si quis uestrũ in hoc, quæ opus est facto reijcit, is uidere periculũ propè cupit, quod accidisse procul audire posit: & auxilia sibi quærere uult, cum ipse nunc posit auxiliari alijs. Quod enim eò recident res, si præsentia negligamus, nimirum scimus fermè omnes. Sed quod certe auxiliũ ferre oporteat (dixerit aliquis) omnes nouimus, et auxiliamur sanè: uerum qui id debeat fieri, istuc uero dicito. Nec igitur Viri Athen. miremini, si quid dixero inopinatũ pleriscq;. Legislatores cõstituite, in hos uero ne legẽ ponatis ullã: sunt. n. uobis multæ. Verũ eas quæ in præsens uobis nocẽt, soluite. Dico autẽ manifestè sic, eas quæ sunt de Theoricis, et de militãtibus quasdã, quarũ aliæ stipẽdia quidẽ conferũt ijs, qui domi desidẽt,

& theo-

& theorica administrant: aliæ uero, homines dissolutos & absq; ullo ordine in republica uersantes, constituunt immunes: demum & eos, qui quod est rectum facere cupiunt, abiectiores reddunt. Hæc ubi solueritis, & uiam optime uobis consulendi feceritis tutam, tum quærite eum qui roget, quæ nostis omnes conferre reipub. Antea uero quàm hæc faciatis, non est cur quenquam expectetis, qui pro uobis optima consulens, perire à uobis uelit, non enim inuenietis, præsertim cum & hoc solum reliquum futurum sit, ut is qui roget & ferat, super eo quod iniuste patiatur aliquod malum, nihil rebus ut commodet: sed & in posterum magis, quàm nunc, rectissime consulere reipub. reddat formidabilius, minusq; liberum. Et sanè leges istas ut soluant, Viri Athenienses, rogare oportet illos ipsos, qui posuerunt. Non enim est æquum illis quidem qui tum leges posuerunt, esse gratiam, quæ omnem læsit Rempublicam: odium autem & offensam, quibus rectius in repub. uersaremur omnes, fieri mulctam & pœnam ei, qui rectissimè consulat. Sed priusquam hæc constituatis, nullo pacto (uiri Athenienses) quenquam inter uos tantum esse existimate, ut si transgrediatur leges has, non det pœnam: nec quenquam tam amentem, qui in præsens incommodum sese conijciat. Quanquam neq; illud ignorare uos oportet,

uiri

uiri Athenienſes, quod nullum decretum alicuius eſt precij, niſi accedat, & efficere uos uelle quæ decreta ſint. Siquidem enim per ſeſe decreta ſufficiant, & cogere uos poſſent, quæ æquum eſt facere, aut quibus de rebus ſtatuunt conficere, nunquam feciſſetis uos (qui tam multa decernitis) tam pauca, imò uero nihil horum: neq; inſultaſſet Philippus tanto iam tempore: Dudum enim dediſſet pœnam ille, uel propter iſta tot decreta ueſtra. Verum haud ita habet iſtæc. Nam facere, ipſo dicere & ſuffragari poſterius cum ſit ordine temporis, poteſtate quidem, & ui prius eſt atq; præſtantius. Hoc igitur adeſſe oportet, cætera uero exiſtere. Etenim dicere quæ decent, apud uos ſunt (uiri Athenienſes) qui præclarè poſſunt: & diſcernere, quæ in concionibus dicta ſunt, omnium uos eſtis acutiſſimi: ſed & efficere poteritis nunc, ſiquidem recte feceritis. Quod enim tempus, aut quam occaſionẽ, uiri Athenienſes, quæritis præſente hac meliorem? aut quando unquam quæ oportet facietis, niſi nunc? an non omnes ueſtras regiones occupauit iam ille? Quod ſi & huius dominus regionis fiet, omnium turpiſſima feremus. Nonné quos promiſimus tueri alacriter, ſi bellum ille inferret, ijdem illi nunc bello præmuntur? non eſt ille hoſtis? non ueſtra ille habent? non Barbarus? an non, quicquid tandem uocare aliquis poſſit?

Atqui per Deos, hæc omnia negligentes, & tantum non copias illi nostras iungentes, rerum tam malè gestarum, quinam autores sint quæremus? Neq; enim unquam nosmetipsos accusabimus, uelut malorum autores, satis istuc equidem noui. Neq; enim eorum quisquam, qui in belli discriminibus fugiunt, seipsum accusat: sed accusat etiam ducem, & proximum, adeoq; omnes potius quàm sese. Succubuerunt tamen omnium fortasse culpa, qui fugerunt. Manere enim licuisset ei, qui accusat alios, hoc uero si quisq; feciſſet, uicissent utiq;. Et nunc, si quis dicit non optima, surgens alius dicat ipse, neq; accuset illum: dicit alius quispiam meliora, facite isthæc, bona fortuna. Atqui non sunt hæc suauia. Hoc qui dicit, certè dicit non malè, fateor: sed hoc omittit, num id sit uoto precandum ciuibus. Equidem precari, uiri Athenienses, facilè in unum quæcunq; quis uelit colligentem, momentò licet: capere autem & potiri, quando de rebus consultandum sit, non perinde promptum ac facilè est: sed oportet optima pro suauibus, si non liceat utraq; accipere. Si quis uero uobis posit Theorica illa libera permittere, & militares sumptus cstendere alios, nonné ille (posset aliquis obijcere) melior sit consultor? Fateor sanè ego quoq;, siquidem est aliquis modo, uiri Athenienses. Sed miror, an cui unquam hominum aut licuit, aut licebit,

licebit, si quæ nunc habet consumpserit, ad quæ non oportet, recte quò oportet ijs, quæ non habet uti. Verum arbitror, istorum rationibus magnum momentum accedit, singulorũ uoluntas, quapropter facillimum est omnium, decipere sese. Quod enim quisq; uult, idipsum etiam faciendum esse censet: atqui res ipsæ habent sæpe aliter. Considerate igitur (uirẽ Athenienses) hæc ita, quemadmodũ res ipsæ ferunt: & tum exire poteritis, & premiũ inde percipietis. Equidem non prudentum, neq; generosorum est hominum, quicquam prætermittentes, quod ad bellum attineat, propter opum penuriam, facilè ferre tales contumelias: neq; contra Corinthios quidẽ & Megarenses correptis armis proficisci, Philippum aut sinere Græciæ urbes mancipare, propter defectum sumptuum militantibus. Et hæc uolui dicere obiter non qui sim infensus uobis: Neq; enim adeo sum imprudens aut infelix, ut cupiam esse inuisus, cũ nihil inde emolumenti uideam. Sed boni ciuis esse iudico, salutem Reipu. pro gratia, quam aucupantur quidam dicendo, sequi. Et enim eos, qui iam olim patrũ uestrorum tempore in concionibus sententiam dicebant, audio, quemadmodũ fortasse & uos ipsi (quod qui nunc uiuunt, laudant omnes, imitantur autem non admodum) his moribus, & hac concionandi, et in Repub. uersandi consuetudine usos esse: Aristidã

inquam, Niciam, cognominem mihi Demosthenem, Periclem. Ex quo tempore autem prodierunt, qui interrogant uos, Rhetores quid uultis? quid feram? qua in re gratum uobis faciam? absorptæ sunt res urbis uestræ protinus: propter istam, qua continuo frui uultis, uoluptatem et gratiam. Et talia certè acciderunt, atq; illorum interim res omnes cõmodè habent, uestræ uero turpiter. Equidem expendite, uiri Athenienses, quæ quis capita commemorare possit rerum à uestris maioribus gestarum, & earum, quæ gestæ sunt à uobis. Erit autem breuis, & nota uobis narratio, neq; enim peregrinis uobis utentibus exemplis, uiri Athenienses, uerum domesticis esse fœlicibus licet. Illi igitur, quibus non ita adulabantur oratores, neq; ita palpabant, quemadmodum nunc illi uos, quinq; & quadraginta annis græcis imperarunt uolentibus, plura autem quàm decem millia talenta in arcem accumularunt: Subditus autem erat ipsis etiam, qui hanc tum regionẽ habebat, rex quemadmodum par est, barbarum Græcis, multa autem constituerunt, & præclara trophæa, terra pariter & mari, cum militarent ipsi. Soli uero hominum, maiorẽ inuidia post se rerum gestarum gloriam reliquerunt. In rebus igitur Græcorum erant tales. Cæterum in Reipu. negotijs, uidete quales & publicè se gesserint, & priuatim. Nam publicè certè ædifi-

ædificia, & talẽ quandam elegantiam ac tantam parárunt urbi, templorum uidelicet, & in ijsdem monumentorum, ut nulli posterorum excellendi sit relictus locus. At priuatim ita modesti erant, tantáq; diligentia in Reipu. forma & proprietate conseruanda permanentes, ut Aristidis, Miltiadis, & aliorum, qui tum excellebant in Repub. domum, si quis modo nouit uestrûm, quænam quondã fuerit, uideat uicini domo nihilo essẽ magnificentiorem, non enim quo facultates sibi quærerent, in Repub. uersabantur: sed Rempub. curare se unusquisq; debere putabat. Ex eo autem quod communes Græcorum res fideliter, diuinas autẽ piè, priuatas uero æqualiter administrabant, magnam non immerito consecuti sunt fœlicitatẽ. Equidem tunc eo sese pacto res habebant, cum talibus uterẽtur, qualibus dixi, summæ rerum præfectis. Nunc autem quopacto uobis, à bonis istis uiris, qui nunc sunt, res habent? num similiter, aut non multo aliter? Et alia quidẽ tacebo, cum multa dicere possem. Verum quanta sitis capti rerum desolatione, uidetis omnes, cum nulli iam sint Spartani, qui de principatu uobiscum contendant: Thebani uero non quiescant, aliorum autem nullus existat, qui se dignè de principatu uobis opponat. Cum liceret autẽ nobis & nostra possidere tutò, & iustitiam administrare cæteris, destituti sumus regio

ne nostra: plura autem quàm mille & quingenta talenta insumpsimus, absq; omni fructu & commodo, quos autẽ habebamus in bello socios, dũ adhuc pax esset, amisimus: hostem uero parauimus aduersum nos ipsos tantũ. Aut procedens dicat mihi aliquis, undé nam aliunde potens factus est, quàm à nobis ipsis Philippus? Sed heus tu, si hæc malè habent, quæ in ipsa sunt urbe, nunc ne habent melius? Et quid obsecro, dicat mihi aliquis? num pinnas propugnaculorum, quas dealbauimus? & uias, quas de integro strauimus? & fontes & aquæductus? Respicite sanè in eos, quibus id solum in urbe studij est, quorum alij quidem ex mendicis facti sunt diuites, alij ex obscuris summo iam loco constituti: nonnulli suas ædes publicis ædificijs magis augustas, magnificasq; pararunt, quanto uero publicæ urbis res minores sunt factæ, tanto illorum res creuerunt. At quænam horum omnium est causa? Et qui adeo tandem iam olim omnia ita habebant rectè, nunc uero non item? Quia primum quidem, cum adhuc obire militiam auderet populus ipse, eorũ qui in Republica uersabantur potens erat, & Dominus ipse bonorũ omnium, boniq; consulebatur, à plebe cæteros accipere & honorẽ & imperium, & quocunq; tandem bono potiri. Nunc autem fit contrarium: dominicenim bonorum sunt Magistratus ipsi, & per hos fiunt

unt omnia. Vos autem populus ocio & desidia ener uati, & destituti opibus sociorum, seruitij loco, & subditi facti estis, contenti, si cõmunicent, unde liceat spectare uobis, aut bucculas mittant illi: & quod o mnium est absurdissimũ, pro uestris ipsorum bonis gratiam ipsis habetis. Illi uero in ipsa uos incuden tes urbe, cogunt ad omnia, & lactant, dum uos sibi tractabiles reddant. Nunquam autẽ arbitror licet, magnum tandem & excelsum animum induere, par uia & turpia facientes. Nam qualiacunq; sunt ho minum studia, talem necesse est etiam habere animũ. Hæc cũ dico ego, nihil miror per Cererem, si infligatur à uobis damnum magis, quàm his qui fecerũt, ut hæc ista fierent. Neq; enim libere de omnibus apud uos semper dicitur. Verum ego sanè, id quod etiam nunc factum est miror. Si igitur etiamnum, missis ignauis istis moribus, & militare uolueritis, et quæ uos ipsos decent facere, & facultatibus istis, quas habetis domi positas, uelut occasione usi fueritis ad ea quæ foris sunt occupanda: forsan forsan, uiri Athenienses perfecto aliquo bono potiri, & magno licebit: & ab id genus muneribus publicis liberabimini, quæ uictui, qui à medicis præbetur languentibus simillima sunt. Etenim neq; robur confecerunt, nec sinunt aliquem mori. Et ea quæ inter uos tam distribuitis, neq; tanta sunt, ut usum habeant

aliquem sufficientem, neq; cum desperetis, facere aliud quidpiam sinunt: sed sunt ea, quæ cuiusq; uestrum alunt, augentq; socordiam. Igitur tu stipendium ais? dicat aliquis. Et protinus quidem aio, eandem omnium conditionem, uel munerum distributionem, uiri Athenienses, nempe, ut quicũq; Rei pub. partem aliquam accipit, si qua urbs indigeat, in ea promptè usui se Reipublicæ expositum præbeat. Atqui licet mihi quietem agere? Domi manens melior es, quia liber, faciendi scilicet, turpè aliquid necessario propter inopiam. Accidit autem aliquid tale, quale nunc? melior nempè es, si ipse milites, pro iisdem illis muneribus, quem admodum est æquum pro patria. Est uero uestrum aliquis extra ætatem illam militiæ aptam, quæcunq; is extra ordinem nunc accipit, non commodans Reipublicæ, ea ita accipiat, ut æquè omnia Reipublicæ onera sustineat cum cæteris. Vrbem igitur iam redigi in ordinem, sublata illa conditionum, ac statuum confusione, inspectisq; omnibus ac dispositis, quæ fieri oportet: Prorsus autem nihil auferens, neq; apponens, præter pauca. Eundem ordinem constituens, & accipiendi, & militandi, & iudicandi, & faciendi id, quod pro sua quisq; ætate & conditione potest, & cuius sese offert occasio, nec est cur ego dixisse alicui uidear, quod oporteat distribuere iis, qui

qui nihil agunt, ea quæ agentibus distribuenda sunt: neq; ipsos ociari, & uacare, ac hæsitare. Quod uero nescio qui peregrini milites uicerint, ea auditis, hæc enim fiunt nunc: neq; ego reprehendo, quicunq; pro uobis aliquid fecerit, quod oporteat, sed hortor eadem facere uos pro uobis ipsis, propter quæ alios honorandos uobis esse ducitis: neq; discedere ab ea institutione uirtutis, uiri Athenienses, quam uobis maiores multis & præclaris periculis partam reliquerunt. Dixi ferè quæ conductura arbitror. Vos uero deligite, quodcunq; & urbi & uobis omnibus profuturum sit.

ORATIO DEMOSTHENIS
Philippica Prima.

I noua aliqua res proposita esset de qua consultaremus, non equidem præripuissem alijs dicendi locum, sed continuissem me dum plurimi coram qui dicere hic solent concionati essent, quorum si placuissent sententiæ tacitus & ipse probassem, sin autem displicuissent conatus essem & ipse ostendere quid sentirem. Verum cum hac de re antea sæpe dixerint alij, de qua nunc quoq; deliberare instituimus, spero me ueniam facile impetraturum esse quod primus surgo. Nam si antea utiliter consuluissent, nihil attineret eadem de re iterum referre. Primum itaq; neutiquam nos usq; adeo fractis animis esse decet propter præsentem rerum statum, tametsi magna clades accepta sit, quanquam enim antea nihil tristius acciderit, tamen in posterum perquam utile documentum hic casus fuerit, quamobrem? nam id infortunium nostra ignauia acceptum est, quod si nulla nostra culpa accidisset, ne spes quidem reliqua esset corrigendi negotia. Iam expendite quæso: meminerunt enim, quàm nihil præter dignitatem urbis factum sit à uobis, cum maximæ Lacedæmoniorum uires paulo ante

esſent,

essent, sed perduraſtis dum bellum aduersus eos iure susceptum conficeretur. Hæc autem ideo dico, ut exemplis commoniti cernatis, quod neq; aduigilantibus triſtius aliquid formidandum sit, neq; ſperanda ignauis uictoria. Nam et Lacedæmonios quanquam ualidiſsimi essent, ſuperaſtis, cum in rem ſerio incumberetis: & à Philippo nunc propter incuriam male accepti eſtis. Si quis autem exiſtimet periculoſum esse, inferre bellum Philippo, primum propter magnas eius uires, deinde quia urbi plurima oppida adempta ſunt, is recte iudicat. Verum contra expendat, quod & antea in noſtra poteſtate Pydna, Potidæa, Methone, et hæc tota regio fuerit, & pleræq; gentes, quas ille iam tenet, cũ liberi essent, ac ſuis uterentur legibus, noſtrarũ partium esse malebant q̃ illius. Porrò ſi Philippus tũ paſſus esset ſe abſterreri, quo minus bellum inferret, cum & tantis præſidijs nos uallati eſſemus, et ipſe nullos ſocios haberet, neutiq̃ tantas res geſsiſſet, aut tantas ſibi uires paraſſet. Sed uidebat ille, hæc præſidia esse belli premia propoſita. Natura autẽ ita comparatũ eſt, ut abſentium res intercipiant hi, qui præſto adſunt, & ſedulis ac periclitantibus concedãt ceſſatores. Quod cũ in animũ induxiſſet Philippus, partim redegit in ſuã poteſtatem, partim adiunxit ſibi ſocios, et ex alienis amicos effecit. Putat enim tutũ esse cũ his coniungi, qui

aduigi-

aduigilant, & strenue rem gerunt: Proinde si tandem expergisci uolueritis, postquam hactenus cessatum est, & illa in animo instituerit, suiq; copiam Reipub. quisq; pro uiribus fecerit nihil contando, et pecuniam contulerint hi quorum sunt facultates, & militauerint hi, qui pro ætate debent: breuiter, si uestri esse uolueritis, nec expectauerit quisq; dum se ocioso uicinus suum negotium curet: Ita demum licebit & ijs quæ adhuc in nostra potestate sunt tuto frui, & recuperare ea, quæ per negligentiam amissa sunt, & illum probe multari. Neq; enim est quod existimetis, eius opes tanquam deorum firmas esse et immobiles: uerum odere metuunt, & inuident permulti, adeoq; hi, qui ei perquam amici uidentur. Et quibuscunq; casibus obnoxium est uniuersum mortalium genus, ijs est ille expositus. Verũ nunc mussant omnes, cum propter uestram contationem & ignauiam excutere iugum non possint. Itaque hanc omnino corrigendam esse statuo. Videtis enim, quò procacitatis homo processerit, qui ne relinquit quidem nobis facultatem deliberandi, utrum bellum geramus, an bellum malimus. Sed minatur, & superbis uocibus prouocat, nec potest conquiescere, contentus ijs, quæ iam adiecit regno suo: sed subinde pergit, contantes nos & cessantes, tanquam retibus & sæpe circumuallare. Quando igitur capessetis

tis Rempub. cum aliquid acciderit, uidelicet: cum neceßitas coget? Porrò, quid ſentitis de præſenti ſtatu rerum? Ego certe liberos nulla perinde neceßitate, atq; dedecore commoueri debere ſentio. An non prodigij (ſiquidem noua percontare libet) ſimile eſt, & turpißimum, hominem Macedonem audere nobis bellum inferre, & in Græcia dominari? Cedo, extinctus eſt Philippus? non, uerum grauiter decũbit, quid refert? nam ut is maximè pereat, alius Philippus naſcetur uobis, niſi aduigilaueritis, nam ille ueſtra magis ignauia, quàm ſuo Marte creuit. Iam ſi quid ille detrimenti ceperit, & fortuna nobis propicia reſpexerit nos (nam illi magis curæ ſunt res noſtræ, quàm nobis ipſis) permultũ retulerit, nos cum exercitu accedere, nouo ſtatu rerum ad illius fines, facile enim ex ſententia conficietis, ſi ita feceritis. Verum ut nunc inſtructi eſtis, Amphipolim recipere, ne quidem ſi offerat occaſio, poteritis: cum dubitatis, & tamdiu contamini in apparatu rei. Nolo autem uos longiore oratione hortari, ut ritè rem geratis, & pro ſe quiſq; ſuum officium ſedulo faciatis, uidemini enim ad hoc induxiſſe animum. Reſtat ut modum indicemus, quo nos paremus, & ex his malis euoluamur. Præterea, unde copiæ reficiendæ ſint, unde pecunia conflanda, & cætera quomodo mature apparentur. Precor autem,

ut

ut iudicium differatis, dum omnia cognoueritis: nec priusquam par est, de oratione mea statuatis. Nec uero putate, cum audietis noui apparatus fieri mentionem, moram aliquam afferre publicæ utilitati. Non enim utiliter consulunt, qui tantum festinantiæ rationem habent, nam quæ acciderunt, ne potuissemus quidem his uiribus prohibere: Magis eorum consilium probo, qui rationem ineunt eiusmodi apparatus, qui durare in posterũ possit, donec aut pax cum hoste conuenerit, aut hostis profligatus fuerit. Quod si hoc modo prospexerimus nobis, non ueniet in posterum in tale discrimen Resp. Iam hæc ita propono, ut alijs quoq; faciam potestatem suadendi ciuitati, ea quæ uidebuntur è Rep. esse. Magna equidem polliceri uideor: sed ex re ipsa potestis statuere de meo consilio, uos iudices eritis: Primum itaque quinquaginta triremes armandæ sunt, deinde sic oportet nos affectos esse, ut si poposcerit necessitas, nauigare ac militare nos ipsos nõ pigeat. Præterea iubeo, triremes ac nauigia, quotquot usus requiret, pro equitibus comparare. Et has copias instructas tanquã in statione esse oportet, aduersus illius subitas incursiones, in Pylas, in Cherronesum, ad Olynthum, aut quocunq; irruptionem fecerit. Nam in hanc opinionem de nobis adducendus est, quod ex hac quamuis magna incuria, tamen expergisci uideamini

deamini, & occursuri, uelut olim, cum in Euboeam, in Aliarthum, nuper in Pylas irrupturum repressi stis. Iam ut maxime non fuerit imposita necessitas uobis occurrere Philippo (tametsi prospiciam, hoc plane necessarium fore) tamen profuerit uos instructos esse, ut aut cum rescierit, metu uestri contineatur, ne bellum moueat. Sunt enim, sunt plures quàm satis est, qui illi omnia hic renunciant. Aut si contemserit nostrum apparatum, opprimamus eum imparatum, cum nihil impediat, per opportunitatem in eius regionem nauigare. Hæc itaq; sentio, & decerni & comparari debere. Præterea exercitum scribendum esse duco, qui assiduo sit in armis, & populetur Philippi ditionem. Nemo mihi legionem illam conductitiam nominet, cives militare debere statuo, eosq; ducem sequi, & imperata facere, quemcunq; tandem legeritis, iubeo etiam illis commeatũ suppeditare: dicam autem ordinem, & quantas copias esse oporteat, & unde commeatus sit parandus. Primũ de mercenario milite, neq; uero id feceritis, quod toties iã uos grauiter afflixit, ut periculũ contẽnatis: et cũ in decernendo atrocissima comminati sitis, ne extremis quidẽ digitis rem attingatis. Sed primũ leuiora maturate: deinde si quid restat, peragite fabulã, & maiora tũ facite tũ suppeditate. Statuo itaq;, duo millia debere contrahi: sed in his cives sint quingenti,

genti, delecti ex flore iuuentutis, militentq; certum tempus, non quidem longius illud, sed aliquanto breuius, ut uidebitur commodum: succedantq; alij alijs, reliqui sint conductitij. Aptentur his ducenti equites, & in his, ut minimum, quinquaginta ciues militent, & his copijs naues comparent, item decem triremes, nam cum Philippus classe instructus sit, nobis etiam nauibus opus est, ut exercitus tuto nauigare posit. Bellum gerendum est ita, ut excursionibus prædam ex illius agro agamus. Proinde præsidium nec maius contrahere licet, quàm quod alere possimus: nec infirmius etiam iusto. Ciues autem unà nauigare debere decreui, nam & antea accepi, uestros coniunctos cum conductitijs copijs præclaras res gessisse, & Lacedæmonios uicisse, è contra cum solis conductitijs rempub. committimus, illi latrocinium exercent in socios & amicos. Interea præsidia nostri exercitus auget hostium uires: ipse animaduerso periculo quod urbi impendet, ad Artabazum aut aliò se subducit. Sequitur dux: nec enim sine stipendio continere eos in officio potest. Proinde consulo, ut liberaliter collato stipendio obligetis uobis & duces & milites: & addatis ciues, qui uelut arbitri intersint omnibus quæ geruntur. Est enim perquàm ridicula nostra ratio gerendæ Reipub. si quis enim interroget: pax uobis an bellum cũ hoste sit?

sit? bellū dicetis opinor. Nonnè electi sunt tribuni militares, Duces, Magistri æquitum? quid agitant præter unū reliqui omnes? ostentant se, curatis sumptibus sacrorum in pompa cū sacerdotibus, planeq; uidebimini in hoc duces eligere, ut spectandos se præbeant in pompa, perinde atq; figuli statuas faciunt, quæ ibi circumferantur. Neq; enim tribuni uestri, aut magistri equitum, urbani Magistratus sunt, ubi urbanæ copiæ sunt: Sed in Lemnum nauigare oportuit magistrum equitum, & Menelaum ducere copias, quæ foris Rempub tutentur. Neq; uero homines lædendi causa hæc dico, oportebat enim aliquem à uobis, quisquis tandem esset, deligi. Sed hæc fortasse probabitis, ac ostendi uultis, unde conflāda sit stipendiaria pecunia, hoc etiam exequar. Pecunia pro annona danda est: ad eā rem opus est 90. talentis, aut aliquanto plus, in decem ueloces naues 40. talenta collocanda sunt, uicenæ in singulas naues minæ per singulos menses. Item quadraginta talēta, duob. mil libus peditū, ut singuli pro annona denas drachmas singulis mensibus accipiant: ducentis equitibus curanda sunt duodecim talenta, si singulis menstruum stipendium tricenæ drachmæ constituantur. Si quis uero arbitratur hanc annonam angustiorem esse, quàm postulet necessitas, is ualdè fallitur: nam mihi compertū est, si hæc ita constitueritis, futurum, ut

cætera exercitus sibi ipse paret, prædando, non è so-
cijs aut Græcis, qua in re, si quid uidetur periculi,
haud grauatim unà nauigaturus sum, & discrimen
(si quod est) subiturus. Vnde igitur conflanda hæc
pecunia est? Hoc ego ferè in hac re comperi, in de-
cernendo primũ ita statuite, ne solis decretis & epi
stolis cum Philippo bellum geramus, sed manu ac re
ipsa. Sentio autem debere locum aliquem eligi, &
certam regionem, ubi tanquam in statione nostræ co
piæ sint. Nam Philippus per occasionem cũ uenti
secundi sunt, ad nos procurrit, & captatis Etesijs
tum ad nos classem adducit, cum nos occurrere uen
ti non sinunt. Proinde locũ aliquem deligite, ne obi-
ter contrahendus sit exercitus, & armandus, acce-
pto iam damno. Ita enim fit, ut undiq; frustremur:
sed opus est perpetuo & certo præsidio hybernare
in Lemno, Chasso, & Schyarro, & alijs eodem in
loco insulis, ubi & portus sunt & frumenta, & cæ
tera suppetunt, quæ sunt usui militi. Anni tempe-
states & secundos uentos, & omnia quibus opus e-
rit, prouidebit Imperator. Quæ autem à uobis præ
stari oportet, ea sunt quæ ante proposui. Si enim
pecuniam contuleritis, de qua dixi, & cætera com-
paraueritis, milites, naues, equites, si integras copi-
as decreto coëgeritis augendi bellũ, si pecuniam uos
dispensabitis, rationemq; exegeritis rerum gestarũ

ab

ab Imperatoribus, tandem conficietur res. Accedit hoc etiam commodi, quod intercipietis Philippi pecuniam, qui de nostro sumptus belli sustentat. Præterea etiam uos domi in tuto eritis, nec licebit in Lemnum incursione facta, ciues inde uestros abducere, magnam uim pecuniæ ad Cerastum exegit, intercepti nauibus: transijt & in Marathona, & sacram nauem inde auexit, idq; ne poteratis quidem prohibere, nec tempestiue occurrere. Nunquam committimus, ut non suis temporibus quinquennalia & bacchanalia fiant, siue opulentos, siue tenues præfecti ludorum sorte creati fuerint. Et in id effunditis tantam pecuniam, quanta nunquã in classem ullam collocatur: estq; tantus apparatus, quantus uix usquã in ulla ciuitate. At in classe necessaria etiam desiderantur, neq; illa in tempore instruitur. Qui fit hoc? quia ratio faciendorum ludorum diligentiß. descripta est legibus, belli gerendi rationem nullam prorsus certam nobis præscribimus. Non antea constituuntur trierarchi, quàm hostilia nunciantur: tũ primum de sumptibus prospicitur, & de stipendio delectus habetur peregrinorum, pro delectis alij suppo nuntur. Postremo dum contamur, occasio rei gerendæ amissa est. Tempus opportunum gerendi belli in apparatu constituitur, & nostram contationem occasio non expectat: & præsidium nostrum, quod

interea in armis est, non est in hostium copijs, sed per occasionem opprimitur, hostis ipse eò processit superbiæ, ut in Euboeam tales literas miserit.

Προτρεπτικον.

Pleraq; in his literis uere scripsit, tametsi acerba sint, uerum ita feram ad gratiam concionantem, si res patiantur aliquid prætermitti, quod offendat aures: At si assentatio benignius pollicetur, quàm res ferunt, perniciosa est. Turpè est se fallere, & dum procrastinantes omnia, quæ paululum modo molesta sunt circumuenimur, admoneri nolle, quod oporteat bellum gerentes, non fugientem occasionẽ sequi, sed captare, atq; oblatam excipere. Et sicut in acie ducem, ita nos in consilijs prouidere omnia conuenit, ut ea quæ industria summa delegerunt agant, non expectent casum. Et cum tantæ sint uires uestræ, hactenus his nunquam in loco usi estis, nulli urbium secundi estis: uerum hoc bellum administratis non aliter, atq; barbari pugiles decertant. Nam hi ubi plagam acceperint, ibi manũ admouent: interea si feriantur in altera mala, post ictum illò manus transfertur: anteuertere autem siue prospicere nec possunt, nec norunt. Ita uos, cum fama in Cheroneso Philippum esse affert, illò transitis: si in Pylis, eò tenditis: si alibi, unà sursum ac deorsum cursitatis

fitatis, eumq; perinde ac ducem sequimini: neq; unquam consilium capitis, nisi tanquam in media arena. Antea fortasse nobis hæc uitia condonari poterant, nunc in extremum discrimen, & ipsam aciem res adducta est, ubi ignosci peccato non potest. Ego Deum aliquem pudere urbis existimo, qui Philippo adeo exæmulandum duxerit. Nam si contentus illa accessione quam fecit, reciperet se in otium, nec pergeret nobis bellum facere, pleriq; uestrum hactenus cum Repub. bene actum ducerent, cum tamen summo dedecore affecta sit. At cũ subinde maiora Philippus moliatur, tandem prouocabit nos, nisi planè spem omnem de Repub. abiecistis. Non expenditis initio gestum esse bellum, ut de Philippo pœnam sumeremus? nũc eò redit res, ut ægre salutem nostram defendamus. Neq; uero ille desistet nisi ui reprimatur. Interea pulchrè uobis pollicemini, de Repub. missis aliquot uacuis nauibus, & spe quadam ostentata à duce. Quin ipsi militamus, & partem ciuiliũ copiarum mittimus? Dicat aliquis: at quis nobis portus ibi patet? bellum ostendet parum fidas Macedonis res, modo conemur aliquid. Dum domi sedemus, & rixamur inter nos, nihil poterit confici. At ubi missa, instructaq;, etiam si non omnis, urbana classis fuerit, ibi deorum beneuolentia, & fortuna conatus nostros prouehet. Emittere uero etiam

Ducem cum uacua classe, & concionibus benigne pollicentibus, nihil profuerit. Huiusmodi classes deridentur ab hoste, & socij interim metu pereunt. Nam res tantas unus homo conficere non potest: polliceri, dicere, accusare alios potest. At hæc euerterunt Rempub. Cum enim Imperator uester acie uictus sit, qui nihil secum ducebat, præter miseros conductitios, eosq; mercede fraudatos: & cum milites inde redierint, multa aduersus Ducem mentientes: & cum uos de Ducis capite ex fama iudicetis, quæ tandem salutis spes est? Sed his malis quomodo medebimur? ita demum, si delectus ciuiũ habeatur, qui & ipsi militent, & testes & spectatores rerum sint, quæ duces gerunt, & domi postea de rebus gestis iudicent. Nam res nostras oportuit non ex fama cognoscere, sed præsentes spectare. Iam uero cum singuli duces toties hic de capite in iudicio periclitentur, nemo illorum uel semel periclitari ausus est in acie: maluntq; defungi plagiariorum & furum morte, quàm illa honestiore. Facinoris præiudicio uita eripitur: Imperatorum est, in acie occumbere. Nos deinde erramus passim, & spargimus rumores nihili, Philippum ope Lacedæmoniorum Thebis excidium minari, & Græcas ciuitates dissociare: alij ferunt, legatos missos esse à Philippo ad Persas: alij, muniri urbes in Illyrio: alij, alia

alia nugantur. Ego de Philippo sic sentio & iudico, ebrium esse magnitudine rerum gestarum, & apud animum somniare similia, cum uideat neminem obsistere, atq; sic effertur successu. Nec puto eum consilia talia capere, quæ stultißimis apud nos suboleant: nihil enim stultius illis rumorum autoribus. Quin illud considerabimus, qui hostis iam sit, quod nostra nobis eripit, quod diu insultauit nobis: quod ubiq; dum simulabat se nostrum negotium agere, fefellit fidem suam. Et nisi bellum inferimus, demum cogemur fortasse arma capere. Etsi hæc considerabimus, rectè statuemus de Repub. nec ipsi nobis blandiemur stultis concionibus. Nec enim uidendum est, quid sit euenturum alijs: hoc unum spectandum, uitium impendere nobis, si non aduigilemus, & rectè geramus Rempub. quæ & modo liberrime dixi, ac simpliciter dixi, nihil dißimulans. Optarim autem, sicut scio quod uobis conducit, optima audire: ita idem profore dicenti. Nam ita multo æquiore animo dixissem. Nunc cum uerear, ne qui se lædi à me putant, male me excipiant, tamen statui ea, quæ conducant uobis. Postremo opto, ut uincat Reipublicæ utilitas.

ORATIO DE MOSTHEnis, contra Aristogitonem, Phil. Melanth. Interprete.

Go iamdudum in hoc consessu, cum Lycurgi orationem audirem, præclarè quidem illum hanc causam agere iudicabam, uerum hoc mirabar, quid magnopere contenderet, cum in hac controuersia, ne quidem requiratur ab Oratore, quid de reo statuendum sit, sed de re nota, ut quisq; pro suo affectu, uel odit scelus, ul approbat, iudicaturi sitis. Et in hac causa ex more tantũ accusationem institutam esse existimo, cæterum adferre uos domo iudicium rei, ut quisq; adfectus est. Quod si maior pars è uobis sentit hoc genus improbos ciues seruandos esse, frustra à nobis hæc fabula agitur. Sin odistis pro eo ac merentur, si uolet Deus, hic quoq; pœnas dabit. Sed cũ alij multà de causa præclarè dixerint, tamen & meam sententiam non grauabor recensere. Neutiquam mihi uidetur alijs actionibus hæc causa similis. Iudices conueniunt alias, ut ex actore & reo controuersiam cognoscant, & quomodo pronunciare debeant. Deinde, eorũ qui litigant, uterq; adest, ut sua iusta exponat.

At

At in hac causa longe aliter se res habet. Iudices enim melius norunt causam quàm accusatores, quod hic & debeat Reip. & in arce scriptus sit inter ærarios. Nec fas est ei causam dicere. Itaq; singuli iudices, hic cum accusatorum locum obtinent, tum exploratũ habent, quam sententiam de reo ferre debeant, nec opus est nostra oratione. Reus uero nihil in iudicium adfert, quod sibi patrocinetur, non ius, non priuatæ uitæ dignitatem, uerum confidit elabi eiusmodi artibus quibus alij uel innocentes prægrauari se metuerent. Nam omnem salutis spem iste uexterator in eximia improbitate collocauit. Quod cum ita sit, non tam de Aristogitone iudicium fit, quàm de uestra fide. Nam si palam fiet, uos huiusmodi notis flagitijs succensere, & pœnas irrogare, incolumis erit autoritas uestra, uosq; & sanctos iudices esse, & legũ custodes uniuersa ciuitas prædicabit. Sin autem diuersum acciderit, quod cum fateri nemo ausit, tamen calculi prodent, uereor, ne dum perpetuo conniuetis ad huius flagitia, uideamini ciuibus uestris ludum improbitatis aperire. Nam improbus per sese parum uirium habet, sed si uestro præsidio tegatur, tum demum multum pollet. Id ut illi quæstuosum est, et ad potentiam retinendam conducit, ita uobis summo dedecori fuerit. Sed priusquam de causa dico, duxi uos paucis monendos esse,

ut consideretis, quantum istæ beluæ dignitati ciuitatis noceant, in quibus facile primas habet iste. Et ut cætera prætermittam, ueniunt in conciones, ubi uos dicendæ sententiæ potestatem eis feciſtis, non locum esse uoluistis improbitati & impudentiæ expromendæ, ac uociferandi, conuitiandi & calumniandi. Quæ cum officiunt maxime in consulendo, tum etiam turpißima sunt. Et his moribus oppressérunt omnia urbis instituta, leges, magistratus, relationes, ordinem dicendi sententias. Quod si uobis autoribus ista fiunt, non est quod magnopere laboremus: sin autem corrigenda, & Rempublicam ab istis labefactatam in pristinum statum restituendam esse ducitis, non ut hactenus consueuistis, sed seuere iudicare debetis, & uereri Deos, & inexorabilem ultricem scelerum Vindictam, quam Orpheus, qui uobis cerimonias tradidit, iuxta Iouis sedem assidere, & omnium hominum facta cernere dixit. Hanc cauete, ne contumelia afficiatis, & cogitate quod oculos in singulos defixerit, & quod hodie patria suam dignitatem apud uos deposuerit, & à uobis iusiurandum pignoris loco receperit, nisi eum cum hac religione ad iudicandum accesseritis. Sed negligentiam uestram, qua consueuistis uti huc adferetis, uereor ne hoc accidat, ut uos

potius

potius accusasse uideamur, quàm Aristogitonem. Nam si conuicto aduersario ad crimen usque adeo manifestum conniuebitis, hærebit in uobis perpetuo huius infamia iudicij. Sed de his satis. Ego autem ut familiariter uobiscum agam, & quod res est, dicam, cum me huic causæ actorem constitueretis, inuitus eam suscepi, quanquàm enim sciebam non impune esse talia flagitia designare, tamen uideo uos non ante expergisci ad sumendum supplicium de aliquo, quàm irritarit uos non uno scelere, nec faciat peccandi finem, uerum duxi uestræ authoritati obtemperandum esse. Existimabam autem Lycurgum de crimine dicturum, & testes producturum esse, quare ego uos commonefaciam, quàm diligenter eos, qui ad gubernacula in Republica sedent, conseruare leges deceat.

Et nunc ad ea accedam, modo uos concesseritis mihi pro meo more, meoq; iudicio causam perorare. Vniuersa hominum uita, siue magnas urbes incolant siue paruas, partim natura, partim legibus regitur. Natura uero incerta & uaria est, & sua cuiusque hominis. Leges autem communes omnium, idem omnibus præscribunt, quia enim natura praua est, sæpe improbum consilium capit in rebus gerendis, atque inde delicta omnia existunt.

Leges

Leges uero imperant iusta, honesta & utilia, & eo consilio leges conduntur, ut quæratur id quod honestißimum & utilißimum est. Quod cum fuerit deprehensum, fit edictum ac proponitur quo iuxta omnes teneantur, idq; lex est cui obtemperare omnes decet, cum propter multa, tum maxime quia lex inuentum & donum Deorum est. Decretum uero prudentum uirorum, emendatio delictorum, quæ uel consulto uel inconsulto admittuntur. Ciuitatis autem commune fœdus, iuxta quod uiuere omnes ciues decet. Porro Aristogitonem inter erarios esse constat, nec potest diuersum facile doceri. Etenim, cum duabus de causis leges ferantur, tum ut delicta caueantur, tum ut admissa puniantur, ut exemplum pœnæ alios absterreat. Hic commisit in utrunq; genus legum. Primum enim quia deliquit, mulcta ei dicta est. Deinde, quia in mulcta pendenda rursus non obtemperat, nunc in ius uocatur. Itaq; nihil ei relictum est, quo se excusare aut elabi possit. Neq; hoc dici potest Rempub. hac in re non lædi: Nam si huius calumniæ uicerint, exemplum ad omnes pertinebit, neq; erarius ullus quidquam persoluet. Et si cui condonanda mulcta est, certe modestioribus, & qui non grauiter peccarunt condonari debebit. Non huic audacißimo nebuloni & grauißimis de caußis condemnato. Quid enim

est

est grauius quàm falsa rogatione & iniquo iudicio, ut iste fecit, ciuem circumuenire ac necare? Iam, si omnibus condonaretis, tamen non patiemini uim uobis afferri & cogi uos, ut mulctam remittatis, quid enim aliud quàm uim parat iste? Postremo, ut cætera omittã, si huic ignoscetis, totus status Reip. conuelletur & labefiet. Dicam autem nihil uulgare, nihil superuacaneum, nihil ignotum uobis, si quis expendere uolet, quæres in ciuitate authoritatem senatus, concionis, aut iudiciorum defendat, aut Magistratuum uices gubernet, ut nouis ultro cedant priores perfuncti magistratu. Postremo, quæres tranquillitatem & salutem toti ciuitati adferat, inueniet tantum adferre cumulum bonorum leges, & quod his parere cogimur. Nam si his abolitis liceat cuiuis quicquid libuerit, non solum de Repub. actum erit, sed plane nihil intererit inter ferarum uitam ac nostram. Quid enim existimatis hunc facturum esse abolitis legibus, qui saluis illis tantum sibi permittit? Postquam autem secundum Deos salutem ciuitatis maxime leges tuentur, debetis perinde atq; cum publicum tributum exigitis, & obtemperantem iustis laudibus ornare, tanquam tributum ad publicam necessitatem liberaliter conferentem, & in eum qui recusat, animaduertere. Nam ut pecunia in commune confertur publicæ salutis

salutis causſa, ita ſua quiſq; facta ſentiat ad commu nem ſtatum ciuitatis pertinere. Si quis committit in leges, non id priuatim tantum ad autorem facinoris pertinet, ſed quantum in ipſo eſt, maxima ciuitatis ornamenta & præſidia uobis eripit, & uniuerſum ſtatum ciuitatis labefactat. Quod ut faciam ueriſimile, unum atq; alterum exemplum ex ijs quæ maxime inſignia ſunt recitabo. Quæ res à conſilio ſenatus de arcanis rebus deliberantis, multitudinem quo minus irrumpat, prohibet? num cancellitam fragiles? In Areopago cum ſenatus in regia porticu ſedet, num funiculus excludit uulgus, ne ſenatum interturbet? Quæ res Magiſtratibus rite creatis, cum preconis uoce reliquus populus ſubmotus fuerit præſidio eſt in legibus conſeruandis? & alia multa. Denique omnia quæ decent in ciuitate bene conſtituta, liberorum erga parentes obſeruantia, reuerentia erga maiores natu, ordo in actionibus omnibus, legum beneficio retinentur, quæ à turpitudine ciues, ab immodeſtia, ab iniurijs, ab impudentia deterrent. Petulans enim & audax improbitas eſt & alieni cupido: Contra, probitas amans eſt tranquillitatis, uerecunda, contatrix, nec facile à ſuo ſtatu deijcitur. Proinde, illi qui res iudicant, conſeruare leges, & earum robur defendere debent, quarum ope adiuti boni in ciuitate incolumes

lumes sunt. Sin autem sinetis eas exolescere, dissoluetur status Reipub. & omnia confundentur: & ut quisq; est improbissimus, ita plurimũ poterit. Qualis enim bone Deus, status erit Reip. si singuli Aristogitonis audaciam imitentur, et existiment licere, dicere & facere quicquid libet. Si sit impune, & si contemnant bonorum de se opinionẽ. Si quis alium nulla causa occidat: si priuatus sumat sibi id quod ad Magistratus proprie pertinet. Si nec iuuenes descripta munera obeant, nec senes suum officium faciant, deniq; si refixis legibus suam quisq; libidinem pro lege atque imperio habeat, in huiusmodi moribus cedo, cuius uita in ciuitate in tuto erit? Quare legum autoritas incolumis esse debet. Quàm multa enim uiolenta consilia, quàm uariæ iniuriæ, quæ contumeliæ quotidiæ in omnibus urbibus susciperentur? cum modo & tranquillæ sint & suo quæq; ordine faciant. Denique, quid opus est uerbis in re manifesta? Nam uel inde apparet leges parere tranquillitatem urbibus, quod cum omnes sortiantur, tamen hi tantum iudicant res quorum sors uincit. Quare? quia & sorte ducti sunt & renunciati iuxta leges, & cum uobis leges iudicandi potestatem fecerint, turpe erit absoluere eum, qui uim contra leges parat, & non succensere, aut incandescere propter tanta flagitia. O execrabile scelus, cum

tua

tua licentia, non cancellis, non foribus, sed mulctã eaq; perscripta in arce septa & frenata sit, tamen huc irrumpere audes, unde te leges procul extrudunt, multo ante confossum tribus iudicijs, à censoribus, à quæstoribus, & cum per calumniam alio oppresso condemnatus es, & tantum non ferreis cathenis alligatus, tamen huc diruptis uinculis irrepsisti, & inani prætextu putas te leges omnes elusurum esse. Sed adferam uobis exemplum, quod doceat non esse negligendum legum contemptum, uel in paruare. Nam, si quis descriptos ciuium ordines turbare uelit, & consulat ex militum aut præfectorum rei nauticæ, aut classiariorum numero aliquot exemptos oratoribus addendos esse, hunc haud dubie occideretis uelut perturbãtem ciuitatis statũ, idq; iure. Porro quanto grauius hoc malũ est, potestatem facere capessendæ Reipu. aut per uim aut destinatis carceri, aut infamia notatis, aut ærarijs, deniq; hoc genus alijs qui & habentur, & re ipsa sunt sceleratiquæ omnia in hunc competũt. Itaq; ego statuo iam olim hunc ea perpetrasse flagitia, quæ capitalẽ pœnã merebantur. Quantum autem audebit, si uestra authoritas, quod Dij prohibeant, potestati eius robur addiderit? Mirum autem esset neminẽ id scire hunc ad nullam Reipub. partem gerendam idoneum aut utilem esse. Dij meliora, quàm ut tanta bonorum uirorum

rorum inopia sit, ut aliqua Reipu. pars ad Aristogi
tonem deferenda sit, qui ad quas res idoneus sit, ab=
ominor dicere. Quod si tamen tanta est inopia ho=
minum, satius fuerit prorsus nullos esse Magistra=
tus, quàm tales præfici, quibus uoluptas esset euer=
tere Rempublicam. Nam quod tantum scelus est,
quod non audeat hic homuncio suscipere, inflamma
tus ueteri, & paterno odio erga populum, non alius
ad euertendam urbem magis idoneus inueniri pos=
set. Non uidetis quod mores eius priuatim, & acti=
ones omnes publicè non ratio, non pudor, sed despe=
ratio gubernat. Neq; enim alia res eum ad suscipi=
endas has actiones omnes incitat, nisi desperatio.
Quod cum singulis exitiale malum est, tum Reipu.
nullo modo tolerandum. Nam desperati cæci præ=
cipitant in pericula, nec diligentia & consilio salu=
tem suam muniunt, & planè casu fit, ut incolumes
euadant aliquando. Quis igitur sanus aut suam, aut
patriæ salutem eiusmodi homini cõmittat? Quis
non procul fugiat, & desperatũ longe à Repu. sub
moueat, ne quis in talem uel præter opinionẽ inci=
dat. Nam eos qui urbibus consulunt, quærere opor
tet, non quorũ temeritate euertant Rempu. sed quo
rum prudentia & diligentia sustentent. Nam fœli=
citatem prudentia omnibus hominibus parit. Te=
meritas eo abripit, quorsum auferre illum opor=

tebat. Videte uero non tam orationem meam quam cõmunem hominum uitam. In omnibus urbibus aræ atq; templa Deorum sunt, in his etiam prouidentiæ aræ sunt tanquã magni numinis. Est & apud Apollinem in Delphis ipso templi aditu Prouidentiæ ara, & est Apollo ipse uates, prospiciens atq; monens in utranq; partem quid sit optimũ, neq; ulli generi hominum desperationis et impudentiæ aræ sunt, sed iusticiæ atq; uerecundiæ, quarum sanctissimæ aræ sunt in animis bonorum. Communes uero ideo conditæ sunt, ut uirtutes illas omnes coleremus, tanquã numina, non impudentiam, non calumniã, non periurium, non ingratitudinem, quibus iste uitijs laborat omnibus. Fugiet autem in defensione rectam uiã defendendi causam. Sed extra causam conuitia, & calumnias in me congeret, & minabitur mihi accusationem, uadimonium, iudicia quæ audietis omnia commentitia esse, cum res illæ antea sæpe iudicatæ sint. Sed obmittam uetera, septies uocauit me in iudicium, locans operam suam quibusdam proditoribus, & bis accusauit me referentem rationes. Ego uero Deorum beneficio euasi, tu uictus cum infamia discessisti. Num si hodie liceret tibi leges omnes tollere, rursus ijsdem de rebus mihi tecum certamen subscipiendum esset? Non opinor, biennio iam toto agit causas legibus uetantibus, & agit tamen. Fecit impe-

impetum in plerosq; alios, quos iudicauit Rempu. læsisse. At à me, quem acerbissimè odit, à Lycurgo abstinuit, in quos tamen nũc atrocissimè inuehetur. Est autem utrunq; dignum reprehensione, & quod dissimulauit, si quid nos peccare uidit, impetu interea facto in homines plebeios & inopes, & quod nunc demum nos falso criminari, & uobis fucum facere audet. Si quis igitur in hac urbe calumniatorẽ conducturus sit, ne utatur isto. Nam qui alios accusare audebit, eum oportet integræ famæ esse, ne reus elabatur cum nihil autoritatis ad accusationem actor adfert. At nemo est perinde omni genere uitiorum coopertus ut iste. Quid est igitur? Canis ut aiunt publicus. Qualis? Lupos, quorum depellendorum causa alitur, non mordet: Oues autem ad quas custodiendas adhibitus est, dilaniat. Quem enim Rhetorum sic uexauit, ut priuatos, quorũ subinde aliquem mordicus arripit, & calumniatur. Quem nostri ordinis accusauit? neminem. At multos interea, ex quo cepit rursus causas agere, idiotas in ius uocauit, à quibus tamen superatus est. Scitis autem eos canes, à quibus periculum gregi est, necari solere. Itaq; ne hic euadat impune. Nullius enim usus in Repub. est, tantum delegit sibi execrabile quoddam negotiũ, calumniatur in concionibus, & temere inuadit in omnes, & cum ibi per fraudem uos sibi con

uinxerit uniuersos, deinde excruciat singulos, calũniatur, accusat, pecuniam extorquet. Verum Rhetores non attingit, qui norunt eius audatiam retundere. In idiotas & imperitos sæuit: Cuius mihi rei testes erunt, quicunq; ab eo uexati sunt. Sed hæc fatemini, uerum quia accusator bonus & utilis urbi sit, seruandum putatis. Quid uos ex ipsius oratione hoc æstimabitis, cum re ipsa diuersum experti sitis? toto quinquennio dum mulcta prohibuit, à foro abfuit, nihil interea fuit, cur hũc desideraremus. Nunc cum redijt in fõrum, quid acceßit Reipub. cõmodi? mihi sic uidetur urbem, ex quo iste desijt in foro uersari, multo tranquilliorem fuisse. Iam, quia rursus agit causas, tanquam hostiliter obsidens urbẽ, seditiosis & tumultuosis concionibus concutit. Volo itaq; quædam uel cum periculo adijcere, et cũ his expostulare, qui ideo eum seruandũ esse dicũt, quia eius usus in accusando multus esse poßit, de quibus quid sentiendũ sit, uos uideritis. Ego hoc tantum dicam, quod male sibi prospiciunt, qui se isti adiungunt, nec ego quenq; iudicum inter eos pono. Decet enim me de uobis melius sentire et loqui. Sed ex reliquis ciuibus in illo sodalitio Philocraten recenseo, siue discipulũ siue Magistrum Aristogitonis, hunc unũ nomino, ne plures à me probro adficiendi sint, non quod ũnus hic eum tueatur, id quod sanè optabile erat, sed

quia

quia uerecundia quadam prohibeor multos probro adficere, nec ego iam aduersus alios institui oratio-nem. Postremo, etiam unius mentione, reliqui se cõ-monefieri sentiant. Neq; uero hic excutiam, qualibus moribus esse oporteat eos, qui tantopere delectantur Aristogitone. Cupio enim à conuitijs absti nere, sed hoc dissimulare non possum, si simpliciter nequam homo est Aristogiton, & uirulentus calumniator, planèq; talis, qualem perhiberi se studet, permitto tibi, ut tui similem defendas Philocrates, nec tu, si reliqui ciues uolent leges conseruare, multum promoueris. At cũ uelut caupo improbitatis quæstum ex impostur arũ uenditione faciat, & tanquam uenalicius omnia, quæ agit uenalia ultro habeat, quid eum acuis? nam ut coco nihil est opus cultro retuso, ita nec tibi Aristogiton usui esse potest, uolenti per eum alios lædere, cũ pecunia abduci à te ad præuaricandum possit. Atqui nihil attinet exempla tibi recitare: sunt enim tibi nota. Meministi Hegemonis actionem, scis ut tibi pecunia expugnatus, desiterit ab accusando Demade: postea ut prodiderit quendam olearium. Has causas initio magnis clamoribus agebat, & triumphans sibi uictoriam gratulabatur, & omnia sursum ac deorsum in concionibus mouens, minabatur reo supplicium & cruciatus. Postea cum ille absolueretur, mutus erat, acce-

perat enim pecuniam. In accusatione Democlis, quàm callide prævaricatus est. Præterea innumera alia, quæ mihi difficile est meminisse, tibi notiora sunt, qui earum actionũ exempla domi transcripta habes, solitus ei operam tuam uendere. Proinde, si quis talem suscipit defendendum, is & suos prodit, & naturæ cum bonis uiris inimicitiam exercet, nisi putat in urbe uelut agricolæ semen & radicem aliquam sycophantarũ relinquendam esse. Verum id nec honestum est, nec pium, neq; enim maiores existimo iudicia cõstituisse, ut talia portenta ibi saginetis. Sed econtra, ut coherceatis ac puniatis, & ne improbitas ulli lucro sit, aut expetenda uideatur. Porro, quàm difficulter improbi coherceantur, potest hinc coniectura fieri, quod cũ Aristogitone adhuc in iudicio concertandum est, quanq̃ multo ante condemnatus sit, & iam olim pœnam persoluere debuerit. Quid tandem agemus? aut dicemus? eo uentũ est audacia, ut ærarius aliquis, cui foro interdictũ est uociferari in iudicijs, calumniari, minari nõ cesset. Cum argentum ei duces, quibus id commendaueratis, non reddidisset, uociferabatur eos, ne quidẽ dignos esse, quĩ cloacis præficerentur: nec uero ipsos contumelia adfecit, nam parua pecunia obiecta, poterant ei os obstruere: sed ad uestra suffragia contumelia pertinet, in qua insigne specimen improbitatis suæ edidit,

edidit, legitimos Magistratus lacerans, exigens pecuniam, multipliciter lædens, deniq; annixus ut seditionem concitaret, confictis falsis literis, & totam ciuitatem perturbaret, homo ad hoc factus & sculptus, ut in omni uita alijs incõmodet: uidete enim cũ sint circiter xx. millia ciuium, neminem esse puto in his, qui non certũ aliquod negotium habeat, aut publicum, aut priuatum. At hic non potest nominare, quam artem, quod negotiũ dignum, uel mediocri cũ ue, uel nobili exerceat, nec uersatur ullo in genere occupationum, quæ sint dignæ ciue, non exercet opẽficium, non agriculturam, non aliud negotium ullũ habet. Nullam consuetudinem, aut societatem uitæ, uel officiorũ cum ullo communem habet, sed incedit per fõrum, ceu uipera aut scorpius exerto aculeo, quem huc atq; illuc uibrat, & circumspectat, cui malum machinetur, quem falso crimine opprimat, cui terrorem incutiat, ut inde pecuniam exprimat, nec adit ullam in urbe tonstrinam, aut myropolium aut alias officinas, nullas necessitudines, non fidem pensi habet, non cõmunicat beneficia, non colit amicitias, non cætera bonorum uirorum ulla officia præstat. Sed cum his uersatur, cum quibus pictores fingunt impijs ac sceleratis esse commertium apud inferos, cum diris, cum criminatione, inuidia, seditione, contentione.

Et cum ueriſimile ſit, ne quidem apud inferos Deos propitios habiturum eſſe, ſed ad ſceleratos propter improbitatem detruſum iri, cur uos peccantem non modo non punietis, ſed etiam honore auctum abſoluetis, uelut præclarè meritum de Repu? Cui enim ærario unquam in hac urbe licuit Magiſtratus capere, aut obire alia publica munera, niſi ante perſoluta pecunia, quam ciuitati debuit? Proinde, id neq; huic concedite, ſed uel exempli cauſa ſupplicium de eo ſumite. Verum utile eſt audire & alia eius immania flagitia. Nam quæ commemorauit Lycurgus, tametſi ſint horrenda, tamen reſtant alia atrociora. Inuenietis itaq; reliqua illis non diſſimilia, planeq; ab eodem ingenio profecta. Nam præterquam quod prodito patre ex Eretria aufugit, poſtea etiam illum mortuum nõ ſepelijt, & non modo ſumptus funeris his, qui ſepelierant, non reddidit, ſed eos etiam in ius uocauit: & præterquam quod non abſtinuit manus à matre, ut paulo ante audiſtis, ſororem etiam ſuam exportatam uendidit, ut in accuſatione adparet, quã iſte bonus frater inſtituerat pro ſorore, qui iam hunc ſceleratum defendit. Præter hæc tãta ſcelera, maius aliud & horribilius audietis. Nam cum effracto carcere elapſus eſſet, profugit ad quandam mulierculam, cum qua conſuetudinem antea habuerat, apud hanc primis aliquot

quot diebus latuit, quibus eum censores quærebant. Estq; ab ea fugiens uiatico donatus drachmis octo, & tunica, & pallio: Hanc miseram, à qua tantum beneficium acceperat, postquam apud uos rursus in gratia, & aliqua dignitate esse cepit, cum suo necessario tempore flagitaret sibi reddi gratiam, uerberauit, & multa minatus domo expulit. Sed cum illa impatienter ferret hãc contumeliam, ut sunt imbecilla mulierum ingenia, & ea de re quereretur apud notos, iniecit iste per uim ei manus, & pertraxit ad Libertorum forum, ubi nisi statim numerasset pensionem, in inquilinos constitutam, uendita esset ab eo quẽ ipsa seruauerat. Quod hæc uera sint, accerse mihi hunc, qui actionem aduersum patrem instituta uoluit cognoscere, et arbitrum litis, quam pro sorore intenderat isti frater, & caput actionis adfer. Adcersas, & mulierculæ tutorem & patronum ad quos iudices adduxerit eam. Antea uehementer stomachabimini, cum audiretis hunc accusasse eos, qui contulerant pecuniam seruandi eius caussa, nunc non uidebitur multo indignius sic uexatos esse parentes, sororem, seruatricem mulierem? O execrandum monstrum, & à consuetudine hominum procul deportandum. Quæ pœna satis digna pro tantis flagitijs excogitari potest? mors non satis supplicij fuerit. Adijciam unũ præterea factum plane

proprium, ac genuinum naturæ huius, cætera præ-
termittam.

Priusquam euasisset è carcere, cum eodem ali-
us quidam coniectus esset, qui forte secũ syngraphã
sibi oppignoratam eo intulerat, hunc adit iste, tan-
quam aliud agens surripit tabulas. Ibi cum quere-
retur alter, sibi surreptas esse tabulas ab isto, eo a-
mentiæ prorupit iste, ut nihil dubitaret illum uerbe
rare. Sed cum ille recens captus, cuius adhuc uires
integræ erant hunc aridum superaret, memorabili
facinore iste periculum discussit, nasum enim alteri
præmordit. Sic ille accepta tali plaga, calamitate
fractus destitit tabulas reposcere aut quærere, nec
multo post inueniunt eas in arca, cuius clauis penes
istum erat. Hanc ob caussam in ea domo factum de-
cretum, ne quis ignem, lychnum, potum, cibum, aut
quicquam cum isto commune haberet, nec ab eo roga
rit, nec ei utendũ præberet. Et quod hæc uera sint,
accerse mihi istum, cuius admorsum nasum deuora-
uit. Egregia facta Rhetoris commemoro, dignũ est,
scilicet hunc tali ore, consilium Reip. dare Iam non
pudet uos cũ sceleste ac damnati homines in carcere
tale de eo iudicium fecerint, ut interdixerint ei con-
suetudine aliorum, hunc in ciuium numerum reci-
pere, cum eum leges ciuitate exigant? Sed quid uer-
bis opus est, nihil fecit unquam dignum laude, nihil

non

non alienum officio boni uiri. Adeo est impius, crudelis, sacrilegus, sycophanta, & cum his moribus audet in omnibus concionibus uociferari, se unum reliquum esse Reipublicæ columen, alios omnes conspirasse in perniciem ciuitatis, proditos esse ciues, denique se unum præstare debitam populo beneuolentiam. Verum expendamus quibus ex causis tanta erga uos beneuolentia manauerit, ut si uera est, credatis ei uestram salutem: sin autem falso simulatur, caueatis. Ideo ne uos tam familiariter amat? quia patrem eius capite damnastis, & matrem, quia manumissa patronum deseruerat, condemnatam uendidistis? propter hæc arbitramini uos illi usque adeo charos esse? uerum nihil alienius fingi potest. Nam si parentes amauit, & naturæ iura seruauit, communiter & hominibus & brutis indita, ut amore parentum adficiantur, necesse est eum iniquum esse, his per quos parentes amisit.

Itaque non dubium est, quin sit infestissimus huius ciuitatis hostis. Sin autem nemini ciuium succenset, quis illi fidem habeat, cum ex animo parentum amorẽ eiecerit, adfirmanti quod uobis bene cupiat. Ego non modo nihil ei fidei habeo, sed & Dijs inuisum iuxta ac hominibus esse existimo, qui parentes neglexerit. Sed quia condemnastis eum re-

latum

latum in ærarios, & bis conieciſtis in carcerem, & ipſum & fratrem, num ideo uos impenſe amat? Id uero ſtultum eſt credere. An ne quia repulſam paſſus eſt petens Magiſtratum, aut quia condemnatus eſt in iudicio, rogatæ legis pernitioſæ: aut quia quinque talentis mulctaſtis, aut quia digito hunc oſtenditis, cum improbiſſimum nebulonem deſignare uultis, aut quia ſaluis legibus non poteſt eſſe incolumis, aut quia natura impudens eſt? Atqui impudentis appellationē inde meretur, quia mentiri palàm nihil pudet. Poſtremo etiam de cauſa, ea quæ prætermiſiſſe Lycurgus uidetur, dicenda ſunt. Eſt autem in hoc iudicio perinde nobis faciendum, atque ſi de funebri pecunia cognitio fieret. Si enim adcuſaretur aliquis debere certam pecuniam: At ille contra negaret, ubi cognouiſſetis quo pacto ſumptum mutuum eſſet, & prolatæ literæ eſſent, iudicaretis impudentem eſſe eum, qui ſe debere negaſſet. Sin autem deeſſent teſtimonia, accuſator impudens diceretur. Ita & hæc res ſe habet. Extat pactum ex quo debet Ariſtogiton, leges uidelicet, quarum authoritate in ærarios relatus eſt. Cautio, tabula poſita in arce, in Mineruæ phano, quod ſi iſta ſublata ſunt, & deletum nomen, nos ſtulti & iniuſti ſumus qui hunc poſtulamus. Sin adhuc extant tabulæ, donèc Reipublicæ ſatisfactum fuerit, ſcelera-

tus

tus est Aristogiton, qui ius publicum abolere conatur. Neque nunc iudicium est, omnia ne adhuc debeat, sed tantum hoc quæritur, utrum debeat. Et cum atrox pœna constituta sit in eos, qui relati sunt in ærarios, etiamsi alioqui leuiter peccarint, ne sit ei impune qui magna flagitia admisit, etiam si semel atque iterum ad diem dependerit aliquantum. Et sunt, ut scitis, mulctæ tres perscriptæ in arce, propter quas in ius uocatus est: & iudicio uictus est, duas mulctas debere, de tertia litigat adhuc, & Aristonem in ius uocauit, à quo iniuste ait se in ærarios relatum esse. Sed fac ab Aristone iniuriam tibi factam esse, non tamen tibi licuit iure agere. Sed prius oportuit te persoluere reliquas mulctas, & facere iudicatum, quàm cuiquam litem intenderes. Si enim licet tibi agere in foro, tanquam his qui non sunt infamia notati, qua tandem iniuria quereris te adfectum esse, cum etiam condemnatus, nihilominus ea agas, quæ licent his quorum integra dignitas est. Iam & hoc considerate, si uicerit Aristonem, quid futurum sit. Si enim deleto huius nomine inscribatur Aristo, quæso utrum is cuius exemptum ex ærarijs nomen est debeat postea? & donec inter ærarios est non debet? Nam hoc agit Aristogiton, ut donec ærarius est, non sit infamis, quod si non est infamis donec ærarius est, scilicet infamis erit exemptus

emptus ex ærarijs? Atqui hoc absurdum est. Porro tunc debere desinet, cum nomen eius deletum fuerit, quare interea dum id extat in tabulis debet. Sed quis eximet eius nomen ex ærarijs? Id ciuitati curæ erit, nec est priuatæ potestatis eximere nomen ex ærarijs. Hoc uero iniustissimum est, eum in iudicio periculum partim salutis, partim dignitatis creare illis, à quibus rerum capitalium condemnatus est. Quem enim leges uetant ciuium iure uti, is insanabilibus malis conatur alios afficere. Quod quàm turpe sit, quam alienum à ciuitatum moribus, quàm pernicioſum, nihil attinet dicere. Ego cum hoc considero, cœlum terræ misceri uideo, qualis autem fuerit confusio rerum, si terra sursum rapiatur, cœlum irruat in terræ locum, sed hæc inquiet aliquis, fieri nequeunt. Immo tum misceri & confundi omnia existimate, quando uestræ sententiæ absoluunt eos, quos leges condemnarunt, quando improbitas uirtutis premia intercipit, & honore adficitur: econtra, uirtus conspuitur, & contemnitur, quando ius & publica utilitas inuidia uincuntur. Postremo eorum qui in iudicijs periclitantur, et causam tenere nõ possunt, animaduerti alios sperare dignitatem anteactæ uitæ præsidio sibi futuram esse, alios confidere nobilitate & maiorum meritis, alios suis erga Rempublicam beneficijs,

quæ

quæ commoueant iudices, & ad misericordiam flectant. Hic nullo horum locorum uti potest, omnia hæc uideo ei periculosa & prærupta ac uoragines esse. Nam quæ merita patris adferet, quem uos, quia capitali iudicio damnastis, improbum & indignum hac ciuitate esse statuistis? Sed sua uita eum tuebitur, siquidem patris memoria non subleuat, uerum hæc neutiquam secunda fama transacta est. Sed collationes pecuniæ allegabit, patris ne? Cuius nullum beneficium in Rempublicam commemorare potest. An suas? uerum ibi non collationes, sed delationes, uadimonia & accusationes, quibus uexati ciues sunt, reperietis. Sed in cognatorum dignitate qui pro eo deprecantur, spem aliquam salutis positam habet. Atqui nullos unquam habuit cognatos, ut qui non sit ingenuus. Adest ei tamen in hoc iudicio frater, à quo antea in quodam iudicio uexatus est, de quo quid aliud dicam quàm fratrem esse, non modo germanum, sed etiam geminum. Hic, ut cætera prætermittam, cum occidissetis scelestam illam ueneficã Lemniam, emit uenena, & incantationes ab illius ancilla, quæ de misera domina indicium fecerat, eamq; prodiderat, ex qua liberos iste suscepit, nunc incantationes & præstigia ad quæstum contulit, et profitetur se medicum eorum, qui comitiali morbo laborant,

cum

cum ipse sic omnibus animi uitijs laboret. Huius ne uenefici preces apud uos ualebunt? quem si quis uideat, tanquam malum omen auersetur, potius quàm salutandum iudicet, qui in se ipse capitalem pœnam in illo iudicio constituit, cum fratrem accusaret. Postremo, quæ reliquis omnibus de capite periclitantibus, spem faciunt, non à reo, sed à iudicum natura domo in forum allata, misericordia, uenia, humanitas, hæc nullo modo fas est aut æquum Aristogitoni prodesse, quia quali quisq; erga alios animo est, tali animo uicißim erga ipsum æquum est illos esse. Quo modo autem adfectus est Aristogiton erga omnes? Iuuat ne eum uidere alios florentes opibus, ac dignitate? aut quæ officia alijs communicat, ut uideri uita dignus posßit, cum ex aliorum malis uitam suam sustentet? Quem ciuem non iniquis iudicijs circumuenire & exagitare studet? Id arat unum, id metit, id exercet iste scelestus, quem tanquam piaculum aliquod execrari omnes debent, nempe publicum hostem omnibus ciuibus infensum, cui neq; terra uictum parit, quemq; nec recipere mortuũ uolet. Cum autem innumeros calumniatus sit, qua cedo misericordia erga eos usus est? quos capitali supplicio condemnauit, priusquam uel unus calculus in urnam coniectus est. Porro hi in quos crudelißime sæuijt, à iudicibus uestris seruati et absoluti

soluti sunt, nec quinta pars calculorum Aristogitoni suffragata est. Et in illis iudicijs licuit huius acerbitatem & crudelitatem uidere & experiri, non enim liberos, non matres eorum, quos accusauerat, quasdam etiam senio confectas, quæ sordidatæ in iuditio producebantur, respiciebat. Cur igitur tibi, aut tuis liberis ignosceretur, postquam tu ignoscendi morem non modo soluisti, sed planè sustuliisti. Ne igitur ad eos applices, & confugias, quos naufragantes à portu exclusisti, imò quos de portu oppugnasti & adflixisti, non enim aut æquum, aut tutum est. Nunc si audieritis, quæ conuitia in fòro circumueniens in populũ dixerit, magis etiam odio habebitis, neq; id iniuria, uociferatur enim multos alios ærarios esse, eosq; similiter peccare atq; ipse peccet. Ego uero non nego multos esse calamitosos ciues, sunt enim plures quàm uellem, etiamsi unus tantum aut alter fuerit, uerum hi nullo modo similes Aristogitoni sunt. Quantũ enim inter eos intersit, uidete. Neq; uero putent me ærarij orationem aduersus se instituere, nam id neq; hoc in loco fieri cõuenit, neq; in animum induxi quenquam lædere, sed hoc cupio uobis ostendere, quantum omnes ærarij eum odisse debeant, cõmunicantem suam causam cum ipsis. Et enim bonos uiros, etiamsi iniquitate fortunæ circumuentos & obæratos, in quorum uita aut mori-

bus nulla turpitudo, aut infamia hæret, contume-
lia adficit, & in suo ordine summa cũ iniuria connu
merat, nihil enim simile eius factis alij admiserunt,
qui cum rogationem tulisses, ut tres ciues indemnati
necarentur, turpiter in iudicio uictus es. Eamq; ob
causam capitali supplicio adficiendus eras. Num si
mile huic est, pecuniam & mulctam grauiorem opi
nione non posse ad diem persoluere? Neq; leue ar-
gumentum crudelitatis eius & hoc est, quod quantũ
in ipso est, prohibet & uos erga ciues uestros huma
nitatem & clementiam, qua soletis uti, præstare.
Nam quemadmodũ mutua inter se facilitate utun-
tur, hi qui in una aliqua domo uiuunt, sic uos publi
cè mutua comitate inter uos utimini, ut enim priua
tim, quanquã patrum, filiorum, & nepotũ dissimi-
les uoluntates, dissimilia studia sint: nam iuuenum
mores nihil simile senilium habent, tamen ita iuue-
nes se comparant, si modo sint mediocres, ut non cu-
piant palam offendere parentes & senes, cum sum-
ptus iusto maiores, aut ludos uident, dissimulant hoc
se uidere, eaq; res tranquillitatẽ parit, dum pro suo
cuiq; ingenio uiuere licet. Ita in Repu. uelut una in
familia summa humanitate inter uos utimini. Et
enim qui calamitates tenuiorum norunt, uidentes
non uident, ut in prouerbio est, & audientes non au
diunt. Rursus illi & tegere sua incõmoda cupiunt,

&

& infamiam metuunt. Inde publica concordia, quæ una omnia bona ciuitati affert, firma manet. Hanc consuetudinem fixam in animis ac moribus uestris, tollere & abolere Aristogiton conatur. Et cum alij errata sua, iniquitate fortunæ contracta, clam habere cupiant, hic palam studet delinquere, tanquam suspensis nolis se prodit, & licentiã suam ostentat. Neq; eum senatus, neq; preco, neq; gubernator concionis, neq; præsidens tribus cohercere possunt. Non igitur simile conuitium est, si quis petulantia tua prouocatus, & abs te contumelia adfectus, ærarium te esse dicat, & si tu regeras idem conuitium in istum. Nam cum tu præterquã quod ærarius es, multa scelerate feceris, magna iustáq; causa est te insectandi criminandiq;. Reliquum est igitur si uobis nihil ab illo periculi amplius esse uultis, cum leges uos cõmoneant, quale in eum exemplum statuere de beatis, ut eum capitali supplicio afficiatis, aut si ea pœna non placet, tantam mulctam dicatis, quantam non possit persoluere, neq; enim aliter unquam ab illo liberabimur. Nam pro diuersitate ingeniorum alij aliter tractandi sunt. Qui enim moderatis ingenijs sunt, sua sponte recte faciunt, alij deteriores, quos tamen pudet palam improbos uocari, quia metu Legum & infamiæ continentur, peccare cauent. Deterrimos uero illos, & quos uocant conscelera-

tos constat, non nisi supplicijs coherceri posse. At Aristogiton ita uincit omnes improbitate, ut ne quidem toties admonitus resipiscat, non enim desinit eadem flagitia iterare, & tanquam ad eundem lapidem sæpius impingere. Quanto autem leuius peccatum erat, quod initio admisit, rogationem contra leges ferre, & quo hæc grauiora sunt, accusare, uersari in foro, calumniari, conuadari, conuitiari, periculum capitis machinari, accusare perduellionis, maledicere honestis ciuibus, atq; hæc facere eũ, qui ipse sit ærarius, eo grauior pœna in eum constitui debet. Hunc enim uelle admonitum dimittere, insania est, qui cum nunquã fractus impetu populi, quo castigari solent, qui ciuitati molesti sunt, cesserit, scilicet unius alicuius uerbis castigatus rediret ad sanitatem? Immedicabile malum est ciues, huius improbitas. Quare sicut medici solent cancrum, aut phagedænam & similia, quæ curari aliter non possunt, urere aut excidere: Ita oportet & hanc beluam uos deportare, et ex urbe eijcere, nec expectare dum uobis nocuerit, sed ne quod damnum dat, cauete. Vt enim quamuis neminem uestrum uipera, aut phalangium læserit, tamen eiusmodi omnia uenenata conspecta mox interficitis: Ita, cum in uirulentum sycophantam, qui uiperæ similior sit, quàm homini, inciditis, ne expectate donec aliquem mordeat, sed ubi

ubi primum occurrerit, pœnas det. Lycurgus uos per Palladem, & matrem Deorum obtestatus est, ego uero uos per maiorum uestrorum egregia decora obtestor, quorum memoriam ideo nulla unquam delebit obliuio, quia ita gesserunt Rempub. non ut cum improbis colluderent, sycophantas alerent, qui ciuium odia inter ipsos excitarent, acuerentq;. Sed cum ex oratoribus, tum ex priuatis eos, qui modesti ac tranquilli erant, honore afficiebant, improbos & turbulentos oderant & puniebant, & inter se uirtute, non odijs aut malis artibus certabant. Postremo, unum hoc adijciam, cum exibitis è curia, uidebunt uos & Magistratus, & hospites, & ciues, & intuebuntur singulos, & ex ipso oris habitu coniecturam facient de his, qui hunc absoluerint. Quid igitur dicetis, cum prostratis & proiectis legibus exibitis in publicum? quo uultu, quibus oculis alios aspicietis, aut quo ore rursus in ædem, ubi legum tabulæ sunt, ingredi audebitis, quarum salua autoritas esse non poterit, nisi nunc eas defenderitis? Quo modo in arcem nouilunio ascendetis pro ciuitatis statu sacra facturi, cum cogitabitis uos, & iusiurandũ, & publicas tabulas ibi positas, in quibus & hic, & huius pater præscripti sunt, uiolasse? Quid respondebitis? si quis eos, qui hunc absoluerunt, causam sui iudicij interroget, num placere eum uobis dice-

tis? At hoc nemo dicere audebit: nemo enim in so-
cietatem scelerum Aristogitonis summa cum turpi-
tudine uenire uolet. Nemo non uolet uideri illum
sua sententia iugulasse. Nemo non quo se suspitio-
ne liberet, uehementer execraturus est eos, qui ab-
soluerunt. Verum nihil opus est inuidiam metuere
cum summam gratiam eius damnatione apud om-
nes inire positis, cum ciues, tum hospites. Nam
permanauit ad omnes improbitatis huius fama, ne-
que quisquam est, qui non & optet liberari
ab hac peste, & omnibus uotis expe-
tat, ut supplitium de eo su-
matis.

Oratio

ORATIO DEMOSTHE nis contra Aristogitonem secunda, uersa à Vito Vuinsse= mio.

Atis iam manifeste, ut opinor, pla num est redditum, Iudices, Aristo gitona esse ærarium, & cõmuni ci uium iure priuari, neq; illi ullam potestatem publicè dicendi à legi= bus permitti. Reliquum igitur aliud nihil est, nisi ut ille refrenetur & compescatur, quicunq; in leges cõmittit, præcipuè si sit in Magistratu, & officium aliquod publicum administret. Nam ut per bonos Magistratus, qui leges saluas cupiunt, atq; pro pu= gnant, maxime floret Respub. ita nihil illis noceni= tius est, qui per improbitatem leges contemnunt. Quamobrem si semel potestatem permiseritis illis, qui cum imperio sunt, discedendi à legibus atq; ab illo præfinito ciuitatis iure, illorum profecto impro bitas, in nos omnes redundabit, qui hanc urbem in= colimus. Quemadmodum enim in naui, si quis ex seruis aut nautis illis inferioribus peccet, non ita ma gnum est incommodum: uerum si ipse gubernator aberret aut delinquat, necesse est omnes periclitari qui in eadem sunt naui. Ita in ciuitate, quidquid de=

lirant priuati homines, ipsis tantum authoribus ob est, neq; spargitur illud incõmodum in totam ciuitatem. At si ipsi Magistratus atq; Reipub. principes rem malè gerant, fieri non potest, quin tota ciuitas particeps fiat infortunij. Quæ causa fuit, cur Solon priuatis hominibus pœnas tardiores constitueret: Magistratibus uero ueloces. Nam in illos aliquandiu extrahi potest uindicta, de his nullum est simendi supplicij spacium, si per ipsos prostrata & uasta iaceat Respu. Nemo uero est adeo impudens, qui tantum sibi sumat, ut his tam iustis ciuitatis institutis et legibus repugnare, aut contra dicere audeat, præter unũ Aristogitona, cuius quanta sit audacia atq; improbitas, uel ex hoc opinor satis deprehendi potest. Nam reliqui Magistratus omnes, si quid in illos constituistis, obtemperare solent, & bona cum uoluntate, ab illis, si uobis uisum sit, impetrari potest, ut Magistratu se abdicent, & coronas relinquant. Ad eundem modum, si quem ex Censoribus senatu Areopagitico amouetis, non ille uim parat, aut uobis obsistit, sed quietus uestris decretis atq; sententijs concedit, id quod ego quidem fieri iustissimè iudico. Nam quemadmodum ipsi cum in Magistratu sunt, populũ sibi dicto audientem esse æquum censent & bonum: ita postquam honore abierunt, & priuati sunt facti, principibus Reipub. non gra-

uatim

uatim obtemperant. Atque ita factum esse ab huius urbis optimatibus comperietis, si superioris seculi exempla inde usq; repetentes oculis subieceritis. Nam Aristiden ferunt cum à maioribus nostris amotus fuisset, in Aegina tantisper uersatum, donec iterum à populo reduceretur. Vt ne interim dicam de Miltiade atq; Pericle, qui cum deberent, alter quidem triginta, alter uero quinquaginta talenta, postquàm soluendo fuerunt, tum demum in publico dicere iterum cœperunt. Iam quàm indignum quæso fuerit, uiros optime de Republica meritos, qui suis illam factis condecorarunt atq; auxerunt, nunquam tamen hoc priuilegium obtinere potuisse, ut illis quid impune in leges committere liceret. Atque huic nebuloni, qui non modo nihil boni fecit unquam, sed ciuitatem etiam multifarie suis flagitijs afflixit & perturbauit, tantam concedi impunitatem, ut pro sua libidine contra leges atque publicum ciuitatis commodum, & ipsam æquitatem tam impune atque petulanter agat. Sed quid ego ueteres repeto, animum quæso ad illos ipsos Magistratus, qui nunc cum imperio sunt, conuertite, ex quibus sat scio, nullum inuenietis, cuius unquam fuerit tam insignis impudentia, quanta huius est. Nam si quis actionem contra legem aliquam, aut decretum ad Censores defert, atque illa abro-

gata fuerit. Neminem uidetis, quantumuis etiam potentem aut magnæ authoritatis, tam impudenter atque pertinaciter obsistere, ut non uestris decretis bona cum uoluntate putet obtemperandum. Illud uero absurdissimum profecto fuerit, si permittatis, ut quæ uos omnes in unum congregati secundum leges dicitis aut facitis, rescindantur aut abrogentur, atque magis ualeat quod ille solus contra leges æquum & bonum in ciuitate quotidie machinatur. Porro quando illi qui in iudicio uersantur quintam partem calculorum non obtinent, leges uetant ne quem amplius accusent, aut in ius uocent, ibi neminem uideas, qui sibi non abstinendum putet, dum mulctam quæ irrogata est soluat. At Aristogiton ille neque legem ullam neque iudicium ualere putat, præsua sententia, uos uero ciues non ignoratis seruatarum legum pœnitentiam nunquam subijsse ciuitatem: nam illud unicum est liberæ ciuitatis præsidium, ut hostibus uel consulendo, uel pugnando superior sit, legum uero authoritati ubique concedat. Id quod ipse etiam Aristogiton aliquando aperte confessus est. Nam cum urbs nostra tum pro se atque cõmuni Græcia pugnaret, illam cladem apud Cheroneam accepisset, & iam de ipso etiam ciuitatis solo in discrimen essemus adducti, Hyperides tulit ut idem ius esset ignominiæ obnoxijs

obnoxijs cum reliquis ciuibus, quo maiore concordia & alacritate, si res ita posceret, ab omnibus pro libertate communi depugnaretur. Illam ipsam rogationem Aristogiton, tanquam contra leges latam, in hisce subsellijs oppugnauit. Iam uero uos ipsi expendite, quàm sit indignum, quod cum ipse alijs pro salute & libertate patriæ concedere noluerit, ut essent in communi ordine, qui probri gratia erant seiuncti, illud ipsum iam sibi temere à uobis concedi contra leges atque æquum postulat. At nunquid illa Hyperidæ rogatio longe tum fuit æquior & tolerabilior, quàm quod tu nunc tibi arrogas Aristogiton? fuit sane, nam illa æqualis atque in rem erat pariter omnium. Hoc uero, quod tu nunc postulas tibi soli, atque tuæ improbæ cupiditati subseruit: illa huc pertinebat, uti fortiter omnes pro libertate pugnaremus, & ne quem dominum in hanc Rempublicam inuadere permitteremus: hoc uero eo spectat, ut tibi impune liceat designare, quidquid tua fert libido, contra decreta ciuitatis & publicas leges, quas à maioribus nostris tanquam per manus accepimus. Sed nunc quæso hoc mihi responde Aristogiton, bona ne illa tua fuerit actio contra decretum Hyperidæ, atque è Republica an non? Si mala fuit & noxia ciuitati, supplicio dignus es, qui eius author fueris: sin bona & utilis,

lis, cur nunc illam impugnas? Cur tibi ab his diuersum decerni postulas? Mihi quidem ita uidetur, neq; tum recte factum esse ab illo, neq; nunc abs te iuste aut bene fieri. Vos uero iudices, ita affectos inter uos esse uideo, ut in priuatis causis acerrime iudicare soleatis, quàm indignum uero fuerit in rebus leuibus & priuatis accurate iustum ex legibus indagare, atque interim huic homini tantam licentiam & impunitatem permittere, ut contra leges publice misceat, perturbet, atq; euertat omnia. Neq; puto quenquam inter uos esse qui sic existimet, uerum quidem esse quod ego dicam, sed propter probatam illius uitam et merita in Rempub. conniuendum esse aliquantulum & concedendum, etiamsi in leges quandoq; committat. Nã quod sceleſtus et perditißimæ uitæ homo est, ex Lycurgi oratione satis opinor audistis. Quod uero Reipub. noxius, ex rebus illius in Magistratu gestis, satis est perspicuum. Nam neminem ille unquam recte aut iuste accusauit, nunquam Reipub. profuit, nunquam utile quicquam consuluit, nonne uos semper postea pœnituit, si quando decreto illius obtemperastis? Neq; id me hercle iniuria, quid enim sani consuleret, qui si quando uidebat uos commotos aut acrius paulo exulceratos, continuo irrumpere solebat, & decretis suis perturbationibus uestris inseruire nullo respectu occa-

occasionis, nullaq; ratione aut iudicio, tantus inest in ingenio illius stupor, tanta uesania. Qui uero Respublicas fœliciter administrare uolunt, non illi debent subito coortis in animis hominum affectibus, aut iræ sua consilia accommodare. Sed accurate obseruare, quid ratio postulet, quid res ipsa, quid opportunitas temporis atq; locorum: nam illæ animorum perturbationes ut subito exoriuntur, ita statim quoq; residunt: quæ uero prudenter gesta sunt manent, atque in longum tempus perdurant. At ille horum omnium nullam prorsus rationem habet, arcana ciuitatis consilia, & quæ iam rata erant, sua uesania ita traducit, ut mox rescindi necesse sit. Quid igitur est quamobrem ipsum conseruandum putetis? ego sane nihil uideo, nisi forte hoc uobis tantopere placet, quod ille sedulo obloquitur atque maledicit omnibus, et quicquid ubiq; geritur dicitúrue, calumnijs exagitat, atque proscindit. At quid obsecro turpius? quid his subsellijs atque iudicio uestro indignius? Per illorum hominum calumnias uidemus effectum, ut iam in Magistratu esse, & Remp. regere, etiam apud bonos atque moderatos ciues prope turpe putetur. Quod si hæc uobis uoluptati sunt, non deerint profecto qui sedulo talia facient, & ni fallor in hoc tribunali plerique sedent, qui idem possint præstare, non enim difficile est

aliena

aliena consilia reprehendere, sed afferre atque persuadere uobis quod ex usu sit, hoc opus hic labor. Denique si non ante Aristogiton eadem uobis ratione imposuisset, atque hoc modo è iudicio, cum iam conuictus & irretitus teneretur, fuisset elapsus, quanquam ne tum quidem omnino integrũ erat absoluere eum, qui in leges commiserat: in uniuersum enim conniuendum non est, si quando leges uiolantur: poterat tamen utcunque facilius excusari factum, dicerem uos illi credidisse, dicerem sermone illius & precibus uictos, ignouisse quod fecisset. Verum, quando non ita multo post, qui iam ante expectatione uitæ melioris elapsus fuerat, in ijsdem flagitijs deprehensus est, quid quæso prætexetis, si iam iterum uestræ illum authoritati & legibus illudere permiseritis? Nam quando facta ipsa aperta sunt & perspicua, quid attinet ex uerbis facere iudicium? Vbi uero de rebus ipsis non satis inter uos constat, ibi orationi fortasse locus est, ex qua quid fieri conueniat, eliciatur: negocia uero uestra, cum apud animum expendo, non mediocriter admirari soleo, neminem enim ex uobis uideo, qui non id studio habeat, ut res suas priuatas hominibus honestæ & probatæ uitæ committat. Rem uero publicam, etiam palam improbis & conscelleratis ciuibus creditis. Quid fieri quæso potest indignius?

canem

canem quis inutilem atq; ignauum gregi suo præficeret? Ad Rempublicam uero iam clamitant quenque temere, ut inciderit, sine respectu uitæ esse arripiendum: inde fit, ut plerosque alienæ improbitatis iudices habeamus, qui ipsi digni essent, in quos acerrime animaduerteretur. Si uero uos illud propius expenderitis Cives, parum profecto apud uos ualerent: qui hisce sermonibus, fauorem uestrum ambiunt, atque in hoc unum incumberetis, sat scio, ut ne impune auferrent, quicũque legibus obsistunt, præsertim si sibi aliquam in ciuitate potestatem arrogent. Nam turpe profecto fuerit, cum maiores nostri pro legibus etiam mortem oppetere non dubitarint, nos tam esse oscitantes, ut illos cohercere non uelimus, qui leges funditus euertere conantur. Soloni Legumlatori statuam in foro æneam posuistis: Leges uero quarum gratia illi tantos honores decreuistis, interire sinitis? Quid uero absurdius, quàm in ferendis legibus, hoc sequi consilium, ut improborum audacia coherceatur, quosdam uero in ipso flagitio deprehensos, impunitos dimittere, atque Legumlatorem omnibus pro concione stantibus promulgare, animaduertendum esse in improbos, uos uero ab unius hominis improbitate superari? Capitale inter uos est, si quis legem abrogatam, & obsoletam inter cæteras le-

ges

ges patiatur, qui uero leges omnes atq; uniuersum simul ciuitatis ordinem euertere & perturbare studet, illi ignoscitis. Sed quid ego uos multis moror, ipsi quæso ob oculos ponite, quanta commoda ex Legibus, atq; earum obseruatione ad uos redeant, & quanta contra incommoda ex contemptu legum nascantur. Nam si id feceritis, non mihi quidem dubium est, quin leges sitis omni studio, diligentia, & labore defensuri, uidebitis enim furores illos, rerum omnium perturbationem, atq; summam improbitatem, ex contemptu Legum tanquam fonte scaturire, illis uero florentibus in ciuitate, uerecundiam, modestiam, atq; summam iustitiam conseruari. Perspicuum res hæc est, ciues, illas enim Respub. omnium optime administrari, & maxime florere uidetis, in quibus optimi fuere legũ conditores. Quemadmodũ enim corporum uitia atque morbi medicorum industria tolluntur, ita uitiosi animorum affectus per saluberrimas legumlatorum sententias corriguntur: In uniuersum autem nihil pulchrum, aut honestum est, quod non cum lege aliqua communicet: contemplamini totum mundum, naturam ipsam, diuina prophanaq; omnia, atq; istas annuas commutationes, et uicissitudines temporum, an non certum quendam ac definitum ordinem & legem seruant? si modo illis credimus, qui ad harum rerum arcana penetrarunt.

runt. Vos igitur ipsos excitate iudices, atq; in illos legum & Deorum immortalium contemptores acerrimè animaduertite, id si feceritis, non est dubium, quin prudenter, simul & honestè sitis iudicaturi.

LVCIANI SAMOSATENsis Sophistæ Oratio, Latine reddita, à Philippo Melanthone.

Calumniæ non esse temere credendum.

PErnitiosa res ignorantia est, & uarijs modis noxia mortalibus, non solum cõmuni hominum uitæ tenebras quasdam offundere, ac ueri cognitionem obliterare solita, sed priuatas quoq; singulorum rationes miscens ac perturbans. Quo fit, ut perinde atq; qui in tenebris errant, imò haud aliter quàm cæci, iam huc, iam illuc impingamus. Quod haud procul nobis, & ante pedes est situm, non uidemus. Formido est his capi, à quibus etiam quàm longiß. absumus. Deniq; in rebus humanis nihil tam fauste, fœliciterq; agitur, quod non error aliquis interpollet. Hinc sunt

innumeræ illæ tragicæ clades, fata Labdacidarum ac Pelopidum, aliæ item aliorum calamitates, ferè enim quidquid malorum scænæ ac pulpita clamant, ab ignorantia ceu tragico Deo compositum proficiscitur. Illa uero cum alias potest plurimum, tum noxia est immodice, siquando in Calumnias familiares & mutua inter se amicorum crimina incidit: Quibus solent, & intestinis dissidijs res domesticæ, & odijs ciuilibus urbes funditus euerti. In natos sæuire parentes, nati parentibus insidiari, frater fratri, amans amanti, amicus item ab amico diuelli. Turbari demum omnia Calumniæ uafricia.

Itaq; quopacto caueri facile possit, & qualis nam sit Calumnia, unde originem trahat, quantum ferè efficiat, hac oratione, uelut in tabella depingã. Porro quam eius imaginem subijciam, Apelli Ephesio pictori acceptam refero dicatam, quum is apud Ptolemæum regem coniurationis, quæ in Tyro authore Theodora, facta est, insimulatus esset, quanquam neq; Tyrum uiderat unquam, neq; Theodoram nouerat, nisi quantum fama accepit, eum Ptolemæi præfectum Phœnicen administrare. Verum Antiphilus quidam artis, gratiæq; Apelleæ æmulus, illum apud Regem coniurationis Tyriæ reum fecit, cum Theodora Principe factionis uisum familiariter congredi, conuiuari, secreto item

&

& in auriculam inter conuiuandum colloqui. Paulo post & defeciſſe Tyrum, & Peluſium Apellis conſilio occupatum eſſe. Tum Ptolemæus præter modum, cum & alias non ſatis animi compos eſſet, aſſentatione inſuper tyrannica fractus, adeo excanduit, adeo admiratione calumniæ percitus eſt, ut coniecturis, quæ cauſæ fidem aut facerent, aut minuerent, neglectis, non animaduerterit Calumniatorem Apelleæ artis æmulum eſſe: dein fortuna minori Apellem, quàm ut Peluſium prodere poſſet? Hunc item beneficijs regijs plus cæteris pictoribus auctũ. Neq; interim percontatus, num aliquando ille in Tyrios nauigaſſet: Quin ſtatim plectendus uidebatur. Regiam tumulto inſolito Rex perturbat, Apellen perfidum, ingratum, reum uiolatæ maieſtatis inſidiatorem, coniuratum, clamat. Ac niſi quiſpiam è ſocijs coniurationis, qui capti tenebantur, & audax Antiphili ſcelus ſtomachatus, & infœlicis Apellis miſertus, nihil ei commune cum ſeditioſis fuiſſe probaſſet, dubio procul Tyriorum malorum pœnam capite mulctatus ſoluiſſet, etiamſi nihil ſibi male conſcius. Ptolemæus igitur collecto animo ſententiam mutauit: Apellen donauit talentis centum, addito in ſeruitutem Antiphilo calumniatore.

Apelles contra periculi memor, tali eſt imagine calumniam ultus. Ad dextram conſidet quiſpam

auribus prælongis insignis, quales ferè illæ Midæ feruntur: Manum porrigit procul accedenti Calumniæ: Circumstant eum mulierculæ duæ, ignorantia, ni fallor, ac suspicio. Adit aliunde propera Calumnia eximie compta, uultu ipso & gestu corporis efferam rabiem, & iram æstuanti conceptam pectore præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomã dextra secum adulescentem capillis prehensum, manus ad superos tendentem, obtestantemq; immortalium Deorum fidem, rapit. Anteit uir pallidus, in speciem impurus, acie oculorum minime hebeti, cæterum planè ijs similis, qui sontico aliquo morbo contabuerunt: Hunc facile conijcias liuorem esse. Quin & mulierculæ aliquot Calumniam sequuntur comites, quarum est munus, dominam hortari, instruere, comere: interpres picturæ aiebat insidias ac fallaciam esse. A tergo, lugubri habitu, pullata laceraq; pœnitentia subsequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lachrymis ac pudore procul uenientem ueritatem excipit.

Hac Apelles tabula casus suos lusit. Iam & nos, si uidetur, Ephesij pictoris exemplo recenseamus Calumniæ rationes. Principio nobis effigienda est, & explicanda finitione quadam, quæ uice iconis fuerit. Est enim calumnia, delatio ementita odio, clanculum reo calumniatori credita, delato ad re-

sponden-

ſpondendum ac refellendum non admiſſo: Quæ definitio perſonis, perinde atq; comicum argumentũ, tribus conſtat, delatore, delato, & auditore calumniæ. Singulorum partibus defungemur hanc acturi fabulam: omnium, ſi lubet, primum producamus in medium, actus Principem, & quaſi præſultorem, autorem calumniæ. Is quidem quàm minime bonus uir ſit, ignorat nemo. Neq; enim quiſquam uir bonus amico damnum dare cauſatur. Nam boni uiri eſt, hominum ſibi animos conciliare ſtudio bene merendi de amicis, neutiquam inimicis criminandis. Vnde haud incommode colliges, iniuſtum, ſceleratum, impium: In ſumma, incredibili rebus cõmunibus calumniatorem eſſe. Nam quis eſt, cui non uidetur in uniuerſum iuſticiæ penſum æqualitas, & quod aiunt: Ne quid nimis? Inæqualitas item, & quod nimium eſt, iniuſticiæ. Qui uero clanculum ab ſentem inſectatur, æqualitatis metas egreditur, quippe, auditorem ſibi totum adſerit, aures eius anteuortit, obſtruit, & inuias reſponſuro, calumnijs refertas efficit. Ea ſanè extrema eſt iniuria, uel optimorum legumlatorum iudicio Solonis & Draconis, qui iureiurando Senatum Athenien. adſtrinxere, ut pari benignitate, gratiaq; tam reum quàm actorẽ Iudex audiat, dum alterius cauſam honeſtiorem intelligat. Sceleſtum & crudele iudicium eſſe, ſi quid

statuatur antea, quàm cum accusatione comparata sit defensio. Ad hæc, sibi male propicios Deos reddunt iudices isti, qui cum accusanti aures libere indulserint, reo denegant, aut præstigijs capti delatorijs, mußitantes condemnant. Tantum à iusto, æquo, bono, legibus, & iureiurando. Senatus bene constitutæ ciuitatis calumnia discrepat. Iam, si cui dubiæ fidei legum conditores uidentur, quorum decreta commonent, iusticia, non studio partium iudicare, is longe optimi Poëtæ impendio scitam sententiam, imò uero legem sacro sanctam audiat:

Nec nisi librato dirimat sententia litem,
Parte quid ex utraq; queat, examine causſa.

Nimirum, uates intelligebat, ex omnibus nullam esse neq; grauiorem, neq; audaciorem iniuriã, quàm indicta causa quenquam mortalium damnare. Id uero ex omni parte Calumniator molitur, uti cum furore ac uæcordia hominis coram quo res agitur, indefensum reum committat, defensurum parteis suas clancularia sectione arceat. Adeo enim hoc hominum genus obnoxium est formidini, adeo nihil audet palam, sed perinde atq; qui ex insidijs transuersi hostem inuadunt, ex abdito alicunde specu iaculantur, ut nõ sit qui contra uel mittere telum, uel manu contendere possit, hostisq; ignarus aduersarij, fraudisq;

disq; insciis pereat. Quod profecto minime fallax indicium est, in calumnia nihil inesse ueri, nihil sani prorsum. Nam qui accusaturus quempiam, sibi conscius est ueri, procul dubio, & palam audet aduersarium incessere, corrigere, purgantem crimen ferre. Vt in bello, qui iusta acie uincere hostem palam potest, turpe ducit, astu & insidijs certare. At hoc genus homines in aulis Regijs spectare plurimos datur, optimatum fauorem hisce artibus ambienteis, ubi scilicet, & inuidia crebra, & uariæ suspitiones, & assentandi, criminandiq; occasio multiplex in promptu est. Siquidem ibi, quo pluribus plura spes ostentat, eò necesse est maiore inuidia, seuioribus odijs, æmulatione callidiore certari. Illic uideas licet, quàm acres alter in alterum oculos defigat, qua cura obseruet, uelut singulari certamine congressurus, si quid uspiã in alterius corpore forte fortuna nudum, aut male munitum conspiciat, quod ferire fœliciter possit. Ita studio cuiq; est, cum ipse primus esse cupit, uti proximum deijciat, exturbet, conuellat, proculcet. Hic si quis est uir frugi, temere euertitur, illuditur, deniq; ignominiose exterminatur. Contra qui adsentandi paulo peritior est, & habiliore ad mentiendum ingenio, probatur, superat. Sanè omnino iuxta Homeri carmen est huius certaminis alea:

Vndiq; communi sæuitur Marte, pariq;
Victusq; uictorq; cadunt fato.

Alium subinde alius, alia uia aggreditur, ut fere fieri solet, sicubi de magnis agitur commodis: Sed per calumnias iter est, ut compendiarium, ita minime securum. Principia inuidiæ debent inter spemq;, metumq; fluctuanti. Exitus nihil non miserabile, tragicum, calamitosum habet. Cæterum Quadruplatoris ipsum quoq; studium nequaquã facile est, simplexúe, quanquam ita fortasse uideatur, sed arte multiplici, solertia peculiari, indefessa deniq; & accurata diligentia opus habet. Neq; enim noxia fuerit Calumnia, nisi in speciem similia uero narret, neq; temere cunctarum alioqui rerum Dominam Veritatem superauerit, nisi auditorem argumentosa, & probabili actione, in summa, mille modis fallat.

Porro defertur is plerunq;, qui honore quodam alios præstat: nempe is inuidiosus, qui spe illius frustrati sunt. Quo fit, ut omnium telis affectetur ceu obex, qui uiam assequendæ dignitatis alijs interclusserit. Seq; primos tum singuli fore confidunt, si sublimem istum loco demoliti sint, & ab amicis abalienarint. Tale quiddam in gymnico cursu fieri consueuit, ubi, si quis est cursor ingenuus, statim ruptis carceribus primas affectans, & animum ad stadij

metas

metas adijciens, spe uictoriæ è robore suo concepta, neq; sequenti incommodat, neq; omnino laboris huiusce socijs quidquam struit remoræ. Contra, qui malitiosus, imbellis, eneruis contendit cursu cum alijs, desperatis uiribus in fraudem intentus agitur, atq; in uniuersum hoc unicum spectat, qua currentem occupet, impediat, ac intercludat, et ni succedat actus, non est, ut ullo alio modo uincere possit. Haud aliter in ambiendis magnarum amicitijs accidit, ubi si quis fœliciter anteuortit, in medias continuo labitur insidias, & incautus ab æmulis captus discerpitur. Hi deinde amari, coli, amici uideri incipiunt, uel ob id unum, quod bonis incommodarint. Iam uti probabilem & dignã fide calumniam faciant, non quod fortuito casus ostendit, prehensant, sed in hoc toti sunt, ut accurato delectu obseruent, ne quid absonum, aut alienum, à causæ fide incidat. Adeo rationes eius quem criminantur uniuersas, in priorem partem trahunt, suspectas reddunt, quo fidem addant accusationi. Medicum insimulant ueneficij. Magnificum ciuem affectatæ tyrannidis, tyrannum proditionis. Interdum auditoris affectus, sua calumnijs discrimina suppeditat, cum quo si ueteratos isti & nugiuendi suas technas comparent, apte illuditur. Quod si auditorum zelotypum norint, annuit, inquiunt, ille uxori tuæ inter epulas

& defixis in eam oculis alto suspiria pectore duxit, uxor uicissim suaue quiddam & amatorium: alia item, quæ ad suspitionem adulterij faciunt. Sin poëticæ studiosus, ea sibi arte præter modum placeat, Philoxeno, aiunt, carmen tuum non probatur, hiul cum, lege solutum censetur: ad religiosum, en ille de pietate, deq; Dijs male sentit, sacra detestatur, prouidentiam uniuersi gubernatricem pernegat. Tum auditor ceu œstro in auriculam immisso, excandescit, ut pro re conijcere licet, amicum ab se impos animi re ipsa nondum contente cognita, missum facit. Talia ferè sunt, quæ ab impuris istis confingũtur, uidelicet ad irritandos audientium animos, maxime accommoda: tum, qua parte singuli præstant, eam potissimum iaculis suis obnoxiam ij faciunt, ne quid auditor subita interturbatus ira, uero cognoscendo collocet otium, deinde sese purgaturo, non fiat hominis copia, quem criminis admiratio speciesq; ueri occuparunt. Etenim dici non potest, quàm instructa sit, quantũq; ualeat Calumniæ facies, siquãdo cum cupiditatibus auditoris cõflictatur.

Quondam apud Ptolemæum, cui Dionysio cognomen fuit, quispiam Demetrium Platonicum accusauerat, quod in Bacchanalibus aquã biberet, solusq; omnium muliebribus non uestiret, de quo, nisi accersitus ad Regem, mane palàm uino libasset, & instita

institita muliebri amictus, ad numeros Dithyrambicos, cymbalorũq; modos salijsset, plane actum erat, quod & regium exemplum non esset imitatus, & aspernaretur Dionysiorum molliciem. Apud Alexandrum grauissimi criminis reus fiebat, qui colere & adorare Hephestiona nollet, nam posteaquam is è uiuis excessit, amore uictus Alexander, effuso animo ad reliquam funeris magnificẽtiam additum uoluit, ut mortuus inter deos Hephestion haberetur. Continuo ei templa ciuitates pleræq; dicarunt, delubra condiderunt, aras, sacra, ferias nouo Deo sanxerũt. Iusiurandum omnium religiosissimum Hephestionis nomine fuit. Capitale erat, si quis hac parte, uel contaretur, uel neglectim coleret. Hic euiratus affectus, hæc uesania fuit assentatoribus occasioni, accendendi inflãmandiq; regis. Narrabantur insomnia, uisæ Hephestionis umbræ, prædicabantur illius responsa. Deniq; aræ & sacra dicata sunt familiari & malorum uindici Deo. Proinde, cum his Alexander initio mire oblectaretur, tandem ita captus est, ut fidem quoq; adhiberet, gloriaretur q;, quod non modo Dijs genitus esset, sed Deos quoq; ipse faceret. Quo tempore, quantum putamus amicorum Alexandri afflixit Hephestionis diuinitas? Si quibus non uideretur cõmune numen uenerari, accusabantur, deportabantur, gratia regia excidebant. Tum Agathocles

Agathocles Samios, qui primos aliquandiu ordines apud Alexandrum duxerat, magis item ab rege honoribus auctus, parum abfuit, quin cum Leonibus cõmitteretur: criminatus, quod illachrymasset præteriens Hephestionis sepulchrum. Verum Perdica hominem seruauit, deos omneis, ipsumq; Hephestiona iuratus, eum sibi in uenatione augusta specie, Deum clare uisum, mandasse, ut Alexandro diceret, parcendum esse Agathocli, qui non hoc lachrymasset, quod aut uana sibi Hephestionis diuinitas uideretur, aut mortem miseratus esset communem, sed pristinæ consuetudinis, & mutui amoris memoria, permotum esse. Sic igitur affecto Alexandro, locus adsentationi & calumniæ aptissimus fuit. Nam perinde atque oppugnaturi urbes, non, qua probe munitæ sunt alto, præcipiti, ac solido mœnium opere, hostes inuadunt: sed ubi sentiunt quàm minimè defendi, muniri, muros accessu faciles, collapsos, hac omnibus uiribus, certatim contendũt, qua citra difficultatem irruere, ac potiri rebus queant. Ita qui criminandis alijs desudant, quod in auditoris animo languidum, fragile, facile subactu uident, in eam partem traducunt, coguntq; machinas suas. Demum quando insultus hostiles nemo persentit, nedum non obnititur, expugnant. Iam intra muros cuncta igni ferroq; deuastant, excidunt, populantur. Qualia uero simile

ro simile est capto, & in seruitutem redacto animo fieri. Arma sunt istis aduersum absentem, fallacia, mendacium, periurium, supplicium, impudentia. Deniq; innumeræ imposturæ ac malitiosæ cautiones: Omnium maxime præsens, & longe efficacissima assentatio: Calumniæ cognata, immo soror. Quippe nemo hominum tam generoso est pectore, etiam adamantino septus muro, qui cum calumniæ concedat, non idem assentatione uincatur. Hæc foris recti iudicij ceu fundamenta suffodit ac subruit. Intus coniurati cum hostibus proditores, irruentes adiuuant, manus porrigunt, portas aperiunt, & modis omnibus connituntur, ut auscultatorem calumniæ sibi seruũ faciat. Sunt autem proditores, de quibus dico, Nouandi cupido, natura humanis ingenijs consita: præsentium item fastidium, sequax eorum animus, quorum admiratione capitur. Nescio enim qui fiat, ut omnes amore sui immodico admiratio furtim rapiat, & suspitionibus illectet. Quosdam equidem comperi studio calumniæ adeo suauiter titillari auriculas, ut si pennis confrices. Proinde talibus adiuti socijs, calumniatores cum irruerint, cuncta pro uiribus euertunt, nec magno emitur uictoria, ubi nemo repugnat, nemo uim tormentorum sustinet, aut iaculis iacula mutat, sed qui auscultat, ipse sese sponte sua in manus hostium dedit. Interim ignarus

rus insidiarum est qui accusatur. Nam haud aliter qui deferuntur, atque qui captis urbibus pereunt, dormientes trucidantur. Et quod est in primis miserabile, nescius se reum haberi, neq; cuiusquam sibi sceleris conscius, amico candide congreditur, familiariter compellat, facitq; pro more, ita ante undiq; circumuentus insidijs miser. Tum ille, si homo ingenuus est, & liber, confidensq;, frangit iram, & effundit animum, defensionem recipit, agnoscitq; se frustra aduersus amicum exacerbatum fuisse. Sin autem est indole seruili, et male mascula, adit quidem, & summis arridet labris, uerum odit, & clanculum dentibus frendit: ac, ut inquit Poëta, Extruit iræ fundamenta. Quo ego homine profecto, nihil iniustius, nihil tetrius existimo, qui admorso labro bilem intus alit, odiumq; intra se conceptum auget, aliud in pectore clausum, aliud in lingua expromptum habet, agitq; læta & comica facie, tragœdiam meram, et nihil non triste patientem. Id ille maxime patitur, quum simili delator uaecordia apud eũ cui parat insidias, odium mussando dissimulauit, effecitq;, ut amicus ei uideretur. Tum enim ne uox quidem delati, nedum non defensio audiri solet. Tantum fidei calumniæ facit, concepta de illorum amicitia opinio. Hic quanto satius erat perpendere inter amicissimos non raro clam alijs graueis simultatum

causas

causas intercedere. Sæpenumero item, quorum sese reum calumniator fieri metuit, socium insimulat: ut quem anteuerterit accusando, suspitione culpæ ac crimine elabatur. Atq; ideo ferè fit, ut quibus nos putent amicos tantum, inimicos nunquam calumniemur. Nam actioni quæ ipsa sese præ se ferens actoris odium prodit, fidei nihil esse potest. Verum, quos uulgo amicos æstimant, aggredimur, ceu auscultatori specimen fidei nostræ daturi, ubi sua ipsius causa, commoda, salutemq; familiarium amicorum, neglexisse uidemur. Est & genus aliorum, quibus tametsi comperitur falso criminatum apud se amicũ, tamen cum credidisse pudet, neq; aspicere illum, neq; in gratiam redire audent. Perinde ac ipsi iniuria sint affecti, quod alienam iniuriam non prospexerint. Proinde, multa sunt humanæ uitæ mala, ex eo quod promiscue ac sine discrimine calumnijs creditur. Quale est quod apud Poëtam ait:

Antia, Bellerophontem occide, aut Proete peribis,
Qui mihi conatus præsigne auferre pudoris
Fœminei decus. Cum ipsa prior adulescentẽ ad concubitũ solicitasset, contempta in hoc periculũ induxit, ut cũ Chimæra pugna congresso, parũ abfuerit, quin uictrice bestia occũberet. Tanta pœna luenda fuit castitas, pudorq; iuuenilis, quẽ hospiti coniunx adultera suspectum fecerat. Simile quiddam Phædra

priuignum

priuignum calumniata, effecit ut filij caput pater Theseus execratum belluis marinis deuoueret. Quanquam ô superi, nihil prorsum deliquisset.

At inquiet quispiam, an non dignus est fide non nunquam uir, cæterum bonis moribus & recto ciuiliq; iudicio præditus, qui alterum accusat? non licet tali auscultemus, modo reliquis sibi malis artibus temperarit? Age inquam, est ne alius Aristide iustior? ille tamen aduersatus Themistocli, contra eum populi animos exacuit, inuidia gloriæ popularis, ut aiunt, uellicatus. Alias uir bonus Aristides, uerum homo erat, nec felle caruit, solebatq; amare alios, alios odisse. Iam si uerum est, quod de Palamede ferunt: Sapientissimus quidem Achiuorum, ac ad res alias gerendas accommodus, inuidia flagrans, insidias parasse fertur, cognato, amico, ad hæc eiusdem belli socio. Adeo naturæ hominum familiare est, hoc errore labi. Porro, quorsum attinebat & Socratem recensere, insimulatũ apud populum Athenienſem seditionis & impietatis? Quid Themistoclem, aut Miltiadem tot partis uictorijs, suspitione proditionis notatos? Sunt enim exempla innumera, & uulgo iam pleraq; non ignota. Quid igitur faciet uir prudens in re ambigua? sane opinor, quod Homerus in Syrenum fabula docet, pernitiosas talium sermonum delitias nauigio prætereat,

at, obturet aures, nec passim aperiat affectui cuipiam obnoxijs, sed ianitore sedulo ac fido adhibito, ratione uidelicet, ac iudicio animi, recta dicentes recluſis foribus excipiat, inutiles nugas obdito pessulo arceat. Nempe ridiculum fuerit, datum ædibus ianitorem, officio non defungi, aures, mentemq; uulgo patere. Posteaquam ergo tale quiddam Calumniarum audieris, tute apud animum tuum rem ipsam perpende, nihil attinet qualis sit, qui accusat, nihil ad rem faciunt alieni mores, nihil accusationis acrimonia: Quin, eo maiore cura rem discute, quo instructior uenit delator. Neq; item credere conuenit iudicio, & existimationi alterius, imò accusantis odio, sed suum ueri examen apud nos accurate seruandum est, suæ item Calumniatoris inuidentiæ partes dandæ. Deniq; quod utrinq; argumenta suaserint, statuendum: Tum uel odisse, uel amare quem diligenter exploratum, licet: priusquam id factum sit, Calumniæ concedere in primo statim congressu, hercle nimis quàm puerile est, ac indignum uiro, longeq; à iusticia semotum. At uero horum omnium causa, una est ignorantia, tenebræq; illæ, quibus suæ cuiusq; hominis rationes, moresq; obuoluuntur. Iam si Deorum quispiam uitæ nostræ lumen afferat, futurum est, ut euanescat Calumnia, fugiatq; in altum Barathrum, nec

usquam in humanis locum inuenit, reddita nobis luce omnium uitæ studiorum, ueritatis beneficio.

EX OCTAVO CONVIualium quæstionum libro Plutarchi: De Nota Pythagorica, qua hospitem Hirundinem recipi nolebant, Philippo Melanthone Interprete.

YLla Carthaginensis aliquãto post tempore, quum Romam uenirem, liberaliter me, salutatorijs ut uocant, epulis excepit. Quibus amicos, cum plerosq; alios, tum maxime Leucium quendam Tyrrhenum moderati Pythagorici discipulum adcerserat. Is cum forte fortune Philinum nostrũ animatis agnosset abstinere, quod pro ordinis studio conijcere licet, in Pythagoræ mentionem prorupit. Inter cætera Locrensem illum, iuxta uulgi opinionem, esse negauit. Tyrrhenis adseruit, apud hos enatum, alitum, eruditumq;, indicio Symbola esse, qualia ferme sunt.

Cum lecto exurrexeris, stragula turbato.
Ollæ uestigium in cinere confundito.

Stato-

Stateram ne transilito.

Harundinem in contubernio ne habeto.

Aduncа unguibus domi ne nutrito.

Isthæc ait cum Pythagorici passim & scribant, & doceant, soli tamen re ipsa Tyrrheni obseruant, assiduo iam olim ac iugi sancita studio. Hisce ab Leucio dictis primis, quod de Hirundine uberius disputarat uidebatur absurdum. Auiculam innoxiam, deinde humanæ societatis non expertem, cũ eximijs illis sæuitia, sanguinisq; libidine animantibus, quibus adunci sunt ungues conferri. Neq; enim recte Leucio probabantur, qui scitum hoc symbolum alio referebant, in consuetudinem uidelicet uitilitigatoris cuiusplam, criminibus, infestiuo murmure, conuictorem exagitantis. Is enim uel picis, uel perdicibus, uel gallis cõmodius notari poterat, auibus multo maxime garrulis. Quando & Hirundini cum hoc garrendi, stridendiq; perpetuo morbo nihil est cõmune. Tum Sylla Carthaginensis, id esse commenti. Ablegari ab domo familiariq; cõuictu Hirundinem prodigij causa, quod uitæ sanguiniq; cognato ferale habent. Terei familiam ferunt, partim fuga sibi consuluisse, partim horrenda quædam & nepharia passam, iam nunc quoq; Daulidum nomine celebrari. Gorgias Sophista contra eminus ad se properantem contuitus Hirundinem: Nec admodũ ait, hæc quoq;

bella: Age num id prodigij non est stridulæ illi luſciniæ cõmune? Quam eidem obnoxiam tragœdiæ domo non reijciunt. Recte, inquam ego, & hæc ad rem faciebant Syllæ. Verum qua ratione, quæ adũncis sunt unguibus non admittantur, primum ſpecta, dein ut eadem habeatur ominoſa Hirundo. Carnem depaſci ſolet, uenaturq; ſacras illas Muſis canoras cicadas, humi uolitans oberrat, exiguas captat beſtiolas, authore Ariſtotele: inſuper unà nobiſcum uerſari ſolita, immunis noſtro tecto utitur, neq; quidquam parit commodi. Quam contra ciconia, neq; tegulis tuta noſtris, neq; uſpiam aut facultatibus, aut ſtudio adiuta, officio tamen ſeſe, ceu mercede communis impenſæ, in terram collato redimat. Nam quæ uitæ hominum aduerſa animantia inſidiantur, ſerpentes, buſones abſumit, enecatq;. Hirundo uero noſtra tantiſper abuſa ope, pullo edito ac educto auolat ingrata, deinde & in receſſus quoſdã deſertos, ignorabilis. Iam quod grauißimum uidetur, animantium duo ſunt omnium, quæ noſtro utuntur hoſpicio, Muſca & Hirundo: Quæ nulla queunt arte cicurari, neq; ullo nobiſcum officio aut ductu cõmunicant. Muſca ne moleſti quidquàm patiatur prehenſari horret. Hirundo ſuopte ingenio exoſa hominem adeo diffidit, ut & manſuefieri non poßit, & nihil non ſuſpectum pauitet. Quæ ſiquidem

dem non adcurate nimium, nec quasi ad regulam dispensa uolo, sed feriendi, referiendiq; studio in medium collata. Certemus enim mutuis licet sententijs, opinor, qui cauet Hirundinem infidum, leuem ac ingratum conuictorem, non quemuis pro tempore occursantem, mensæ, tecti, et reliqui domestici cõmodi gratia subrepentem familiari consuetudine dignabitur. Hæc cum dixissem, sat mihi uerborum uidebar feciſſe: Nam & reliqua pene symbola, moralibus argumentis expedieram audacius. Interpellat Philinus: Ollæ uestigio turbando significari, ne quàm pristinæ iræ indicem notam in animis nostris relinquamus: Quin cum efferbuit, omnia continuo pacanda, abolendaq; iniuriæ monumenta. Iam in confundendis stratis nihil esse secreti quibusdam uidebatur, sed pudorem tamen & thalami reuerentiam indicari differebatur. Ab amico non auferendũ onus. Quid aliud? quàm adiutare laborantem, nihil ocio, nihil inertiæ dandum. Leucius interim cum hæc disceptantur, neq; cõmendans, neq; reprehendens quidquam agit silentium.

CRITIAE ORATIO CONtra Theramenem, ex Xenophonte, Philippo Melanchthone interprete.

Si quis è uobis, Iudices, arbitratur plures necari quàm par sit, is ita apud se cogitet, hæc accidere solere, quoties publicus status mutatur. Neq; fieri potest, quin plurimi sint ijs hostes, qui multitudini libertatẽ eripiunt, præsertim cum non alia urbs inter Græcos populosior sit, aut ubi diutius libertate populus usus sit. Porro nos ex uoluntate Lacedæmoniorum Remp. constituimus, cum uideremus, primum nobis hoc rerum statu, non esse tutum populo permitti libertatem, deinde nec Lacedæmonijs, qui superesse nos uoluere, plebem futuram esse fidam, optimates autem in fide mansuros esse. Proinde si quem sentimus potentiæ optimatium insidiari, hunc è medio auferre decretum est. In primis autem, si quis è nostro ordine, hunc statum labefacere conatus fuerit, in eum re tulerit animaduertere.

Porro Theramenem comperimus planè nobis machinari exitium, idq; deprehendetis, si diligenter contemplati fueritis, neminem esse qui perinde calumnio-

lumnietur præsentem statum, & quoties aliquem popularem Rhetorem necamus, reclamet. Quod si à principio consueßet, in hostium numero rectè haberetur. Sed cum ipse nobis autor fuerit faciendæ cum Lacedæmonijs pacis, & eripiendæ libertatis populo, imò impulerit nos, ut supplicium sumeremus de ijs, qui primi impetum in nos fecere, nunc demum aduersatur, ut ipse in tuto sit, à nobis pœna exigatur propter ea quæ geßimus. Proinde de eo, non ut de hoste, sed ut de proditore, supplicium sumite: Est enim proditio hoc formidabilior bello, quod difficilius est clandestinas insidias, quàm apertam uim cauere. Est item ideo etiam in maiore odio proditor quàm hostis, quod cum hoste nonnunquam in gratiam reditur, & bona fide pax conuenit, cum proditore nemo unquam in gratiam redijt, nec, si uelit, queat.

Sed ut non nunc primum cognoscatis hæc agitari à Theramene, & naturam finxisse eum proditorem, recensebo quædã eius facta. Cum initio à plebe secundum patrem plurimi fieret, inceßit eum cupido imperij à populo ad quadringentos transferendi, inter quos ipse primas facile obtineret. At ubi sensit populi uires esse maiores, q̃ ut quadringentis illis de imperio cessurus uideretur, partium populi princeps factus est. Quam ob causam & Cothurnũ

uocarunt, quod utriq; pedi iuxta conueniat cothurnus, & tamen neutri satis adposite.

Proinde non meretur impunitatem is, qui cum alijs author fuerit negocij alicuius suscipiendi, mutauerit sententiam, si quid aduersi inciderit. Sed erat uelut in naui perdurandum, donec secundum uentum nacti fuerint. Si deseras, quomodo possunt conficere cursum, cum mox recurrant, ubi reflarit uentus? Iam cum Rebuspub. ac imperijs mutationes omnes cæde constent, plurimis exitio fuit inconstantia tua, multi te authore ex optimatibus à plebe necati sunt, multi ex plebeis, ab optimatibus.

Præterea huic à Ducibus commissum fuerat, necare Athenienses, qui ad Lesbum pugna nauali victi erant, quos cum non interfeciſſet, ne sibi fraudi esset, non paruisse Duces ipsos accusauit, atq; occidit. Vnde adparet semper eum priuatum commodum præ dignitate & amicis habuisse. Quare igitur parcendum ei putatis? Cur inconstantia eius cognita, non obseruatis, ne aduersus nos quoque idem machinetur.

Proinde nos eum accusamus, & insidiarum & proditionis. Quod autem merito id fiat, hinc intelligetis: Nam in Lacedæmoniorum Republica, cum sit optime constituta, si quis ex Ephoris

ris nolit obsequi cæteris, sed Magistratum contume lia adficiat, & obstrepat eorum decretis, dignus poe na iudicatur, etiam ab ipsis Ephoris, & à tota ciui= tate. Vos igitur, si sapitis, non illi, sed uobis parcite. Nam si hic euaserit, multis addet animum, ut uobis aduersentur: quod si interemptus fuerit, spem demet omnibus, domi, ac foris.

Dixi.

PRAEFATIONVM CATALOGUS.

1	Præfatio in Heſiodum	1
2	Alia in eundem	9
3	In Homerum	31
4	In Aeſchinis & Demoſth. orationes	59
5	In Ptolomæi magnam compoſitionem Præfatio	68
6	In Arithmeticam	77
7	In Geometriam	80
8	In Tabulas reſolutas Schoneri	93
9	In Sphæram Ioan. de Sacro buſto	101
10	In Theoricas nouas Planetarum	115
11	In Alfraganum & Albategni	129
12	In Computum Eccleſiaſticum	136
13	Præfatio in Galenum	142
14	In Xenophontem	152
15	In Officia Ciceronis	161
16	Alia in eundem	167
17	In carmen Frederi de laude urbis Hamburgæ.	175
18	In Turcicarum rerum commentarij Pauli Iouij Epiſcopi Nucerini.	179

In

19	In Chronicõ Abbatis Vrſpergenſis	190
20	Paraphraſis Plinianæ Præfationis	196
21	In Dialecticã Rodolphi Agricolæ	204
22	In Metricam Micylli	211
23	In Micylli Grammaticam	220
24	In Syntaxin Philippi Mel.	226
25	In prophetam Danielem	237
26	Alia in eundem	250
27	In Harmonias de Paſsione Chriſti	255
28	Alia in eaſdem	258
29	Oratio de uita Auguſtini	263
30	Oratio de diuo Ambroſio	283
31	De Polycarpo Epiſcopo Smyrneo	342
32	Oratio de Platone	353
33	De uita Ariſtotelis	376
34	De Hippocratis uita	391
35	De uita Galeni	402
36	De Irnerio & Bartolo Iureconſultis Oratio.	416
37	Epicedion Eraſmi Roterodami	429
38	Apotheoſis eiuſdem	445
39	De uita Rodolphi Agricolæ	451
40	Laudatio Funebris Doctoris Sebaldi Munſteri	466
41	De Imperatore Ottone primo	483
42	De Sigiſmundo Imperatore	524

43 De Friderico Barbarossa Imp. 538
44 De Henrico III. Imp. ac Rodolpho Duce Saxoniæ 558
45 Oratio Funebris dicta diuo Maximiliano Cæsari 567
46 Oratio dicta in Funere Friderici Saxoniæ ducis 584
47 Oratio Funebris in mortem Ioannis Ducis Saxoniæ 599
48 De Guelfo duce Bauariæ historia 606
49 Epistola ad Comitem Ioannem à Vueda. pag. 628
50 Epistola de conuentu Augustano 649
51 Ad Venetos quosdam Euangelij studiosos. 657
52 Ad Oecolampadium de cœna Domini pag. 666
53 Oratio Olynthiaca prima Demosthenis Philip. Mel. Interprete 672
54 Olynthiaca secunda Demosth. Philip. Melanth. interprete 682
55 Olynthiaca Tertia Demosthenis 692
56 Philippica Demosthenis prima, Philip. Mel. Interprete 706
57 Oratio Demosthenis contra Aristogitonem Philip. Mel. Interprete 720

Contra

58 Contra Aristogitonem oratio secunda pag. 751

59 Oratio Luciani à Philippo Melanth. Latine reddita, calumniæ non esse temerè credendum 761

60 De nota Pythagorica, qua hospitem hirundinem recipi nolebant, Philip. Mel. Interprete 778

61 Oratio Critiæ contra Theramenem ex Xenophonte, Philip. Melanth. Interprete 782

BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W POZNANIU

FINIS.

ARGENTORATI APVD
CRATONEM MYLIVM,
AN. M. D. XLIIII. MEN-
SE MARTIO.